BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
C
50
NAPOLI

XLII
C.
50

ATTICA BELLARIA,

SEV

LITERATORUM SECVNDÆ MENSÆ, AD ANIMOS EX CONTENTIONE,

ET LASSITVDINE STVDIORVM lectiunculis exquiſitis, jucundis, ac honeſtis relaxandos:

SYNTAGMATIS DECEM EXPLICATÆ.

Auctore

IACOBO PONTANO SOCIETATIS IESV.

Partis I. editio ſecunda, emendatior, & plenior.

M. DC. *XVII.*

Auguſtæ Vindelicorum,

Apud Andream Apergerum, impenſa Ioannis Hertsroy.

NAPOLI

Domus [illegible] Neap. Soc. Jesu

ADMODVM R. P. N. MVTIO VITELLESCO, SOCIETATIS IESV PRÆPOSITO GENERALI

Salutem, & longitudinem dierum.

LAudatiſſimus ille Socrates, cuius omnis oratio in virtute extollenda, eiusq; amore, ac ſtudio hominibus commendando, & inculcando ponebatur, apud Xenophōtem in eo libro, quo is Magiſtri huius ſui dicta, factaq; memorabilia recenſet, hoſtias tenuiorum parabiles nihil à pluribus & ſumptuoſis locupletum, b. atorumque ſacrificiis differre confirmat: quoniam, vt opinor, natura diuina ipſa ſuis circumfluens, ac pollens diuitiis, nec noſtri indiga ad animi religionem, & bone voluntatis

copias magis, quàm ad oblatorum magnificentiam, & incredibilem ſacrorum cærimoniam reſpiciat. Id quod Pelignum quoque vatem, ut alios prætermittam, indicatum voluiſſe putandum eſt, cum ita cecinit:

Sed tamen ut fuſo taurorum ſanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Diuinam hanc, & cæleſtem in muneribus acceptandis æquitatem conſentaneũ eſt in terris imitari omnes, qui ob amplitudinem officij ac poteſtatis Deorũ appellatione condecorantur. Cum porrò qui Religioſi *audiunt Moderatores, atq; Præſides ſuos tanquam Chriſti* Dei *Vicarios obſeruare, venerari, eorumq; mandata ceu oracula complecti, atque omni ope curare, & exhaurire debeant, liquet ſanè, quantum qui de* Societate IESV *numeramur vniuerſi tibi, omniũ noſtrûm principi Rectori, ac Præſidum Præſidi obligatiſſimus:*

ſimus: cui proinde etiam oblatos, & conſecratos ingeniorum partus quantũuis exiles, minutosq; ſimiliter gratos, & acceptos venire dubitandum non videtur. Bellaria duntaxat nos apponimus: cœnas Luculli alijs P. T. apponendas relinquimus. Quod ſi varietas, magnitudo, multitudo negotiorum nonnullum quandoq; laxamentum requirunt: quæ tandem negotia, quæ curæ, quæ ſollicitudines tuis in tota Societate, *quà patet orbis adminiſtranda ſeſe æquauerint? Quare quis aut ſapientia tua indignum, aut grauitate alienum exiſtimet, ſi nonnunquam releuandi animi ad lectiunculã venuſtam, & hilarulam te demittas? Cuius generis non paucas* Bellaria *noſtra, quod ſpero, exhibebunt: quæ ut benigna mente excipias, maiorem in modum rogo. Modicum eſt quod offero: far, & ſalientem micam videlicet: veruntamen admiratio orna-*

mentorum tuorum, ac ſanctimoniæ, quibus gradibus ad huius ſacræ, ſummæq́; Præfecturæ faſtigium hominibus cælitibusq́; collætantibus aſcendiſti, & reuerẽtia qua offero, modica non ſunt. Quod reliquum eſt, vehementer etiam atque etiam à R. P. T. peto, vt me filiorum ſuorum minimum qua conſueuit beneuolentia, & charitate complectatur: & ſtudiis iſtis manſuetioribus ad maiorem Dei gloriam (*qui totius militiæ noſtræ ſcopus eſt*) *adhuc in iſta extrema propemodũ ætate operantem, caſtiſſimis precibus ſuis apud eundem gratioſum reddere ne grauetur. Bene valeat. Auguſtæ Vindelicorum, Kalend. Decemb. Anno Chriſtiano*

M. D C. X V.

CONCESSVS R. P. VICEPROVINCIALIS.

LIbrum ATTICA BELLARIA, ſiue LITTERATORVM SECVNDÆ MENSÆ inſcriptum, & à IACOBO PONTANO Societatis noſtræ confectum; atque à deſtinatis arbitris lectum, & approbatum, ego GREGORIVS ROSEPHIVS Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Viceprouincialis Præpoſitus, ex auctoritate admodum R. P. N. Generalis CLAVDII AQVAVIVÆ felicis recordationis in apertum prodire permitto. Cuius rei fidem manu mea, & Societatis ſigillo facio. Auguſtæ, Kal. Octob. M. DC. XV.

Gregorius Roſephius.

GRAVIORVM, LEVIORVMQVE FACVLTATUM Candidatis S.

QVandoquidem ex corpore, & animo coagmentamur (carnis, animæq́ texturam vocat Tertullianus) ac neutra pars noſtri laboribus, & exercitationibus continenter, citra virium ſuarum imminutionem inſiſtere, & inhærere queat, ex æquo, & bono videtur; vnumquemq́ (niſi ſe deſpectum eat) ad honeſtum, & liberale otium nonnunquam confugientem, ſibimet iocum, & ludum dare: quo non aliter quam ſomno, & quietibus cæteris, cum grauibus, ſeriisq́ rebus ſatisfecerimus, vtendum 1. de Off. docet M. Tullius: imitandasq́ volucres, quas videmus, inquit idem 2. de Orat. procreationis, atq; vtilitatis ſuæ cauſa fingere, & conſtruere nidos: eaſdem autem, cum aliquid effecerint, leuandi laboris ſui cauſa, paſſim, ac libere ſolutas opere volitare. *Reperitur etiam multus in alterna requie commendanda, & ſuadenda grauiſſimus morum Præceptor, & arbiter Seneca. Nam libr. de Tranquillit. animi*, Danda eſt,

ait,

dit, animis remiſſio: meliores, acrioresque requieti ſurgent: eorum impetus aſſiduus labor frangit. *In idem conſpirat cum filio pater, præfatione Controuerſ.* Omnibus prodeſt animum ſubinde relaxare. Excitatur enim otio vigor: & omnis triſtitia, quæ contractione pertinacis ſtudij adducitur, feriarum hilaritate diſcutitur. *Quocirca in latiſſima remiſſionum, vacationum, ludorũ, hilaritatum varietate quilibet cum res ſeu poſtulabit, ſeu flagitabit, idoneum ſibi, & complacitum genus aſſumat. Qui aut ſeuerioribus, aut mitioribus litteris occupantur, iiſq́; omne ſuum tempus tranſmittunt, interdum pauliſper ab iiſdem feriantes, vocum, fidiumq́; cantu, mittendo diſco, pila palmaria, trudiculis, concænationibus, ambulatiunculis, quæque præterea ipſi melius nouerunt: item feſtiuis collocutionibus, &, ſi ſoli ſunt, ne omnino ſoli ſint; quibusdam non utique ineptis, petulantibus, obſcœnis: verum elegantibus, honeſtis, urbanis, ingenioſis lectiunculis mentes ſeria lectitando, ſcriptitando, commentando defatigatas oblectent, & labori reparent. Quam ad rem nos, vt quidem confidimus, non mediocrem, nec aſpernandam ope-*

ram in iſtoc Opere nauauimus : & per diuerſa Syntagmata diuerſa vobis quaſi bellaria apparauimus : de quibus nihilominus guſtare illi quoque poterunt, qui iam pridem à ſtudijs liberalibus digreſſi, aliud vitæ curriculum inierũt: & vel honorum functione, vel rei domeſticæ procuratione, vel mercatura, vel alia demum arte factitanda diſtinentur, quoties animum curis exercitum delinire, feſſumq; reficere, & exhilarare voluerint. Id bene proceſſurum ſpero, ſi non omnia riſu menſi fuerint: nec ad præſectum vnguem quiduis vbiq; exegerint. Quod reliquum eſt, voluntatem, officiumq; noſtrum, ſi vobis placet, &, ſi placebimus, amplectentes, quod rectiſſimè ac laudatiſſimè facitis, ut munita atque edita ſapientum templa ſerena (ſic appellat Lucretius) tenere enitamini, id ut quàm diutiſſimè εὐπράττοντες facere poßitis, prouidetote.

DE INSCRIPTIONE voluminis.

GEminam dedimus, tametſi eodẽ ſpectantem. VOX ATTICVM multis in rebus præſtantiã quandam, bonitatemq; notat: tralatione videlicet ab illius clariſſimæ ciuitatis moribus, ſollertia, doctrina, prudentia, agrique circumiecti ingenio præſtabili. Teſtantur id prouerbia. Atticus teſtis, Attica fides, pro integerrimis, minimeq; vanis, Attica eloquentia, Attica Muſa, Attica Siren, Atticus lepos, Attici ſales, Attica mella, & ſi quæ ſunt alia huius generis. Erunt igitur ATTICA BELLARIA nuncupanda, quæ in cupedijs, & bellarijs delicatiora: quæ, inquam, in ſecundis, ſeu alteris, vt appellantur Horatio, menſis inferuntur optima, atque lectiſſima, vt Attica fuerunt. Porrò ſecundæ menſæ, quę in prandijs, & cœnis ſunt ceu appendices, & velut in oratione epilogi, & Græcis τράπεζαι δεύτεραι, ἐπιδόρπιδες, μεταδόρπια, ἐπιδορπίσματα, τραγήματα, πέμματα dicuntur, cruſtula, liba, ſcriblitas, poma, pyra, nuces, ficus, vuas, ſacchari ſpecies, cotonea mala condita, poma citrea, caſtaneas, nuces, panes Martios, amygdala, pruna, melitomata, nec non & ſuauiora, ac ſumptuoſiora quædam edulia, quæ Confecta vulgò, continẽt: Græcis interdum oua cum turdis, & leporinis carnibus, placentiſq; mellitis, & quæ à

Polluce enumerantur lib. 6. cap. 11. & ab Athenæo libr. 14. Quo tradente didicimus bellariorũ artifices δημιουργοὺς vocari ſolitos, & id muneris fœminarum magis fuiſſe, à coquorum functione ſeparatum, ac diuerſum. His compreſſa iam accubantium fames denuò quodammodo ſuſcitatur, & extincta ſitis redaccenditur. Cæterùm quoniam literis quoque, & artibus ingenuis, quas dicendo conſectamur, mens noſtra haud ſecus quàm corpus cibo alitur, ac pingueſcit (vnde & M. Tullius contemplationem animi pabulum nominat: & ad Atticum ſcribens lib. 4. epiſtola 10. ait; nos hic voramus literas cum Dionyſio: & Aegypti Rex Simandius bibliothecam ſuam Animi alimentum inſcripſit) non inuenuſtè epularum vocabulum à magnis ſcriptoribus tributum illis exiſtimandum eſt. Quapropter librum hunc multiplicia quaſi pemmata, bellaria, tragemata acri labore, ac ſtudio à me partim conquiſita, diſtributa, aucta, concinnata; partim è noſtro Muſæo profecta complectentem, non incommodè, vti reor, & Bellaria, & Mensas Secvndas nominaui: quibus videlicet ſolidioribus illis epulationibus expleti, adhuc tamen, adiuuante opera mea, gulis ſaltem veſtris, ſi minus ventribus, gaudiola quædam propinare valeatis.

DE

DE STVDIOSIS DILI-
gentibus, & inertibus.

HEus, qui volumini manus iſti admoues,
Aduorte ſis animum, vt iuxta mecum ſcias:
Quid voluerim, quibusúe deſudauerim.
Sunt qui ſeueras, ſunt qui mites artium
Tractantes, non perinde ſeſe ingurgitant,
Labore vtrinque diſpares quàm plurimum:
Quorum iſtis bellum nomen DILIGENTIBVS,
Contrà illis tetrum nomen NEGLIGENTIBVS
Condigna poſuit mater noſtra Latinitas.
Molle otium, ſomnus longus, ludus, iocus,
Fœcundi calices queis mage ſunt in amoribus,
Hos, ceu profanum vulgus, non facio pili;
Seq; auferant, moneo, iſtis à Bellariis.
Relinquant hæc aliis, ipſi fœnum eſitent:
Quibus, inquam, literarum epulis nil maius eſt:
Qui literis impalleſcunt, & lucernulas
Amant Cleanthis, Oratorisúe Attici,
Hi ſunt ocelli Muſarum; hi Sapientiæ
Amœna amœnitates, & feſti dies.
Hi demum rebus digni ſunt ampliſſimis,
Qui quotiescunque ſuas cœnas cœnauerint,
Menteſq; auidas ſtudendo delaſſauerint,
Huc aduolantes ſe recurent ſuauiter,
Noſtra vſurpantes affatim BELLARIA.
Saluete iterumq; iterumq; chara pectora,
Mundi deliciæ, floſculi mortalium.

IN-

INDEX SYNTAGMATVM.

Hiſtoriæ.	I.
Apologi, ſeu Fabellæ.	II.
Apophthegmata.	III.
Ritus, & Conſuetudines.	IV.
Sales, vbi & Epigrammata.	V.
Deſcriptiones, ſeu Ecphraſes oratoriæ, & poeticæ.	VI.
Epiſtolia, & Scenæ quædã Plautinæ.	VII.
Mira mirorum.	VIII.
Poematia bella, pia, feſtiua, dulcia, ψυχαγωγικώτερα.	IX.
Miſcella.	X.

SYNTAGMA PRIMVM.

HISTORIÆ.

Præfatio.

QVI de hiſtoria componenda Cōmentarios confecerunt, quiue alioqui declamationes de ea contexuerunt, hanc eos viam tenuiſſe comperio, vt primùm de dignitate, tum de vtilitate, poſtremo de iucunditate illius diſputarent: ſatis laudatam fore arbitrati, ſi & cognitione pulcherrimã, & multas ad res opportuniſſimam, & ad animi voluptatem accommodatiſſimam, ſententiis etiam eruditorum, exemplisq́; è vita humana interpoſitis demonſtraſſent. Mihi pro inſtituto de iucunditate agendum, ſed paucis; quò primum iſtuc Syntagma lectoribus commendatius efficiam: conuiuarumq́; meorum palatum, ad primo loco ſecundis menſis poſitum tragema, ſeu bellariorum genus magis inuitem, & irritem.

Principiò facilitas ipſa, quæ in hac ſeu vetuſtioris, ſeu recentioris alicuius memoriæ notitia capeſſenda maior longè, quàm in alia vlla reperitur, periucunda eſt. Iucunda etenim quæ facilia; vt contra,

quæ difficilia, & laborioſa, eadem plerumq; ingrata, & moleſta. Et cum tritum ſit, difficilia quæ pulchra, ecce tibi pulchrum, Hiſtoriam puta, nec difficile. Non enim ad eius perceptionem diuturna mentis agitatione, non magiſtri opera, non vigiliis nocturnis, non pluribus libris euoluendis opus eſt. Prope ſola Hiſtoria polliceri delectationem videtur, vt viſum Plinio ep. 8. lib. 5: Orationi enim & carmini, *quod idem ſcribit*, parua eſt gratia, niſi eloquẽtia ſit ſumma: Hiſtoria quoquomodo ſcripta delectat. Sunt namque homines naturà curioſi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, vt qui ſermunculis etiam, fabellisq; ducantur. *Iam ſi vel commentitiis narrationibus adeò demulcemur, quanto amplius veris? cum nullus ſit humanæ intelligentiæ paſtus ipſa veritate iucundior: ad quam ſcrutandam, inquirendam, & inueſtigãdam ferimur noſtra ſponte: quia hominis eſt propria veri inquiſitio. Eſt autem Hiſtoria lux veritatis, vt Antonius II. de Oratore pronuntiat, ſine qua in tenebris iaceret omnis antiquitas: cui viſendæ, ac pernoſcendæ illa lumen & facẽ præfert. Quam verò ingentem eius voluptatem eſſe conuenit, cuius ſenſu legimus fugatos quoque morbos à corporibus? Nec tamen neceſſariarum, vtilium, ac ſeriarum modò, otioſarum, & infrugiferarum quoque rerum commemoratio in Hiſtoria nos retinet, & paſcit. Superioribus ſæculis viuere, atque intereſſe, cum antiquiſſimis illis hominibus agere, eorum viciſſitudines, caſus inexſpectatos, fortunæ, ac temporũ*

mutatio-

mutationes intueri videmur, quoties priſcas hiſtorias vel ipſi legimus, vel recitari audimus. Quæ omnia non poſſunt non animos ſuauitate quadam perfundere. Quanquam verò mens nobis haud eſt, populi alicuius, aut vrbis, aut regis res geſtas per libros exſequi: ſed breues tantùm factorum, & caſuum expoſitiones, exemplaq; & hiſtoriolas, tam ex recẽtioribus, quàm ab ætate noſtra remotioribus colligere ac deligere; tamen proportione in hæc quoque cadere quæ diximus, dubitari non debet. Augebitur præterea delectatio, cum aliæ aliis ſuccedentes, miram ex diſſimilitudine varietatem parient, quã præcipuam habere iucunditatem tute noſti. Atque ob hanc cauſam, vt ſcilicet quam plurimùm delectarentur lectores, Ælianum ποικίλην ἱστορίαν, *vt Nicolaum quoque Leonicum, præeuntis exemplo incitatum, ſcripſiſſe iudico. Acceſſerunt item à nobis permulta tum in hoc, tum in cæteris Syntagmatis, quæ non minus vtilitatis quàm ſuauitatis allatura in ſpe optima habemus.*

HISTORIÆ.

I. *Ira fatua, ſeu furor inanis.*

IRASCIMVR hominibus, ijsque tam amicis quàm inimicis, coniugibus, liberis, alienis, domeſticis. Iraſcimur præterea animatis, ac ſentientibus. Iraſcimur ſenſu quoque vacantibus. Primum genus iræ, ſi cauſa, & modus adſit, extra repre-

henſionem ponimus: nec enim ἀπάθειαν Stoicorum toleramus. Alterum, etſi interdum non eſt inutile, dementis tamen putat Seneca, quia nulla eſt iniuria niſi à conſilio profecta. Poſtremum ratione penitùs caret, rectéq; , vt vitioſum, culpæ ducitur. Iſtiuſmodi fuit ira Cyri Perſarum regis contra Gynden fluuium notiſſimi nominis: quem, vt equum candidum, ſibiq; charum, in eodem, ſummerſum vlciſceretur, in CCCLX. riuos diduxit: vt ſic eius famam, & nomen è rerum natura auferret. Rem geſtam ex lib. 1. Herodoti repetit, vitioq; dat Seneca lib. 3. de Ira. cap. 21. Locũ transſcribo. *Cum Babylonẽ expugnaturus feſtinaret ad bellum, cuius maxima momenta in occaſionibus ſunt, Gynden latè fuſum amnem vado tranſire tentauit: quod vix tutũ eſt etiam cum ſenſit æſtatem, & ad minimũ deductus eſt. Ibi vnus ex his equis, qui trahere currũ regium albi ſolebãt, abreptus, vehementer commouit regem. Iurauit itaq; amnem illum regiis equis meatum auferentem eò ſe redacturum, vt tranſiri, calcatiq; etiam à fœminis poſſet. (Addit Herodotus, ne genua quidem tingentibus.) Huc deinde omnem tranſtulit belli apparatũ, & tandiu aſſedit operi, donec* CLXXX. *cuniculis* (lege funiculis, & vide Lipſium ita emendantem ex Herodoto) *diuiſum alueum in* CCCLX. *riuos diſpergeret, & ſiccum relinqueret, in diuerſum fluentibus aquis. Periit itaq; & tempus, magna in vanis rebus iactura: & militum ardor, quem inutilis labor fregit; & occaſio aggredi-*
endi

endi imparatos, dum ille bellum indictũ hoſti cum flumine gerit. Cernis, lector, quot peccata hic furor (ſic enim mox appellat) pepererit? Aliud exemplum annectit, .C Cæſaris, qui villam in Herculánenſi (puta in ora Campaniæ) pulcherrimam dituit, quia mater ſua aliquando in illa cuſtodita fuerat. Plutarchus de cohibenda iracundia Xerxis meminit, qui mari plagas incuſſit, & Atho monti Epiſtolam miſit in hæc verba. *Atho infelix, ad cælum vſq; porrecte, ne meis operibus facias lapides magnos, & ad eruendum difficiles: alioqui exciſum te proiiciam in mare.* Hem, adeóne deliraſſe reges? Addamus inſuper ex 5. Iliad. Pandari, qui, quoniam Diomedem, & Menelaum ſagittis vulnerarit quidem, nõ autem (vt optabat maximè) penitùs interemerit, caput ſuum deuouet, niſi arcum, ſimul ac domum, in Lyciam ſcilicet, redierit, in ignem ſtatim coniecerit. Miſelle arcus, huccine tua merita rediiſſe? vide amplius Senec. 2. de Ira. cap. 26. quomodo nõ ſentientib⁹ ſtultè iraſcamur. Exẽpla verò regũ immodicè iratorũ lib. 3. ca. 16. & 17.

II. *Non origo generis, ſed poteſtas intuenda.*

AD imperia gerenda, & magiſtratus obeundos, quantumcunq; illuſtres, parum ſanè, aut nihil pertinet parentibus nobilibus an plebeijs, diuitibus an tenuibus oriundus: ſed quemadmodum ab animi virtute, ac dotibus inſtru-

ctus, ornatusq; ſis. Perſonam igitur ipſam, dignitatemq; muneris, quod quiſque adminiſtrat, conſideremus, eamq; in adminiſtrante honoremus: eò reuerentius, quò id conuenientius, ac laudabilius adminiſtrat. Amaſin principio regni ſui, vt infimi loci mortalem Ægyptij deſpiciebant: quos ille ad ſe reuerendum, colendumque callido quodam inuento permouit. In pelui aurea & ipſe, & conuiuæ omnes abluere pedes ſolebant. Hanc in ſtatuam Dei conflatam, celebri vrbis loco conſtituit. Ægyptij concurſantes ſimulacrum impensè venerari. Tum aduocata concione narrat, DEVM illum quem adorarēt, ex pelui, in qua nuper pedes fuiſſent abluti, confectum. Quocirca honorem ſibi nunc habendum: id quod tali exemplo intelligere oporteret. Nam ſe quoque regem tanquam ex pelui factum. Obtinuit quod voluit. Herodotus auctor. lib. 2.

Eminentiſſimis honoribus (eccleſiaſticis quidem certè) vſi ſunt ſæpius, quos vitæ integritas, & bonæ artes magis, quàm familiæ amplitudo commendarunt. Viro autem probo, ac prudenti, ne, iuxta populi verbum, honores mutent mores, cauendum eſt ſedulò.

III. *Paupertas voluntaria, cum animi magnitudine, & hilaritate.*

EPaminondas Thebanorum dux vnicam habebat veſtem, eamq; nec floridam, & minimi

mi cenſus. Hanc ſi quando ad infectorem mitteret, domi interim ſe continere cogebatur. Nihilominus cum ei rex Perſarum non modicam auri vim dono mitteret, non accepit, &, vt mea quidem eſt ſententia, celſiore animo fuit is, qui aurum repudiauit, quàm qui donauit. Ælian. libro 5. cap. 5. Huic iungamus Diogenem Cynicum, cum dolio ſuo, & cotyla, quam tamen abiecit, ſimul puerum caua manu aquam bibentem conſpicatus eſt. Laert. lib. 6. Et Anacharſin Scytham, cuius epiſtolium ad Ammonem Cicero Tuſcul. 5. his verbis latinum fecit. *Mihi amictui eſt Scythicum tegmen, calceamentum ſolorum callum, cubile terra, pulpamentum fames. Lacte, carne, caſeo veſcor. Quare vt ad quietum me licet venias. Munera autem iſtic, quibus es delectatus, vel ciuibus tuis, vel diis immortalibus dona.* Paulus quoque, ὁ τοῦ θεοῦ λατρείας ἀκόρεστος, ὁ κοινὸς πατὴρ, καὶ πρόγονος τῶν δούλων τοῦ Χριστοῦ, ille indefeſſus Dei cultor; ille communis pater, & Patriarcha ſeruorũ Chriſti, vt eum aſſiduiſſimus eius lector, & religioſiſſimus cultor, atque vberrimus explanator, & eloquentiſſimus prædicator Ioannes Chryſoſtomus nominauit, Paulus, inquam, ſi ſuppetat victus, & quibus tegatur, pręterea nihil requirit ipſe, nec Chriſtiano requirendum putat 1. Timoth. 6. Ac tales quidem Seneca pro ſapientia ſua Stoica non pauperes, ſed diuites affirmaret. Carpens enim Epicurum epiſt. 2. apud quem legerat magnificum hoc, *Ho-*

neſta eſt res læta paupertas, negat eſſe paupertatem ſi læta ſit: nam cui cum paupertate bene conuenit, inquit, diues eſt. Deinde duos gradus, ſiue modos diuitiarum ſtatuit: habere quod neceſſe eſt; quo nimirum carere natura nequit, & ad viuendum ſibi poſcit: habere quod ſat eſt, vt ſcilicet commodè viuas. Verùm nos omnia alia ſentire à magiſtris non inſipientibus didicimus: & vt paupertatem eſſe paupertatem credimus; ita etiam ſuo, & proprio eam vocabulo afficimus. Οἱ Μακεδόνες ἀμαθεῖς, καὶ ἄγροικοί εἰσι, τὴν σκάφην σκάφην λέγουσι, Macedones imperiti, & agreſtes ſunt, ſcapham ſcapham nominant. Verba ſunt Philippi regis iocabundi ad Olynthi proditores, cum ſe à Macedonibus contumeliæ cauſa ſic appellatos apud eum quererentur. Aliquot Græcorum optimos, qui vixerint pauperrimi, nominat Aelian. lib. 2. cap. 43.

IV. *E literatis homunculi, aliiq; præterea minuti, & exiles.*

TAmetſi animus noſter eſt in corpore hoc interituro, quod Deus in mundo, & rex in regno, non idcirco quæ impleat immenſa ſpatia, nec quæ habitet ingentia palatia ſibi poſtulat. Et quod Poëta Latinus de virtute cecinit, ſæpe maiorem regnare in exiguo corpore, id nihilominus de ſcientia literarum affirmari poſſe crediderim: ſępius ſcilicet compertos eſſe eximiè eruditos quoſdam puſillos, & maſculos, quàm gigantes

gantes,& Polyphemos, in quibus, vt ait Catullus, frequenter nulla eſt mica ſalis. Inuenimus igitur in ordine eruditorum quibus natura non corpora, ſed corpuſcula duntaxat impertiuit, Iacobum Fabrum Stapulenſem, qui ſe, Iouio in Elogijs teſtante, ingeniorum fabrum feſtiuè dici voluit, cum in omni ferè doctrinæ genere ad docendum aptiſſimus haberetur. Adde huic Iacobum Latomum. Vterq; Pariſienſem Academiam illuſtrauit. Ex Italis Petrum Pomponatium, & Marſilium Ficinum, mortui pæne Platonis Aeſculapium, vt de eo epiſt. 11. libr. 6. Politianus honorificè loquitur. Is vix ſemihominem æquabat. Puſillæ ſtaturæ, & multæ gracilitatis, & macritudinis multos recenſet Aelian. libr. 10. cap. 6. vt item Athenæus lib. 12. In ijs Philippidem, qui propter corporis tenuitatem in prouerbium abierit. Nam cum attenuatũ aliquem dicere vellent, eum πεφιλιππιδῶσθαι, id eſt, Philippidem factum, aut φιλιππίδου ἰσχνότερον, λεπτότερον, Philippide graciliorem, tenuiorem dicebant. Lucillius, qui inter Epigrammatarios multum ſalis, & fellis habet, & eſt σκωπτικώτερος, Stratonicum quendam irridens 2. Antholog. tit. λβ'. εἰς λεπτοὺς, tam exilem, ac leuem fuiſſe ait, vt cum calamo ariſtam infixiſſet, & de ea capillo vno pro laqueo vſus ſe ſuſpendiſſet, corpuſculum non deorſum vt graue pependerit, ſed vt leuiſſimum, etiam nullo agitante vento, calamo ipſi, & ariſtæ, patibulo ſuo ſuperuolarit.

Ἐν καλάμῳ πήξας αἰθέρα Στρατόνικος ὁ λεπτὸς,
Καὶ τριχὸς ἐκδήσας αὐτὸν ἀπηγχόνισε.
Καὶ τί γὰρ, οὐχὶ κάτω βρίσεν βαρὺς, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτῶν
Νηνεμίας οὔσας νεκρὸς ἄνω πέταται.

Syneſius in Epiſtolis de ancillula Pontica dixit prouerbiali figura, ὑπὲρ τὰς μύρμηκας ἔνλομον, formicis exilior. Terentianus Chærea, curatura iunceas fieri virgines. Huc refer gradum formicinum apud Plautum, & pectus cicadę, cruſculúque formicæ apud Martialem. Græci quoq; graciles σφηκώδεις, quaſi veſpeos, ſeu veſpiformes, & λαγαρὰς à macie, & exilitate quæ in lumbis ſpectatur nominant. Iun. Cent. 2. Adag. 70. Vide rurſum, Vmbris macilentior. Cent. 6. Prouerb. 20. Obſeruatum ab Euſtathio, homuncionem ob puſillam nimis ſtaturam per conuicium σταλαγμὸν, id eſt, guttam appellari.

Corollarium huius cap. hoc eſto. Pulchritudo niſi in magno corpore ineſſe nequit. Oportet enim pulchritudinem præ ſe ferre dignitatem, quæ puſillo in corpore quonam modo inerit? cum breuitas ipſa corporis, ſtaturæq; exiguitas contemptum ſui ingeneret, ac deſpicientiam: decor fortè aut venuſtas aliqua inſit, ac velut minutis quibusdã in floribus afflatus quaſi quidam. Iouian. Pont. de Magnanimit. lib. 1.

V. *Lacedæmoniorum ſenum paucorum virtus memoranda. Adiecta exempla de libris ſacris.*

Iuſti-

IVſtinus lib.6. exponens bella, quibus Lacedæmones, & Thebani inter ſe contenderint, paucis, inquit, deinde diebus neutris quidquã hoſtile facientibus, cum quaſi tacitò conſenſu induciæ eſſent, Lacedæmonijs alia bella aduerſus finitimos gerentibus, Thebani Epaminonda duce occupandæ vrbis eorum ſpem ceperunt. Igitur principio noctis taciti Lacedęmona proficiſcuntur. Non tamen aggredi incautos potuerunt. Quippe ſenes, & cætera imbellis ætas, cum aduentum hoſtium præſenſiſſent, in ipſis portarum anguſtijs armati occurrerunt, & aduerſus XV. millia militum non amplius centum iam effœtæ ætatis viri pugnæ ſeſe offerunt: tantum animorum, viriumq; patriæ, & penatium conſpectus ſubminiſtrat; tantoque præſentia quàm recordatione ſui maiores ſpiritus largiuntur. Nam vt videre inter quæ, & pro quibus ſtarent, aut vincendum, aut moriendum ſibi cenſuerũt. Pauci igitur ſuſtinuere ſenes aciem, cui par antę diem vniuerſa iuuentus eſſe non potuit.|

Lege Alex. ab Alex. lib.6. cap.25. qui exercitus, & quanti à parua manu cæſi, profligatiq́ue ſint. Vt ab externis ad noſtra, & ab humanis, & profanis ad ſacra, & diuina exempla abeamus, nonne vel vnus Sampſon in mandibula aſini percuſſit mille viros? Iudic.15. Et tres robuſtiſſimi eundo, & redeundo caſtra Philiſtæorum penetrarunt, vt Dauidi ſitienti de ciſterna Bethleemitica haurirent. Reg.2. cap.23. Et Abiſai

frater Ioab leuauit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit. Ibidem. In prælio aduerſus Galatas in Babylonia ſex millia Iudæorum, propter auxilium illis datum de cælo, peremerunt hoſtium centum viginti millia. Machab.2.ca. 8. Mitto plura, & horum ſimilia.

VI. *Benefactum pro malefacto. Modeſtia in poteſtate ſumma.*

DVorum Pontificum Max. laudabilia, Chriſtianisq; omnibus admiranda, & imitanda facinora recitabo. Xyſtus III. à Baſſo quodam, neſcio cuius criminis poſtulatus, coacta LVII. Epiſcoporum Synodo cauſam dixit, omniumque ſententijs abſolutus eſt. Damnatus contra Baſſus, auctoritate, & iuſſu Valentiniani III. Aug. & Placidię matris, fiſco addictis facultatibus in exilium pellitur, in quo poſt menſem tertium extinguitur. Quid tum Xyſtus? quid? Accuſatoris cadauer vnguentis delibutũ aromatibus condit; ſindone inuoluit; ſuis manibus in monumentis parentum ſuorum ad S. Petri deponit. Platin. de vitis Pontific. An quidquam maius præſtare potuiſſet vel amiciſſimo? Alexandro Patriarchę Hieroſolymit. quidã ex notarijs eius furatus aurum, metu fugiens in Thebaidem Aegypti, in latrones incidit, à quibus in fines Aegypti perductus eſt. Hoc comperto Alexand. eum vinctum, & captiuũ LXXXV. numiſmatibus redemit, eoq; reuerſo ita piè, & reuerenter vſus

eſt,

eſt,vt quidã ciuis dixerit, *nihil videri vtilius,quã in Alexandrum peccare*. Huius generis eſt humanitas,ac beneficentia Lycurgi aduerſus eum, qui baculo ſibi oculum vel excuſſerat,vel grauiter læſerat. Adi Plutarchum.

Benedictus XI. ſe humili,& obſcuro loco natum, lare tenuiſſimo,in magiſtratu ampliſſimo, & copijs non modicis, haud eſt oblitus. Salutatum veniebat filium paupercula,& pannoſa mater. Matronæ Romanæ, ne tam vili, ac ſordido habitu Pontificis oculi violarentur, & indignũ ratæ, parentem ſummi Sacerdotis ſic malè coopertam in eius conſpectum prodire,anum cultu feſtiuo exornant. Ingreditur conclaue: diſſimulat noſſe Pontifex quid mulieris ſit. Monetur,eſſe matrem ipſiſſimam. Reſpondet, egóne vt habeam matrem adeò ſumptuosè conueſtitam? Non habeo,non agnoſco. Mater mea inops eſt, & ignobilis. Obſtupuere qui aderant.Educitur, & in trita, viliq; tunicula, quomodo venerat,reducitur. Tum Pontifex ſolio exſurgens occurrit, & hilari vultu eam complexus infit: hæc eſt mater mea: talem reliqui, talem libenter agnoſco,& recipio. Crantz.lib.8. Metrop. cap.46.

Pudet diuites, & in altum euectos cognatorum pauperum,& homuncionum ſortis infimę. Mon puderet, ſi ineſſet in illis pro ſuperbia virtutum procreatrix, & conſeruatrix, & Chriſtianis tantopere laudata, atque commendata, veteribus autem illis idolorum cultoribus ignota humi-

humilitas. Meminerint illius, *quanto maior es, humilia te in omnibus.*

VII. *Eruditi & illuſtriſſimi præterea viri in habitu monaſtico tumulati. Impudens Eraſmi calumnia.*

SIVE quòd ordines, & ſancta Inſtituta DD. Franciſci, & Dominici, adhuc vita manente plurimum dilexiſſent, & in his annos ſuos duxiſſe peroptarent; ſiue quòd, vt cætera, hoc quoque ad teſtificationem pœnitentię ſuæ, cum qua diem ſupremum agerent, quaq; communem illum, iuſtiſſimumque iudicem placare cuperent, aſſumendum putarent, plures apprimè doctos lego, qui eiuſmodi veſtitu & materia minimè pretioſo, & forma deſpicabili coopertos, ſub extremum vitæ ſepulchro ſe mandari iuſſerunt; Albertum Pium Carporum Comitem, Rudolphum Agricolam, ChriſtophorumLongolium, Baldum Iureconſultum. Hi omnes, & præterea Alphonſus Aragoniæ Rex in veſtitu ſodalium Franciſcanorum ſepulchris traditi ſunt. Ioannes Franciſcus Picus, Ioannis Pici fratris filius, Mirandulæ Comes in habitu Dominicanorum, in eodem Achilles Statius Luſitanus funeratus eſt. Hanc pietatem, & ſanctimoniam arrodit ſeu Menippus, ſeu Lucianus alter Roterodamus ille. Hominis vafritiem ex epiſt. ad Nicolaum Mallarium lib. 25. perſpicias licet. *Albertus Pius Carporum Comes, triduò antequã moreretur, amictum D. Fran-*

D. Franciſci induit. Franciſcanorum humeris portatus eſt ſolemni pompa per vias, facie, manibus, & pedibus nudatis, & in monaſterio ſepultus. Non inſector religioſum hominis affectum: vulgatum eſt hoc apud Italos; ſed demiror Patres illos, cum non ignorent cuiusmodi ſit hoc ſaculum, eiusmodi cæremoniis, ne dicam ſuperſtitionibus irritare in ſe orbis inuidiam, plus ſatis iam flagrantem ſua ſponte.
Quid ais? Tu religioſum hominis affectum non inſectaris? Quis ergo ille, qui religioſos affectus in lucubrationibus ſuis ludos facit, idque tam crebrò, tamq; ſatyricè exagitat? tam ſuperbè cõdemnat? Et cur nam vereris, quod apud Italos vulgatum eſt, vt inquis, (hoc eſt, quod tota Italia pro pio ducit, & vſurpat) ne in ſe orbis inuidiam irritet? cuius tandem orbis? Huius noſtri, & Arctici, an illius noui, patrumq; memoria primùm inuenti, atque Antarctici? Germanici, an Hiſpanici, an Gallici? Germanici, opinor, & eius haud vniuerſi: ſed qua parte illis temporibus ſuſpicioſiſſimis tumultuari, Lutheriq; militiam profiteri incipiebat. Ergo illud ſęculũ tam religioſum, & ſincerum ſcilicet, Patres Itali reſpicere, idq; huiuſmodi ſuperſtitionibus contriſtare non debuerunt. Hoc enim loco pias, & piaculares actiones habere conſueuit hic cærimoniarum, religionumq; cenſor, & ἱεροφάντης acerrimus atque integerrimus. Lacerat monaſticum habitum etiam in Colloquijs. Lacerat hãc piam conſuetudinem etiam in Appendice Paraphraſis

phraſis ad Ioannem, vt ipſe in illa maledica LINGVA ſua meminit. Hoc ſpirituali indumento, vt Nicetas vocat, hora mortis aduentante ſe operiri etiam Imperatores, Reges, Principes, ac ſummæ auctoritas viri enixè popoſcerunt. Vt Manuel Comnenus, Andronicus iunior, Theodorus Laſcaris item iunior, Theodorus Metochita magnus Logotheta. Vt ad Latinos veniam, Fridericus II. Rom. Imp. Robertus rex Siciliæ, Landgrauius quidam Thuringiæ, Franciſcus II. Marchio Mantuæ. Vide Gretſerum in Gratiis ad Danielem Cramerum Prędicantem, cap. 10. Laudabilem hunc morem ſepulturam accipiendi, apud nos Auguſtæ non ita pridem ſibi adhiberi mandauit illuſtris D. Marcus Fuggerus, Ioannis F. huius ciuitatis lumen, & ornamentum, Catholicorumq; anteſignanus. Iuſſit enim ſe Capucinorum cultu indui, quem ſibi antea confici curauerat: atque ita tumulo eſt illatus, piis omnibus eius obitum gemitu magno proſequẽtibus, XIII. Kal. Ianuar. Anno M. DC. XIV. Habitu ſacrarum Virginum Clariſſarum conueſtita, & ſepulta eſt quoque annis ſuperioribus, in earundem Virginum monaſterio Græcij Sereniſs. D. Anna Maria, Sereniſs. Caroli Archiducis Auſtriæ coniux, fœmina ſanctiſſima.

VIII. *Pueri ſcholaſtici in patre decipiendo mira calliditas.*

Iouia-

IOuianus Pontanus, vt eſt refertus narrationibus ad diſputationes ſuas comprobandas, & illuſtrandas appoſitiſſimis, libr. 2. de Serm. quo loco de Hypocritis agit, de pueri impoſtura quiddam notabile, litteriſque haud alienum exponit. Idem ego hîc viri diſertiſſimi verb s ipſis ſubtexam. Adoleſcentibus nobis puer haud malæ indolis à patre miſſus eſt litterariũ in ludum. Is quò patri appareret litteris deditior, eumque ſenſim diuerteret ab incepto, dum veretur, ne vehementiorem ob operam in ægritudinem filius ipſe incideret, è fabæ polline, tenuiſſimum in modum contritæ, cœpit mane ſibi vultum afflatum inſpergere, magna arte adhibita. Quod dum aliquot à filio continuatur diebus, animaduertit pater os eius ſubflaueſcere, atque illi metuens, an bene ſe, an ſatis validè haberet ſciſcitatur. Reſpondet ille, & bene, & validè, ac tum vehementius multo quàm ante litteris incumbit. Multum noctu vigilat. Matùtinus è lecto ſurgit, totumq; ſe ad libros conuertit, ac nihilominus ſingulis diebus pluſculum à polline in faciem inſufflat, atque non ita multo poſt languere ſe ſimulat. Quo cognito pater vetuit illum ex eo ad Grammaticum proficiſci. Malle enim ſibi filium illiteratum viuere, quàm ob cauſam literarum in tenera ætate amittere.

Communis pueritiæ morbus ſcholam horrere, & non ſecus quàm carcerem auerſari, abſentiæque cauſas qualescunque comminiſci, capitis dolo-

dolorem plerumque,& non niſi plagarum metu ad diſcendum compelli. Quorum commentis,& ſtrophis boni parentes, ac magiſtri facile fidem commodare non debent. Percuſſi autem virga quoties merebuntur,non morientur.

IX. *Ingenij, & memoriæ præſtantia ex pluribus, & diſtinctis eodem tempore præſtitis.*

CVm pinguia, obtuſa, tarda, ſtupida ingenia quiddam aſininum præ ſe ferant (vnde etiã tales qui ſunt,honoris cauſa aſinos appellitamus) nonne contrà fatendum eſt,expedita, prompta, perſpicacia, acria, & acuta ingenia diuinũ quiddam,ac cæleſte obtinere? Non aliunde namque quam ab animo pendet hominis cum beatis illis, & ab omni concretione mortali ſegregatis mentibus,quos angelos vocamus; imò cũ Deo ipſo opt. max, ſimilitudo. In ipſo autem animo nihil eſt ingenio præſtabilius: ſicut in Deo ipſo nihil eſt, vt Cic. vult, ſapientia diuinius. Quare non immeritò prę cæteris honorandi ſunt, qui cæteros ingenij bonitate, ac magnitudine vincunt. Cuius ſpecimen illuſtre præbuit C. Iulius Cæſar, quem ſimul audiſſe, legiſſe, ſcripſiſſe, dictaſſe accepimus. Epiſtolas quaternas pariter, aut, ſi nihil aliud ageret,ſeptenas. Plin.lib.7.cap. 75. Quæ ſine ſummo ingenio, & admirabili memoria fieri non potuerunt. Neminem celerius ſcripſiſſe,neminem velocius legiſſe Solin.tradit. cap.6.

cap.6. De Hadriano item Auguſto Spartian. vno tempore ſcripſiſſe, dictaſſe, audiuiſſe, & cũ amicis fabulatũ eſſe. Ad propiora ſæculo huic transeamus. Antonius Perenottus Granuellan. Cardinalis, vt prodidere Elogia Belgica, ſeptem linguas ita tenuit, vt ei natiuas diceres. Memoria tanta, vt ſæpenumero quatuor, aut quinque ſcribas de varijs reipub. negotijs dictando defatigaret. (Hunc virum Lipſius laudibus exquiſitis extulit præf. Variarum, quas eidẽ inſcripſit.) De Philippo Cominæo ibidem relatum, non raro quatuor-ſcribis de rebus magnis, & diuerſis eodem tempore dictare ſolitum. De quodam Principe Germano ſæculi antegreſſi inuenio, eodem tempore ſcribere, dictare, audire, reſpõdere potuiſſe. Ad alia perquam miranda Politian. epiſt. 2. lib. 12. hæc de puero quodam Pauli Vrſini filio adiungit. *Miraris hæc, Pice? dabo aliud maius quod mirêre. Iam ſecundæ menſæ, cum proponere iubeor quot, & quæ argumenta epiſtolarum velim, quas ille ſimul pluribus dictaret ex tempore. Propoſui quinq; duntaxat (non enim plura libuit, ne fortè puerum fatigarem) plura tamen ille adhuc blandè depoſcebat. Sed quæ propoſui, nata ibidem ſtatim ſunt, varia, noua, quædamq; ridicula, ſic, vt ad ea comparare ſe prius nõ potuerit. Collocati igitur quinq; per ordinẽ literarii cum ſtylis, & pugillaribus, excepturi quod ille dictaſſet. Conſiſtit in ſummo puer, terram intuens modeſtè, cogitans aliquantulum, mox tamen oculos attollẽs,*

imperat ei qui ſummus conſederat, vt idem ſcribat. Vbi pauca dictauit, innuit & ſecundo, dictat & huic alterum argumentum. Pergit ad cæteros deinceps, donec ad infimum. Rurſus quoq; ad primum reuertitur, ſarciens quod omiſerat, fulciens quod pependerat. Diſſidebat ibi nihil. Ita ſæpius in orbem remeans, epiſtolas vno tempore (quis credat?) quinque abſoluit.

Quis hunc puerum non amplectendum, non puerorum numero eximendum putet? Ex omni æuo proferatur huic ſimilis ſi poteſt. Veteres paſſim in pueris commendabant ſapientiam ſenilem, & huiusmodi appellabant παιδαριογέροντας, quaſi dicas, pueros ſeniliores. Huiuſcemodi puerum Sophocles ἀνδράπαιδα nominauit. Vulgi autem opinio eſt, tales aut breuis æui futuros, aut ætate matura deliraturos. Vide paræmiam, Odi puerulos præcociſapientia. De ſapientia in teneris annis Antonius Meliſſa lib.2.ſer. 19. Iun. Cent.7. Prouerb.90. Mente ſenex. Bernard. Martini Variar. lib. 3. cap.6. Contrà, cum vellent iudicare hominem capite cano, & ætate ſenem, mente ſolidum, & vitiorũ mancipium laſciuire, vel delirare, puerum ce ntum annorum vocabant. Sic Heſiodus lib.1. Ex 1. Tomo Adagial. Delrij. Verſus ſubijcio. Agit de 4. ſæculis.

Δεύτερον αὖτε γένος πολὺ χέρότερον μετόπισθεν
Ἀργύρεον ποίησαν ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες.
Χρυσέῳ οὔτε φυὴν ἐναλίγκιον, οὔτε νόημα.
Ἀλλ᾽ ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ.

Ἑτρε-

Ἔτρεφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Inde genus ſuperi fecere argenteum olympi.]
Longè deterius multis in partibus aureo,
Haud mentis probitate valens, haud indole tã-
tum.
Tempore at hoc hominum bis quinquaginta per
annos
Matris lacte domi viuebat paruulus infans.

X. *Vnde VII. Sapientibus iſtuc nomen.*

PORphyrius, qui amaros aduerſus nos effudit libros, & Chriſtianam religionẽ tantum non pedibus calcat, nominatos Sapientes numero ſeptem, cùm nouẽ eſſent, hac de cauſa dicit, Hiſtoriæ philoſoph. lib. 1. Piſcatore quodam tractum piſcium adoleſcentibus vendente, accidit ipſo tractu tripodem aureum inueniri, Piſcatore autem dicente, quòd piſces, non menſam vendidiſſet, & adoleſcentibus ad fortunam inuentionem referentibus, viſum eſt iudicium à DEO recipiendum. Ille vt reſponſum dedit, dandam tripodem ſapienti, primò Thaleti menſa adducta eſt, qui illam ad Biantem miſit, quem ſapientem dicebat: at is ad alium: & ille ad alium, donec tripus per ſeptem circuiſſet, & ad primum rediiſſet. Placuit igitur, vt offerretur Deo, qui omnium ſapientiſſimus eſt. Sumpſit à Plutarcho in Solone Cyrillus aduerſus Iulian. lib. 1. Variè narratur hiſtoria apud Laert. lib. 1. in Thalete.

Clemens Alexand. Stromat.lib.1.teſtatum reliquit.4. fuiſſe Aſianos,Thaletẽ Mileſium, Biantem Prienæum,Pittacum Mityleneum,Cleobulum Lindium: duos Europæos,Solonem Athenienſ. Chilonem Lacedæm. Septimum quidam dicunt Periandrum Corinthium,alij Anacharſin Scytham, alij Epimenidem Cretenſem. Horum dicta, & gnomas quomodo tractet Auſon. vide, ſi lubet, Item Heptalogum VII. Sapientum Philippi Beroaldi. Singulorum vitas habes apud Laërtium. Vt autem tertius Cato de viro admodum ſeuero, graui, & vitæ alienæ cenſore: ſic Sapientum octauus per ironiam dicitur de eo, qui ſuo iudicio eſt valde ſapiens, Græcis δοκησίσοφος, vitium δοκησισοφία. Horat. Sat.3. lib.2. *Hæc mihi Stertinius ſapientum octauus amico Arma dedit.* De his VII. accipe ſis quæ ſcripta ſunt apud Arnob. lib.4. cap.1. aduerſus gentes. Septem fuiſſe traduntur primi omnium: quia qui de rebus naturalibus quærere,ac diſputare auſi ſunt, ſapientes haberi, appellarique meruerunt. O miſerũ, calamitoſumque ſæculum, quo per orbem totũ ſeptem ſoli fuerunt, qui hominũ vocabulo cierentur. Nemo enim poteſt iure dici homo, niſi qui ſapiens eſt. Sed ſi cæteri omnes præter illos ſtulti fuerunt, ne illi quidem ſapientes: quia nemo ſapiens eſſe verè iudicio ſtultorum poteſt.

Neminem iure dici poſſe hominem, niſi qui ſapiens eſt, viderint philoſophi, in quorum diſputationibus limatur veritas. Reſpexiſſe Arnobium

bium ad locum Cic. puta, 1. de leg. Animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, quem vocamus hominem. Quæ definitio, ſeu deſcriptio haud in omnes cadit: cecidiſſet autem in omnes, ſi primi parentes, omnium miſeriarum noſtrarum auctores non cecidiſſent.

XI. *Æquanimitas Ariſtidis ad immeritum exilium, & contra iniurioſum manſuetudo.*

OStraciſmus dici poteſt teſtularum depoſitio, cum coniectis in vrnam teſtulis quiſpiam, in decennium plerumque relegabatur, ſic, vt relegato bona ſarta tecta, & intacta relinquerentur. Quod exilij genus Athenienſes non deploratis, infamibus, ſcelerumque compertis; ſed cumulatæ virtutis nomine odioſis, & idcirco Reip. de dominatu inuadendo ſuſpectis adhibebant. Nec tam pœna erat, quàm inuidiæ lenitio, ac leuatio. Hac ratione Ariſtides cognomento Iuſtus, quod illi vni poſt hominum memoriam impertitum ait Æmilius, Themiſtocles, Thucydides, Xantippus, Alcibiades, omnes viri excellentes patria expulſi ſunt. Quod porrò fecit Ariſtides, & lectu, & auditu digniſſimum cenſeo, & Chriſtianis, vt alia multa veterum illorum & Græcorum, & Romanorum ſuſpiciendum, & imitandum maximè. Damnatus oſtraciſmo, quod præter modum iuſtus eſſet,

vt inquit Tuſcul. 5. M. Tullius, cum fortè ruſtico occurriſſet, ille quid hominis ignarus, & literarum neſcius, teſtulam porrexit, ſibique Ariſtidis in ea nomen inſcribi petiuit. Mirari Ariſtides, percunctarique, num qua in re tibi malo fuit Ariſtides? In nulla, ſubijcit ruſticus, ac ne vidi quidem hominem, quod ſciam; verùm Iuſti nomen quod audit, non placet mihi. Hîc Ariſtides tacere, nomen ſuum inſcribere, teſtulam reddere. Plutarch. Diodor.

O eximium patientis animi documentum. O toleranter ferendæ iniuriç præclarum exemplum. Eant nunc delicatuli, & pluma molliores Chriſtiani, qui malum malo compenſare, quod prohibentur, quàm in bono malum vincere, quod iubentur, longè præoptant. Vicit Ariſtides, gratificatus inſuper iniurioſo, & ita ſine Chriſto Chriſtianum ſe exhibens. Immò & in altero, quaſi de diligendo proximo præceptum nobiſcum accepiſſet. Nam in exilium cum abiret, precatus eſt Deos, vt Athenienſibus omnia optata fauſtè, ac fæliciter euenirent. Auctor eſt Probus, ſiue Cornelius Nepos, in tanta paupertate deceſſiſſe, cum tantis rebus præfuiſſet, vt quo efferretur non reliquerit. Quo factum eſt, vt eius filiæ publicè alerentur, & de communi ærario dotibus datis collocarentur.

XII. De-

XII. *Doctrinæ præſagitio, cum laudibus D. Thomæ Aquinatis.*

MVltis in artibus, ſtatibus, ac ſtudiis, quales viri olim futuri ſint, in pueritia, immo in ipſa infantia homines interdum dant indicia. De D. Thoma Aquinate, naturalium, diuinarumq; rerum peritia, & ſanctimonia vitæ clariſſimo legimus. Quoties etiamnum infanti, lacrymantique libellus offerretur, eo correpto flere ſtatim deſinebat. Si quem autem librum annis illis puerilibus conſpexiſſet, ad eum ſubitò accurrens, paginas volutando, tanquam iucundo quodam ludo recreabatur. Id quod intuentibus, & admirantibus ſummæ illius eruditionis, qua poſtmodum matura ætate orbem, ceu ſol quidam illuſtrauit, præſagium, & omen haud dubiũ fuit. Huic parem ſi quæras, alterum phœnicem quærere videaris. Tantæ molis tot volumina ab eo de philoſophicis, ac theologicis rebus cõſcriptorum pæne nihil ignoraſſe declarant. Ob ingenij magnitudinẽ, & perſpicuitatẽ iure Doctor Angelicus nuncupatur. Theologorũ principem, coryphæum, ducem, ſigniferum, anteſignanum, apicem, regem, ſolem, parentem, antiſtitem theologiæ rectè appellaueris. Demetrius Cydonius eius libros contra gentes in Græcum transtulit. Narrat vir doctus lib. de pueris liberaliter inſtituendis, ſe nouiſſe nondum fandi potentem, cui nihil erat dulcius, quàm explicato

volumine legentis ſpeciem repræſentare. Idque cum interdum multis horis faceret, nullo tamen tædio capiebatur. Nec vnquam tam acriter flebat, quin oblato volumine placaretur. Quæ res parentibus ſpem bonam oſtendebat, puerulum hunc aliquando virum egregiè doctũ euaſurum. Eiusdem hoc extat de D. Thoma elogium. Vir non ſuo tantùm ſæculo magnus. Nam meo quidem animo nullus eſt recentium Theologorum, cui ſolidior eruditio; planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum litterarum ſupellex contingeret, qui ijs, quæ per eam tempeſtatem dabantur, tam dextrè ſit vſus. E cuſtodia corporis in cælum euolauit annum agens quinquageſimũ; anno autem poſt diſcipulum magiſter Albertus quinto, cui poſt depoſitum Epiſcopatum Coloniæ in monaſterio viuenti, Thomæ è vita emigratio diuinitus eſt ſignificata. Ipſius autem Alberti corpus ducentis poſt annis incorruptũ eſt inuentum. Crantzius Metropol. lib. 8. cap. 51.

XIII. *Inuicta quorundam fortitudo.*

BEllum Macedonicum contra Perſeum regem Senatus Æmilio Paulo Conſuli creato extra ordinem mandauit. Militabat ſub eodem Catonis Oratoris filius, qui in pugna, dum inter confertiſſimos hoſtes inſigniter dimicat, equo

delapſus pedeſtre prælium aggreditur. Nam cadentem manipulus hoſtium cum horrido clamore, velut iacentem obtruncaturus circumſteterat: at ille citius corpore collecto, magnas ſtrages edidit. Quum ad vnum opprimendum vndique hoſtes cõuolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei è manu elapſus, in mediam cohortem decidit: ad quem recuperandum vmbone ſe protegens, inſpectante vtroque exercitu inter mucrones ſe hoſtium immerſit; recollectoque gladio, multis vulneribus exceptis, ad ſocios cum clamore hoſtium reuertitur. Huius audaciam cæteri imitati, victoriam peperere. Ita Iuſtinus lib. 33. & Plutarch. in Æmilo Paulo. De Cynegyro milite Athenienſi, quanta eius virtus in campis Marathonijs, prælio aduerſus Darium fuerit, idem Iuſtin. lib. 2. Herodot. libro 6. Cum eodem Sceuam, & Acilium Cęſarianos in Iulio capite 68. numerat Suetonius, locum adſcribo. Denique vna ſextæ legionis cohors præpoſita caſtello, quatuor Pompeij legiones per aliquot horas ſuſtinuit, pæne omnis confixa multitudine hoſtilium ſagittarum, quarum centum, & triginta millia intra vallum reperta ſunt. Nec mirum, ſi quis ſingulorum facta reſpiciat, vel Caſſii Sceuæ Centurionis, vel C. Acilij militis, ne de pluribus referam. Sceua excuſſo oculo, transfixus femore, & humero, centum & viginti ictibus ſcuto perforato, cuſtodiam portæ commiſſi caſtelli retinuit. Acilius nauali ad

Maſſiliam prælio, iniecta in puppim hoſtium dextra,& abſciſſa, memorabile illud apud Græcos Cynegyri exemplum imitatus, tranſiliuit in nauem, vmbone obuios agens. Acilium & Sceuam memorat quoque Plutarchus, vbi quorundam militum Cęſarianorum ſpiritũ & ardorem animi per exempla oſtendit: & quomodo eiusmodi ardorem excitare, atque alere Cæſar ipſe conſueuerit docet. De L. Siccio Dentato pæne incredibilia ſcribit Plin. lib. 7. cap. 28. Vt ad filium Catonis redeamus, de eo quid M. Tull. 1. Off. ſcriptum reliquerit, vbi iura belli aduerſum hoſtes conſeruanda docet, pretium eſt audire. *Pompilius Imperator tenebat prouinciam, in cuius exercitu Catonis filius tyro militabat. Cum autem Pompilio videretur vnam dimittere legionem, Catonis quoq; filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Pompilium ſcripſit, vt ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundò eum obligaret militiæ ſacramento; priore enim amiſſo iure cum hoſtibus pugnare non poterat. Adeo ſumma erat obſeruatio in bello mouendo.*

XIV. *De illuſtriſſ: Othone Truchſeſſio, Epiſcopo Auguſtano, & S. R. E. Cardinale.*

TRuchſeſiam familiam in nobilitate Sueuica eminere norunt omnes. Eius ipſius familiæ columen,

ſolumen, atque adeo Germaniæ totius grande decus fuit Otho Cardinalis; de cuius laudibus amplus pateret dicendi campus. Nunc tantum duo eius Sacerdotij, & ἐπισκοπῆς, videlicet προγνωστικὰ in medium afferam, accepta à Thoma Seldio.I. V. Doctore, eiuſdemque Cancellario: qui res Principis ſui inde vſque à puſillo puero notiſſimas habebat, eratq; vir ſpectatæ probitatis,& fidei.Igitur cum adhuc puſio in vlnis portaretur, ſi quando, vt fit, clericus quiſpiam, ſiue Sacerdos ad gerulam accedens,ei cum blanditijs arrideret, ſolebat ille blandientis de capite pileum quadratum auferre, ac ſuo capitulo imponere; effuſusq; in cachinnulos mirificum præ ſe ferre gaudium. An tu hoc ſigno infantem hunc dulciſſimum aliquando magnum Dei ſacerdotem fore non coniectares? Idem iam adoleſcentulus,& paruus Canonicus Auguſtanus, patritios pueros colluſores in ſacellum S. Georgij, quod ędibus è regione templi Cathedralis inædificatū viſitur (quas ædes per id tempus ipſe ſibi attributas incolebat) nonnunquam introducere eſt ſolitus, ἐπισκοπομιμητικῶς prima eosdem tonſura afficere, adhibitis quas norat,& poterat cęrimonijs. Mirari,& ægrè pati matres,& obiurgare filios cum domum redeuntes ita capillis multatos aſpicerent. Illi ſe à Truchſeſio ad hoc inductos reſpondere. Equidem virum hunc viuum me Dilingæ cōſpexiſſe non ſemel, ab eoq; benedictione affectum,cum auditiones rhetoricas obirem,

magnoperè lætor; cuius in memoriam (quanquam is ante annos XLV. nempe à partu virginis anno M.D.LXXIII. Romæ terras deſeruit, & in cælum migrauit) nunquam ſine voluptate regredior, & regredior ſæpiſſimè.

Elogium eiusdem ex Matthæo Radero Societat IESV, de vita Petri Caniſii, lib.6. cap.2.

VIR conſilio magnus, nec minor pietate, idemq́; maxima apud Pontiff. Maximos, & Cæſares auctoritate, inclytum ſacri, purpuratiq́; Senatus Cardinalium ornamentum, exemplum Præſulum, Catholici nominis in Germania reſtitutor, & conſeruator; quoq́; maior epiſcopatus & principatus gradu tanto modeſtior in communi, domeſticaq́; vita. Nemo tam humilis erat fortunæ, quem ipſe vel aditu, vel colloquio prohiberet; imò ſæpe vltro inuitabat, agreq́; ferebat, ſi qui in publicum prodeunti occurrentes, maieſtate viri territi, longius de via decederent, quos ipſe accerſitos vltro compellabat, quamobrem filii patrem fugerent, quos ipſe quæritaret. Idem iuuentuti Germanicæ, cuius pietate, nobilitate, & frequentia plurimum delectabatur, Academiam condidit, Societati IESV, *quæ illam regeret, & ad optimos mores, àc diſciplinas erudiret, contubernium conſtituit. Periiſſet Catholica Rhætia, & Vindelicia, niſi maturè his prouinciis cæleſtis Atlas humeros ſubieciſſet.* Eius oſſa ex

vrbe

vrbe Roma Dilingam transferri curauit Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Henricus Epiſcopus Auguſtanus, condenda in templo, quod iuxta Academiam ſanè magnificum exædificat. Vt quam abiens, & peregre moriens mœſtam reliquit filiam, eandem deinceps ſaltem corporis ſui reliquijs, ceu optatiſſimo theſauro conſolaretur. Nos tanti viri obitum quondam carminibus proſecuti ſumus: de quibus vnum ſaltem Tumulum, ſi placet, recitabo.

Viator, & Muſa.

V. *Ecquis in hoc Mauſolæo, Dea, clauditur heros?*
M. *Delicium heu ſuperûm, deliciumq́; hominū.*
Ottho decus patriæ, fama ſuper æthera notus,
Ottho Teutonici gloria, lausq́; ſoli.
V. *Cur tumulus tantùm madidus?* M. *Quia mortuus Ottho eſt*
Orbis ſinglutu totius, & lacrymis.
V. *Ante alios quare hunc tanto dilexit amore?*
M. *Quòd pius ante alios, integer ante alios.*

XV. *De S. Chryſoſtomo nonnulla, & Nicephori Calliſti* φιλοχρυσοστομία.

QVam lepido, ac non inſuaui commento Ariſtoteles iam in ſenectam vergens, & affecto, mortique vicino corpore Theophraſtum ſibi in docenda philoſophia ſucceſſorem deſignarit, petentibus id à ſe diſcipulis, hominem ſuauitate inſigni linguæ (à diuinitate enim loquen-

di nomen inuenit, Cic. 1. Off. cum antea Tyrtamus audiret) pariter atque vitæ, diſerte expoſitum eſt à Gellio lib. 13. cap. 5. Simili modo Libanius inter eloquentiæ profeſſores, quibus tum Sophiſtis nomen erat, non poſtremus, & de cuius ingenio, atque facundia ex ſcriptis eius, quæ feruntur, exiſtimari poteſt, cum ſub mortem ab auditoribus, & ſectatoribus interrogaretur, quemnam in Sophiſtica ſede ſuccedere ſibi vellet, Ioannem illum reſpondit; niſi virum tam eximium Chriſtiani rapuiſſent. Cauſſam nemo huius de eo iudicii requiret, qui ipſe iudicare poteſt, & ſcripta atque commentarios eius verè aureos legit: & ſatis magnum teſtimonium illi vel ſolum ab ore aureo ductum cognomentum præbet. Multa de eo Niceph. lib. 13. cap. 2. & ſequentibus. Inter cætera de eius orationibus: *quam ſplendidæ namq; ſint, atq; ad perſuadendum ſimul, & demulcendum compoſita, experiri ei licet, qui verſare eas, & legere, vtilitatemq́; earum percipere, & voluptatem diuinam haurire ex eis velit: adeo vt ſe ipſum diuino quodam modo intemperiis agitari, & moderatè, prudenterq́; inſanire crediturus ſit.* Vides quantum ſe Chryſoſtomi oratione delectari, & quomodo ſe eadem ob incredibilem dicendi vim, atque copiam admirandam quodammodo ebrium, nec ſui compotem fieri confiteatur? clariſſimis autem verbis, quam præclarè de eo ſentiat, quantumq́ue ex eo profecerit, in extremo cap. 2. teſtatur. *Ego ve-*

rò, inquit, *ſupra mille eius viri lucubrationes legi, ineffabili quadam ſuauitate diffluentes. Iam enim inde ab adoleſcẽtia amor e eius flagraui. Atq; ſi quid mihi eſt eruditionis, id ei acceptum fero. Multis etiam ex ſectatoribus meis perſuaſi, vt omnibus relictis illum ſibi familiarem facerent.*

De Cicerone, niſi fallor, Quintilianus, eius præcipuus admirator; ad illius laudes explicandas Cicerone opus eſſe: ſic ego aſſeuerare non dubitem, ad ſatis laudandum Chryſoſtomum alio Chryſoſtomo planè opus videri. Iſidorus Peluſiota epiſt. 156. lib. 1. Τῶν τῶ θεῶ ἀπορρήτων σοφὸς ὑποφήτης Ἰωάννης, ὁ τῆς ἐν βυζαντίῳ ἐκκλησίας, καὶ πάσης ὀφθαλμός. Sapiens ille, & eruditus arcanorum Dei interpres Ioannes, Byzantinæ Eccleſiæ, atque adeo Eccleſiarum omnium oculus. De hoc item Muretus noſter, orat. 4. quæ eſt in Senecam de Prouident. *Qui ſingularem vitæ ſanctitatem admirabili quadam & doctrinæ abundantia, & dicendi facultate cumulauit.*

XVI. *Quatuor regum comparatio.*

FErtur libellus Xenophontis de laudibus Ageſilai regis Lacedæmonum, quem quidem libellum Cic. ſcribens ad Luceium epiſt. 12. libro 5. tanti facit, vt eo vno facilè omnes imag nes hominum, ſtatuasq; ſuperatas confirmare auſit.

In

In ea Xenophon Ageſilaum ſuum regi Perſarũ multis partibus anteponit. Nam hic ſuperbiæ Perſicæ morem retinens, in publicum rariſſimè prodibat. Ageſilaus gaudium percipiebat, ſi publicè conſpiceretur. Hic conueniri ſe moleſtè ferebat: ad illum aditus dabantur facillimi. Huic ex dignitate regia videbatur, moras longas rebus, & negotijs, de quibus eſſet appellatus, inijcere: illi quamprimũ tranſactas reddere. Quin voluptates quoque faciliores, parabilioresq; Ageſilaus conſectabatur, cum, qui ſuaues potus Perſarum regibus quæritarent, ij neceſſariò orbem circumirent, & plurimi in dapibus quam delicatiſſimis excogitandis, eorũ gulæ, ventriq; inſeruire ſtuderent. Vt autem ſuauiter ſomnum capiant (verba ipſa Xenophontis) mira arte, & induſtria moliuntur. At Ageſilaus, quoniam patiens laboris erat, bibebat iucundiſſimè quidquid haberet: & quidquid apponeretur, ſuauiſſimè comedebat. Porrò ad ſomni ſuauitatẽ omnis ei locus aptus erat. Qui non ſolum dum ageret lætabatur, verum etiã exultabat, dum cõſideraret, ſe quidem in medijs voluptatibus verſari; barbarum verò intueretur, ſi vellet abſq; dolore viuere, oportere è terræ finibus voluptatis illecebras ſecũ trahere. Quæ ſequuntur prętermitto. Omnes illæ contentiones tribus capitibus comprehenduntur, aditu, ſeu, vt hodie loquimur, audientia, negotiorum confectione, voluptate. In primo Lacedæmonius benignus, ac facilis, in al-

tero diligens, in tertio continens erat. Perſa è diuerſo difficilis, ſocors, voluptuarius. Qui de Perſarum regum mollitie, & luxuria legere volet, Nicolaũ Leon. adeat lib.3.cap.94.& Briſſonium de regno Perſarum, libro 1. Facilitatem ad audiendum commendat in Traiano Plin. Paneg. *Videmus vt prouinciarum deſideriis, vt ſingularum etiam ciuitatum precibus occurrat. Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora: adeunt ſtatim, dimittuntur ſtatim: tantiq; Principis fores excluſa legationũ turba non obſidet.*

Patrem cum filio, Philippum, inquam, regem cum Alexandro committens 1. de Off. Cic. illum ab hoc rebus geſtis, & gloria ſuperatum: facilitate, & humanitate ſuperiorem fuiſſe ait. Sed eorum in multis diſcrepantiam, ac diſſimilitudinem fuſiſſimè perſecutus eſt Iuſt. libro 9. in extremo. Virtute & vitijs patrem filius ſuperauit. Vincendi ratio vtrique diuerſa. Hic apertè, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hoſtibus: hic palam fuſis. Prudentior ille conſilio; hic animo magnificentior. Iram pater diſſimulare, plerumque etiam vincere: hic vbi exarſiſſet, nec dilatio vltionis, nec modus erat, &c. Locus eſt obuius. Philippi laudes prædicat Diodorus lib.16. Alexandri libr. 17. Lampridius de Alexandro Seuero. Quem imitaretur, potiſſimùm Alexand. M. elegit, cuius laudes & audiebat libentiſſimè, & legebat hiſtorias. Itaq; ſtatuam eius inter lararij diuos habebat, ve-

nerabaturque: etſi ebrietatem condemnabat, atque in amicos crudelitatem: delectabaturque eorum lectione ſcriptorum, qui illum ab ijs vitijs tutarentur. Iouian. de Magnif. lib. 1. plura ex eodem Hiſtorico. De eiuſdem regis cõtinentia, ſuperbia, iracundia, & cædibus iniuſtis Q. Curtius lib. 3. ſub finem.

XVII. *Eraſmus Roterodamus honoratus, idem conſputatus.*

VEnerationis ergò, & quò ſibimet animum ad imitationem ipſo aſpectu accenderent, clarorum virorum imagines, ſimulacra, ſtatuas in Muſæis, lararijs, conclauibus, in ædibus, in villis denique ſuis Romanos quosdam habuiſſe conſtat ex Cic. in Orat. perfect. Lamprid. in Alexand. Seuero: ad contemptum, & contumeliam nequaquam. Vtrumque tamen viuenti adhuc illi ter maximo heroi, & principi litterarum, & ſoli Germaniæ (his enim, & ſimilibus titulis quam ſplendidiſſimis, ab eruditis memoria ſua decorabatur) Eraſmo contigit, id quod lib. epiſtolarum 25. ipſemet poſuit. Repetens enim Nicolai Mallarij verba, eſſe nimirum, qui ſibi bonam fælicitatis partem deeſſe iudicarent; quod Eraſmum non vidiſſent, cum corporis eius effigiem, ære fuſam exoſcularentur, eaque intuenda ad amorem ſtudiorum inflammarentur, hoc non prorſus vanum eſſe ducit, tametſi rem Mallarius amplificare videatur. Deinde quiddam ridiculum

ðiculum, quod quidem ſibi in huiuſmodi fauoribus pro faſtus, & inſolentiæ antidoto ſit, ſubiungit de Doctore Conſtantienſi, qui imaginem Eraſmi in chartam expreſſam parieti in conclaui ſuo affixerat, hac ſola de cauſa, vt inambulans, eamq; præteriens conſputaret. Percunctantibus cur ita hominem odiſſet, reſpondebas, ſe illi acceptum ferre hoc calamitoſum ſæculum. Et ſanè cum ex alijs eius monumentis, tum ex ingenti illo codice epiſtolarum, à doctis, & grauibus viris, vt turbarum, diſſidiorum in negotio religionis præcurſorem, incentorem, & fautorem frequēter reprehenſum, & accuſatum cognoſcas. Quid ille contra? ceu lubricus anguis ſeſe verſat; elabi, & effugere pro vaferrimo ingenio ſuo conatur. Verùm, vt opinor, nugas ait. Veriſſimè de eo Iulius Scaliger, maior fuiſſet, ſi minor eſſe voluiſſet. Cui conſonat quod alius de eodem.

Magnus at in rebus niſi tot voluiſſet haberi,
Multo equidem maior, crede, futurus erat.

XVIII. *Exempla ἀντιπαθείας in hominibus.*

QVare nonnullas res nonnulli homines vel oculorū, vel aurium, vel narium, vel guſtatus ſenſibus auerſentur ſummopere, nec ferre ſine graui moleſtia, aut inualetudinis incōmodo queant, cauſas ijs perſcrutandas, & edicendas relinquimus, qui in perueſtigandis occultis, & à natura inuolutis ſtudium conſumere conſueue-

runt: nos exempla duntaxat aliquot producemus, quæ inter legendum notauimus. Germanicus Cęſar, quem Tiberius fratris ſui, nempe Druſi, filium Augusti voluntate adoptauit, nec vocem, nec aſpectum galli ſuſtinebat. Plutarch. de inuidia & odio. Cum eſſem Romę, inquit Pierius Hieroglyph. lib. 8. in Scarabæo, vidi Oliuerium Caraffam, magnæ celebritatis Cardinalem. Is roſarum tempore quotannis ſecedere cogebatur, ſeq; intra ſuos, quos in Quirinali habebat, hortulos claudere, custodijs ad oſtia diſpoſitis, ne quis aut ſalutantium, aut amicorũ officij gratia ingredientiũ roſam inferret. Et in Romana nobilitate inſignis vir Petrus Melinus roſarũ odore plurimum offendebatur; quo tamen nihil nobis eſt gratius. Et quia magnã odoris gratiſſimi copiam roſa emittit, hinc peculiare epitheton *odorata* obtinuit. Tibullus eleg. 1. lib. 3.

Fert caſiam non culta ſeges, totoſq; per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.

Noui ego virum eximiè doctum, qui ad murem vel pictũ tantummodo, aut nominatum exhorreſceret. Aliũ, qui felem propinquã adeo non ferret, vt ei frigidus horror membra quateret. Qui mihi narrabat, patrem ſuum ad felis præſentiã, quanquã eam non videret, nec adeſſe à quoquam audiret, ſolitum primum expalleſcere, ac ſe cõtrahere: deinde gelido ſudore perfundi. Et in omnes eius liberos horrorẽ hunc iſtius beſtiæ ab eo damnaſſe. Noui item qui ranam ne aſpicere

quidem

quidem poteſt: tantum abeſt vt ſibi à βατραχοφάγοις laudatum eius eſum vſurpare velit. Quid eſt quod multi à vini potu ſic naturà refugiunt, vt eius ne odorem quidem tolerent? Poteſt vtique videri miſera, in ſenectâ ætate iſta abſtemiorum natio: quando vinum ſenectutis moleſtiam ac triſtitiam diſcutit, & vt frigus illius calore, ita ſiccitatem dulci humore temperat. Ac propterea Plato adoleſcentibus nullum, (ne ignis igni adderetur) viris moderatum, ſenibus largiorem vini vſum permiſit, quo velut lacte pueri nutriuntur. Cepas, aut caſeum quidam, ſi cibo immiſta forte commederint, per vomitum reijciunt.

XIX. *Modeſta ſui diſsimulatio Philopœmenis Achæorum Ducis, & interitus eiuſdem indignus.*

PLutarch. de hoc in vita. Facilitas ipſius, & ſimplicitas errori hoſpitæ Megarenſi cauſam præbuit. Ea cum forte marito domo abſente accepiſſet Ducem Achęorum ad ſe venire, non ſine tumultu, & trepidatione erat in cœna apparanda occupata. Interim Philopœmenem ingreſſum in ædes, pallio vili amictum videns, famulorum aliquẽ, aut pręcurſorem eſſe rata, monuit, vt ſe in adornanda cœna iuuaret: isq; ſtatim abiecta lacerna ligna cœpit findere. Hoſpes vt domũ reuerſus id vidit, Quid hoc, inquit, ô Philopœmẽ, rei eſt? Quid aliud, reſpondit ille, niſi deformitatis meæ pœnas luo? D 3 Ex-

Excitato bello inter Meſſenios, & Achæos, Philopœmen idem capitur; non quia pugnando vitæ pepercerit: ſed dum ſuos in prælium reuocat, in tranſitu foſſæ equo præcipitatus, à multitudine hoſtium oppreſſus eſt. Quem iacentem Meſſenij ſeu metu virtutis, ſeu verecundia dignitatis interficere auſi non fuerunt. Ita velut in illo omne bellum confeciſſent, captiuum per vniuerſam ciuitatem, in modum triumphi circũduxerunt, effuſo obuiam populo, ac ſi ſuus, non hoſtium Imp. aduentaret: nec victorem Achæi auidius vidiſſent, quàm victum hoſtes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci iuſſerunt, vt omnes contuerentur; quem potuiſſe capi ſingulis incredibile videbatur. Inde in carcerem ducto, verecundia magnitudinis eius venenum dederunt: quod ille lætus, ac ſi viciſſet, accepit. Iuſtin. lib. *32*. Pauſan. lib. 8. In quo ſanè viro bonorum, & fortium virorum omnis propè eſt conſumpta progenies. Legebat libros de re bellica, & Epaminondam ad imitandum ſibi delegerat.

XX. *Mollities admirabilis*.

SMyndyrides Sybarita, (Seneca Myndyridem nominat *2*. de Ira cap. *25*.) adeo in luxuriam, mollitiemque prolapſus eſt, vt cum omnes Sybaritæ delicijs vacarent, vitaque diffluerent, hic omnes poſt tergum longè relinqueret. Proinde quodam tempore in roſarum folijs recumbens,

ſom-

ſomnúmque in ijs carpens, expergefactus dixit, ſe puſtulas ex nimia lecti duritie inflictas habere. (Seneca, quod roſæ folijs duplicatis incubuiſſet.) Quomodo hic vel humi, vel in ſtragulo, vel in gramine collis acliuis cubare potuiſſet, vel etiam in pelle tauri, vt Diomedes, qualis lectus decet militem fortem, & generoſum? Ælian. lib. 9. cap. 24. Addit aliud Seneca. Qui cum vidiſſet fodientem, & altius raſtrum eleuantem, laſſum ſe fieri queſtus, vetuit illum opus in conſpectu ſuo facere. Ad extrema deliciarum venio. Sicyonem ad nuptias Agariſtæ Cliſthenis filiæ ambiendas proficiſcens, aucupes, piſcatores, & coquos mille ad domeſticum luxum ſecum duxit, & pro inſigni fælicitate iactare ſolitus eſt, ſe à viginti annis ſolem nec orientem, nec occidentem vidiſſe, aſſiduè ſcilicet in menſa, aut in lecto. Hæc Lipſius ibid. in Scholijs, ex Herodoti lib. 6. Athenæi 6. & 12. Multa de Sybaritarum delicijs eodem lib. 12. Athenæus & Nicolaus Leon. lib. 3. cap. 97. De eorundem vita delicata, luxu, & mollitie lege Iuniū Cent. 8. Prouerb. 13. Præterea quos nominat Schottus noſter Scholijs in Zenobium, prouerb. 27. Sybaritica menſa, Cent. 5. Laborauit grauiter hac inſania omnium non bipedum tantùm, ſed & quadrupedum nequiſſimus Heliogabalus. Vt omittam cætera, primus triclinia, lectos, ac porticus omni florum genere ſtrauit, lilijs, violis, hyacinthis, & narciſſis: ac per eos ambulauit:

neque in culcitris, ſeu accubitis (vt appellant) facile cubuit, niſi quæ leporinum pilum haberent, aut perdicum plumas ſubalares. Ex Lampridio Crinit. lib. 23. capite 2. Ex Clearcho narrat Athenæus Sangarin Mariandynum præ mollitie ad ſenectutem vſque nutricis ore cibatum fuiſſe, ne mandendo fatigaretur.

XXI. *Auaritia ſingularis.*

EX Chryſippo Athenæus libr. 4. duo huius odioſiſſimi, maximeque deteſtandi ſceleris, cuius comites rapina, mendacium, perfidia, proditio, periurium, paradigmata producit. Quidam cum ei mors ſupra caput eſſet, deuoratis non paucis nummis aureis, ſic mori voluit. Alius inſutis illis in tunicam, indutaque ipſa, mandauit cognatis, vt ſic eum humarent: neque corpus comburerent, aut alium vllum cultum adhiberent; metuens, vt apparet, ne aliqua ratione auro illo ſpoliaretur. Pet. Victorius li. 13. cap. 13. Qui auariores fœneratoribus? Vetulus igitur quidam de hoc genere, hominem mutuam ab ſe pecuniam petentem, & crucem argenteam, in qua de ligno ſanctę crucis particula incluſa erat, pignori opponentem ad filium miſit, quòd ſe iam artem ſuam deſiiſſe diceret. Simul autem famulum, qui filium moneret, in argento illo aliquid ligni latere. Quare tanto minus pecuniæ pro munero daret, quantum lignum illud appenderet. Euclionem Plautinum in Aularia

Iularia Strobilus ἐμφατικῶς, vt ſupra nihil poſſit, coco deſcripſit.

St. *Vah.* C. *quid eſt negotii?* St. *quid negotii ſit rogas?*
Pumex non aque eſt aridus, atque hic eſt ſenex.
C. *Ain' tandem ita eſſe vt dicis?* St. *tute exiſtima.*
Suam rem periiſſe, ſeq; eradicarier,
Quin diuûm, atq; hominum clamat continuò fidem,
De ſuo tigillo fumus ſi quà exit foras.
Quin quum it dormitum, follem obſtringit ob gulam.
C. *Cur?* St. *ne quid anima forte amittat dormiens.*
Aquam hercle plorat, cum lauat, profundere.
Famem hercle vtendam ſi roges, nunquã dabit.
Quin ipſi pridem tonſor vngues dempſerat.
Collegit, omnia abſtulit præſegmina.
Pulmentum pridem ei eripuit miluius,
Homo ad Prætorem plorabundus deuenit.
Infit ibi poſtulare plorans, eiulans,
Vt ſibi liceret miluium vadarier.
Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium.

In prouerbijs cenſere licebit, Euclionis gallus gallinaceus; item, Euclionis ſordes. Iun. Cent. 1. Adag. 40. De auaritia inexplebili Rufini Præfecti prætorio Arcadij Aug. Claudian. lib. 1.

Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi: non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli: totumq; exhauſerit Hermum.

Eius caput pilo affixum Conſtantinopolim portatum eſt, & abſciſſa manus dextera ad dedecus inſatiabilis auaritiæ oſtiatim mendicauit, Hieroym. epiſt. 3. ad Heliodorum.

XXII. *Atra bile perciti, & inſani, quos vulgò maniacos nominamus.*

EX vitiatis humoribus, atræ bilis exceſſu, & aliquando opera dęmonũ, aut morbo perturbata phantaſia, mira, & ſtupenda homines pati ſibi videntur. In Commentario de rebus admirabilibus, qui Ariſtoteli adſcribitur, hæc reperimus. Aiunt quendã mente captum Abydi fuiſſe, & in theatrum euntem multos dies ſpectare, tanquam aliqui in eo actores eſſent, & applaudere ſolitum. Qui poſteaquam reſipuit, dixit, totum illud tempus, quo mentis non erat ſuæ, iucundiſſimè ſibi traductum eſſe. Tangit hiſtoriam Horat. ep. vlt. lib. 2. Quanquam Argis, non Abydi contigiſſe dicat.

——— *fuit haud ignobilis Argis,*
Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorq́; theatro.

Huic geminum eſt, quod interpretes ex Athenæi lib. 12. hoc loco recitant, de Thraſylao quodam, qui naues omnes in Pyręeum appulſas ſuas eſſe credens, eas & annotabat, & emittebat, adminiſtrabatq́; ſi quæ etiam recenter appuliſſent, magno eas gaudio, perinde ac verus tan-

tarum

tarum rerum dominus excipiebat. Quod verò aliquas perire contingeret, nulla inde cura afficiebatur, gaudens quotquot euaderent incolumes: atque ita plurima cum voluptate degens. Quem cum frater Athenas è Sicilia veniens, medico tradens ab inſania liberaſſet, fatebatur ipſe, ſe nunquam vixiſſe iucundius. Teſtatus eſt idem, de quo Horat. vt diximus ex Ariſtotele: ac proinde amicorũ cura ſanatũ ſe, moleſtè paſſus eſt.

Aſt vbi cognatorum opibus, curaq́ refectus
Expulit elleboro morbum, bilemq́ meraco,
Et rediit ad ſe: pol me occiſtis, amici,
Non ſeruaſtis, ait, cui ſic extincta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Piſander iſtoc morbo correptus, ab anima ſua deſtitutum ſe putabat, cui ne occurreret, impensè formidabat. Hinc adagium in immodicè formidoloſum, Piſandro timidior. His accenſe Virgines Mileſias, quæ ſuſpendio voluntario interibant: nec prius inſanire deſierunt, quam decreuit ſenatus, vt quæ poſthac ſe ſuſpenderẽt, nudato corpore omnes per fori medium efferrentur. Deterruit illas à facinore ingenuus pudor. Vide Nicol. Leon. lib. 2. cap. 18. Proeti filiæ vaccas ſeſe putantes, impleruntfalſis mugitibus agros. Eclog. 6. de quibus Politianus Miſcellan. cap. 50. & Probus Maronis interpres. Reperti ſunt Galeno, & Auicenna teſtibus, qui ſe vaſa fictilia crederent, & idcirco hominum attactum,

ne

ne confringerentur, ſollicitè fugerent. Alij ſeſe aues, alij leones imaginati ſunt. Hiſpanum nobilem per deſerta locorum, & montes vagari ſolitum narrant, quod phantaſia vitiata in vrſum ſe mutatum putaret. Ex Galeno & hæc refert Rhodiginus lib. 17. cap. 2. Alij gallum conſpicati, priusquam edat cantum, alas excutere, ipſi quoque conſimiliter brachia motitant, mox & canunt. Sunt quos perpetuo timor percellit, ne cælum ruat, & omnes vna pereant ruina; proinde fugam ſemper meditantur; vt ſi fieri queat, ſeſe extra mundi clauſtra proripiant. Cuidam diuiti famem timenti, ſubinde falſæ hæreditates nuntiabantur, vt Celſus inquit. Lege adagia, In nihil ſapiendo vita iucundiſſima. Et rurſum, Inſania non omnibus eadem. Fuerunt, & erunt adhuc fortaſſis qui ſibi Pontifices Maximi, Romani Imperatores, magni Principes, & neſcio quæ immanes belluæ videbuntur: vt proinde funibus, & catenis conſtringendi ſint. Ridiculum valde quod ſubiungam. Fuit qui ſe granum milij putaret: quare cum miſere formidaret, ne à gallinis deuoraretur, illas exoſus omni ope fugiebat. In hunc ordinem τῶν μελαγχολώντων referatur licet Sophoclæus Aiax μαστιγοφόρος, qui poſtquam arma Achillis eius competitori Vlyſſi à ducibus adiudicata fuerunt, per inſaniam in greges, & armenta irruit: pecudúmque alias mactans, alias in tentorium ſuum abigens

abigens iniuriam ſibi à Græcis factam, dum eos ita tractaret, ſe perſequi exiſtimabat. In his inſignum arietem ſuſpenſum pro Vlyſſe flagellabat diriſſimè.

XXIII. *Exercitus Alexand. M. à principio, primusq́; cum Dario conflictus.*

QValis, quantusque fuerit huius domitoris gentium exercitus, & de primo eius prælio cum Dario, in campis Adraſtijs inito; ex Iuſtino lib. 11. & alijs auctoribus nobis dicendum eſt. Habuit peditum XXX. duo millia, equitum quatuor millia quingentos, naues CLXXXII. At Plutarchus; quod notauit Bongarſius, prodidit quoſdam ei tribuiſſe triginta millia peditum; quot etiam Diodorus, & Arrianus. Alios quatuor ſupra triginta millia. Equitum autem illi quinque, hi quatuor fuiſſe millia tradiderunt. Diodorus in equitibus cum Iuſtino facit; & nauibus longis ſexaginta traieciſſe Helleſpontum. Frontinus lib. 4. cap. 1. ſolis hominum XL. millibus orbem terrarum aggreſſum ſcribit. Ad hunc exercitum alendum ei non præter LXX. talenta, & 30. dierum commeatus ſuppetebant, vt Plutarchus meminit. Pergamus verba Iuſtini annumerare. Hac tam parua manu vniuerſum terrarum orbem vtrum ſit admirabilius vicerit, an aggredi auſus fuerit; incertum eſt: cum ad

tam

tam periculoſum bellum legeret non iuuenes robuſtos, nec primum florem ætatis, ſed veteranos: pleroſque etiam emeritæ militiæ, qui cum patre, patruiſq; militauerant, elegit: vt non tam milites, quã magiſtros militiæ electos putares. Ordines quoq; nemo niſi ſexagenarius duxit: vt ſi principia caſtrorum cerneres, ſenatum te alicuius priſcæ reipub. videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitauit: nec in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit. Contra rex Perſarum Darius fiducia virium nihil aſtu agere, affirmans ſuis, occulta conſilia victoriæ furtiuæ non conuenire: nec hoſtem regni finibus arcere, ſed in intimum regnum accipere: glorioſius ratus repellere bellum, quam non admittere. Prima igitur congreſſio in campis Adraſtijs fuit. In acie Perſarum ſexcenta millia militum fuere, quæ non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum ſuperata, terga verterunt. Magna itaque cædes fuit. De exercitu Alexandri nouem pedites, centum viginti equites cecidere. Quos rex impensè ad exemplũ cæterorũ humatos, ſtatuis equeſtribus donauit, cognatiſque eorum immunitates dedit. Poſt victoriam maior pars Aſiæ ad eum defecit.

Primum prælium ad Granicum flumen commiſſum, ac de Darianis occubuiſſe millia peditũ xx. equites bis mille quingentos: de Alexandri exercitu non niſi xxxiv. homines, quorum

ix.

1x. pedites fuerint, ex Ariſtobulo Plutarch. tradit.

XXIV. *Ingens medicorum numerus in ciuitate.*

GOnella ſeu fabulator faceriſſimus, ſeu ioculator comis admodum interrogatus aliquando à Nicolo Marchione Ferrarienſi, quarũ nam ſiue artium, ſiue facultatum in vrbe Ferraria maior eſſet numerus? confeſtim, quis id dubitet, medicorum maiorem eſſe numerũ. Tum Nicol. O inanem hominem, & vrbis huius artium; opificumque ignorantiſſimũ: quippe cũ vix duo, tresúe ad ſummum Ferraria medicos habeat, ſiue ciues, ſiue externos. Ad id Gonella. O principem maioribus rebus deditum, qui ob eas vrbem ſuam, ſuosque ciues ignoret peniriſſime. Tum Nicolaus, Quid, ſi hoc falſum, quod ipſe aſſeris? & Gonella, quid ſi ego verus? Ibi ſiue pœna, ſiue mulcta ex compacto ei qui vanus inuentus eſſet, conſtituta eſt. Igitur inſequenti die ſub auroram Gonella pro templi aſtans foribus, obducto pellibus ore, ac gutture, interrogantibus qui in templũ ingrediebantur, quonam morbo laboraret, reſpondebat ſingulis, dentium dolore; ſingulis etiam aliquod remedium dolori ſuggerentibus: quorum ipſe & nomina cõſcribebat, & remedia. Atque hac ratione vrbem perreptans, perſcrutandoq; remedia ſingulos,

qui obuiam fierent percunctatus, ſupra trecentos homines medicinam dolori tradentes notauit in tabella. Quo facto regiam ingreſſus, qua hora Nicolaus prandebat, ſeſe obtulit, inuolutis & ore, & ceruicibus ingentem dolorem ſimulans. Nicolaus aſtu viri parum cognito, cum intelligeret illum haud bene valere à dentibus; hoc ſtatim, inquit, remedium, Gonella, adhibe; laudabis Nicolaum; è veſtigio enim ſanus eris. His Gonella acceptis domum regreſſus, tabulam inſtruit, remedia illa, remediorumque auctores continentem. Ac primo loco Marchionem adſcribit, inde alios atque alios delectu adhibito; tertio die quaſi ſanus, atque à dolore liber, nudata gula, ac ceruicibus Principem adit: docet quæ conquiſita, & comprobata fuerint; mulctam ab illo expoſcit, atque in ius illum ſe adducturum minatur; atque his dictis tabulam Marchioni legendam exponit. Ibi Marchio primum ſe inter medicos locum tenere conſpicatus, inde alios atque alios primates viros, à riſu continere nequiens, ſeque victum confeſſus, pecunia illi vt ſolueretur imperauit. Iouian. de Ser. lib. 6.

XXV. *Equus cauda multatus, & aſini arridentes.*

PRinceps idem Nicolaus equi Gonellæ huius caudam clanculum nouacula abſcindi iuſ-

Ille hoc præcepto, aſellis, qui eodem in ſtabulo nutriebantur particulam labrorum ſuperiorum abraſit. Delatus apud Principem non excuſauit factum: rogauit tantummodo damnum vti æſtimaretur, ipſiusque ad conſpectum religati producerentur, quo æſtimatio ipſa æquius fieri poſſet. Primo itaque loco veſte ducebatur Gonellæ equus, caudæ vix fruſtum motitans. Subſequebantur aſelli ſuo ordine illigati. Qui vt ante illius conſpectum ſtetere, resque ipſa oculis omnium expoſita eſt, atque animaduerſa, nec Princeps ipſe, nec quiſquam ex ijs qui aderant fuit, quin riſu dirumperetur. Tum Gonella, nec tu, Princeps, in ſolio conſtitutus, nec quiſquam è judicibus, quamuis grauis ac ſeuerus, ad hoc ipſum ſpectaculum tenere riſum potuit, tunc aſinos, tunc beſtiolas has à riſu continueris, dum equum tam ipſis familiarem decaudatum contuentur? Quo audito iteratus eſt riſus, Gonellaque ipſe abſolutus, commendatusque vt facetorum omnium princeps, ſuauiſſimarumq; facetiarum artifex ſuauiſſimus. Idem ibid.

XXVI. *Socraticæ diſsimulantiæ.*

DE Græcis autem, ait M. Tull. 1. de Off. dulcem, & facetum, feſtiuiq; ſermonis, atq; in omni oratione ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominarent, Socratem accepimus. Et 2. de Orat. Socrates in εἰρωνείᾳ, diſſimulantiaque longè omnibus lepore, atque humanitate præſtitit. Huius igitur diſſimulationis aliquot exēpla ex Iouian.

lib. 6. de Sermone ſubiungere, ſtat ſententia, Mater mea Chriſtiana de me admodum puero cum eſſet ſollicita, ſciretque me aſſiduum agere apud Grammaticum, primasq; ferre inter condiſcipulos partes: nec laudare coram vellet, aliquando his me adoriebatur. Quid, ô fili, de te audio? quòd hodie ſuperatus è ludo diſceſſeris, in themate latinis verbis explicãdo. At ego mellitum tibi edulium parauveram, quod ſperarem te victorem literaria è contentione rediturum, redis victus. Quod igitur tibi parauveram, ad eum ſum qui te vicit miſſura. His itaque, & alijs mater gaudium diſſimulabat, dum laudare me puerum coram omnino defugit, Socraticamque per diſſimulationem hortabatur ad perdiſcendas literas. Quin etiam prudens hæc diſſimulantia plurimum ſecum fert momenti, & in laudando, & in vituperando. Anton. Pauormita cum irridere vellet è philoſophantium claſſe quempiam, perinde atque admirabundus dicebat. Hic decimo poſt anno quidquid profecit, primo quidem ſtudiorum die profecit. Horat. etiam in ſectãdis vitijs, atque irridiendis ineptijs magnopere eſt Socraticus. Quid quod Hannibal eodem irriſionis genere luſit Antiochum regem? Cum enim rex ille ſuas oſtentaret copias & numero peringentes, & armis, auro, & argento collucentibus inſtructas, percunctanti, ſatiſne eas aduerſus Romanos putaret: ſatis, reſpondit, ſi vel auariſſimi ſint. Franciſcus Pudericus Grammaticum cum

com-

commonefaceret, cuperetque illum minus excandeſcere erga diſcipulos, temperantiuſq; illos verberare, vocatum ad ſe huiuſmodi aggreſſus eſt dictis. Quid hoc, amabo, quod aliorum quidem Grammaticorum diſcipuli ſuis de inſtitutoribus queri conſueuere, ferula quòd nimis ſæuiant: te verò ipſum incuſant, quod nec iraſci ſcias, nec ſcuticula ferire? itaq; diſſimulanter dum loquitur, Grammatico ruborem induxit.

Reperti ſunt Philoſophi, quibus Socratis εἰρωνεία adeò non probaretur, vt cum ſcurram Atticum nominare non dubitarint. Cic. lib. 1. de nat. deor. Quam familiaris fuerit Athenienſibus εἰρωνεία, & iocandi ratio, Caſaubon. Notis in Characteres Theophraſti.

XXVII. *Quorundam ἀπάθεια Stoica.*

IN ſtabili, & æquabili conſtantia aduerſus affectus, ac perturbationes animi, maguopere laudata à Stoicorum ſchola perſtitiſſe quoſdã extat literis, nempe Socratem, Heraclitum, Diogenẽ, Pyrrhonẽ de Græcis; de Romanis Marcum Craſſum, qui ſemel in tota vita riſit. Præterea M. Antoninum Imp. cognomento Philoſophũ, Philippum Iuniorẽ Auguſtum, qui cum patre imperauit, anno ab v. c. milleſimo. Hic tam ſeueri, & inflexibilis animi fuit, vt nullo vnquã cõmẽto, nulliſq; rationibus ad riſum ſolui, aut excitari potuerit. Et quod ſeueritatis exemplũ eſt maximũ cum

patrem forte aſpiceret, ludis ſæcularibus petulátius cachinnantem, eum ipſum auerſo vultu notauit, vt ab Eutropio traditum eſt. Crinitus lib. 21. cap. 1. De Heraclito, & Diogene Solinus capite 5. Nihil vnquam de rigore animi remiſerunt, calcatiſque turbinibus fortuitorum, aduerſus ortum dolorem, & miſeriam vniformi durauere propoſito. Cic. 3. Tuſcul. productis è Phormione Terentij verſiculis, quibus monet, in rebus ſecundis meditari oportere, quo pacto animo pacato, & tranquillo perferamus, cum venerint, res aduerſas, ita pergit, Socratis ἀπάθειαν cómendans. Ergo hoc Terentius à philoſophia ſumptum, cum tam cómodè dixerit, nos, è quorum fontibus id hauſtũ eſt, non & dicemus hoc melius, & conſtantius ſentiemus? Hic eſt enim ille vultus ſemper idem, quem dicitur Xantippe prædicare in viro ſuo ſolita fuiſſe Socrate: eodé ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo, & reuertentem. Nec vero ea frons erat, quæ M. Craſſi illius veteris, quem ſemel ait in omni vita riſiſſe Lucillius: ſed tranquilla, & ſerena: ſic enim accepimus. Iure autem erat ſemper idem vultus, cum mentis, à qua is fingitur nulla fieret mutatio. M. Antoninus Imp. Capitolino teſte, tantæ tranquillitatis fuit, vt vultum nunquam mutauerit mœrore, vel gaudio: philoſophiæ deditus Stoicæ. Rurſum. Denique Antonino, cum ſuos mores ſemper teneret, neque alicuius in ſuſurratione mutaretur, nó obfuit gladiator filius, vxor

Infamis. Contra Stoicorum ἀπάθειαν diſſerit. Lactant. lib. 5. cap. 14. & ſequentibus.

XXVIII. *Clementia aduerſus hoſtes.*

CVm Tyanam Bithyniæ vrbem veniſſet Aurelianus Aug. eamque occluſam reperiſſet, iratus dixiſſe fertur: canem in hoc oppido non relinquam. Tunc & militibus acrius incumbentibus ſpe prædæ, & Heraclammone quodam, timore, ne inter cæteros occideretur, patriam ſuã prodente, ciuitas capta eſt. Sed Aurelianus duo ſtatim præcipua, quorum vnum ſeueritatem oſtenderet, alterum lenitaté, ex imperatoria mente monſtrauit. Nam & Heraclammonem proditorem patriæ ſuæ ſapiens victor occidit; & cum milites iuxta illud dictum, quo canem ſe relicturum apud Tyaneos negarat, euerſionem vrbis expoſcerent, reſpondit ijs, canem negaui me in hac vrbe relicturum: canes omnes occidite. Grande Principis dictum, grandius militum votum. Nam dictum Principis, quo præda negabatur, ciuitas ſeruabatur, totus exercitus ita quaſi ditaretur accepit. Flauius Vopiſcus. Bene Caſſiodor. variar. lib. 2. ep. 9. Benigni Principis eſt ad clementiæ commodum tranſilire terminos æquitatis: quãdo ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant. In eadem claſſe ponendum quod Iuſtinus lib. 7. de Philippo Macedonum rege prodidit memoriæ.

Cum Methonam vrbē oppugnaret, in prætereuntem de muris ſagitta iacta, dexterum oculum eius effodit. Quo vulnere nec ſegnior in bellum, nec iracundior aduerſus hoſtes factus eſt: adeo, vt interiectis diebus pacem deprecantibus dederit: nec moderatus tantum, verum etiam mitis aduerſus victos fuerit.

Principem maximè decere clementiam, & quantũ ex ea boni adipiſcatur, Seneca docet lib. 1. de Clement. cap. 3. in hæc verba. *Ita enim magna vires decori, gloriaq; ſunt, ſi illis ſalutaris potētia eſt. Nam peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis fundataq; eſt, quē omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque vniuerſorum quotidie experiuntur: quo procedente non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt: ſed tanquam ad clarum, & beneficum ſidus certatim aduolant, obijcere ſe pro illo mucronibus paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illam humanam iter ad ſalutem ſternendum ſit, &c.* Cognoſce præterea, ſi lubet, quantopere eiuſdem lib. cap. 10. à clementia Auguſtum commendet. De Sp. Tarpeij arcis Romanæ Præfecti filia ob arcem ſibi proditam armis à Sabinis obruta, & necata prodendi exempli cauſſa, ne quid vſquam fidum proditori eſſet, Liuius lib. 1. Proditionem ſe amare, proditorem odiſſe dicebat Philippus Rex Macedon. Idem dicere ſoliti Antigonus, & Iulius Cæſar.

Quod

Quod quidem dictum ab erudito viro hac ſimilitudine reperio illuſtratum. Quemadmodum qui felle, aut venenis beſtiarum ad remedium opus habent, tantiſper illis delectantur, dum indigent: vbi deſierunt egere, oderunt, horrentque: ita nemo diligit proditorem, niſi dum illius abutitur vitio. Vbi contigit, quod per illum petebat, odit, ac deteſtatur ſceleroſum; nec audet illi fidere, cuius perfidiam expertus ſit in eos, quibus cumprimis erat præſtanda fides.

XXIX. *Mutatio morum Polemonis Philoſophi, & eius effigies.*

ADoleſcens Polemo, genere Athenienſis, in omnem ſe ſe voluptatum intemperantiam effundebat. Aliquando temulentus, & coronatus in ſcholam Xenocratis Philoſophi ſeueriſsimi ingreſſus, nec docentē ferociore aſpectu, & geſtu deterruit; quin etiam feruentius de Temperantia inchoatam diſſertationem continuauit. Inde voluptarius, ac perditus adoleſcens commotus, ſeſe paulatim collegit, ad virtutem, & philoſophiam incumbere cæpit; tantoſque progreſſus habuit, vt Xenocrati in docendi munere ſuccederet, viueretque cum ſumma grauitate, & conſtantia: propter probitatis ſtudium toti ciuitati chariſſimus, & honoratiſſimus. Hæc delibata ſunt ex Laertij libro quarto,

Gregorius Nazianzenus in carmine iambico eadem commemorans, adiungit quiddam de hoc Polemone, permirum ſanè, & relatu planè dignum, quomodo ſola eius effigies depicta, mulierem famoſam fugauerit, quamque meditabatur turpitudinem impediuerit.

Si valuit tantùm homo altiſsimis tenebris infidelitatis, & paganiſmi ſepultus, vt grauitatē vultus ſui non viui, ſed picti tantum probroſam mulierem fugaret, an non æquum eſt credere, viuum Saluatoris noſtri vultum plus valuiſſe ad attrahendos ad ſe; & obſequium ſuum peccatores? Auctor Comment. in Matthæum. Hieronymus Porphyrium, & Iulianum Aug. vel imperitiam Euangeliſtæ, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim vocantem ſecuti ſunt Chriſtum damnantes redarguens, ait haud temere iſtuc feciſſe, cum tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos ab eo vocatos vidiſſe dubium non ſit. Præterea fulgorem iſtum, & maieſtatem diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe venientes trahere potuiſſe aſpectu. Similitudines ſuccini, & magnetis, annulos, ſtipulas, & feſtucas ſibi copulantium adiungit, & à minorum comparatione argumentum ducit.

XXX. *Odoramentum de horto, & aliud de ſtabulo.*

Quam

QVam ſint varia cuiuſq; ſenſus oblectamenta, & gaudia, notum eſt omnibus. Rurſus, non ignotum, haud ex eodem genere obiecti vel omnes homines, vel omnes æquè voluptatē capere ſolere. Aliud alij libet potius, aut libet amplius. Quis fuit, quem delectabat magis hinnitus equi in patria, quam Athenis blanda muſica? Horat. ep. 2. lib. 1. de guſtatu.

Tres mihi conuiuæ prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diuerſa palato.

Roſa, quæ καὶ' ἐξοχὴν flos, & regina florum, quid odore ſuauius? Quare & ſuauis, iucunduſque ſermo eius nomine honeſtatur. Ariſtoph. in Nub. ῥόδα μ' εἴρηκας, roſas mihi dixiſti. Et tamen quoſdam offendit, vt hiſtoria. XVIII. retulimus. At minimè C. Verrem, qui teſte M. Tullio Verrin. 7. cum roſam videbat ortam, tum incipere ver arbitrabatur: nec eius initium à Fauonio, aut ab aliquo aſtro notabat; adeo rudis erat, & præ vulgo nihil ſapiens. Quam mollis, & delicatus idem, & ῥοδόφιλος fuerit, orator ſic demonſtrare pergit. Cum ver eſſe cœperat, dabat ſe labori, atque itineribus: in quibus vſque eo ſe præbebat patientem, atque impigrum (εἰρωνικῶς) vt eum nemo vnquam in equo ſedentem videret. Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica hexaphoro ferebatur: in qua puluinus erat pellucidus, Melitenſis, (linum ſiquidem Melitenſe à tenuitate, ac ſubtilitate commendabatur) roſa fartus; ipſe autem coronam habebat (de roſis

puta) vnam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares ſibi admouebat tenuiſſimo lino, minutis maculis, plenum roſa. Nonne exiſtimas hunc etiam optaſſe, quod Catulli Fabullũ, cui vnguentum pollicebatur? deos rogaturum ait, totum vt ſe naſum facerent, quò odoris delicatiſſimi quam plurimum haurire, eo ſe complere, & explere poſſet. Omnes flores Verri præ roſa hircum olebant. Contra Copronymo Imp. omnibus ſceleribus contaminatiſſimo equorum retrimenta pro roſis erant. Itaque vt tam ſuauiter fragrantibus aſpirationibus abundè frueretur, ſæpius in equile deſcendebat. Et huic ſacculum, aut reticulum minutis maculis, recentibus illis rutundis plenum, ad collum appendi oportebat, vt beneolentes illas auras naſus continenter duceret. Egregios duos odorum captatores lectori animi gratia contemplandos propoſui. Copronymi Eccleſiæ perſecutoris elogium ex Annalibus Conſtantini Manaſſis non prętereibo. Conſtantinum, inquit, cui fœdum, & abominabile nomen à ſtercore datum eſt; quem non inconuenienter prognatum ex aſpide viperam, ex elleboro cicutam, ex ſcorpio draconem, ex Nabuchodonoſore Balthaſarum quis appellauerit. Copronymi nomen à ſtercore adeptus eſt, quod eo ſacrum fontem, dum à Germano Patriarcha tingeretur infans, infeciſſet. Ex quo idẽ Patriarcha Eccleſiam vexaturum diuinitus præuidit, & prædixit. A fimo autem, & reliquijs illis

lis equinis, quarum odorem conſectabatur, dictus eſt Caballinus. Refert Cedrenus.

XXXI. *Canis Peruanus, leo Getulicus.*

EPiſtolæ Iuſti Lipſij ſæpenumero afferunt aliquid, quod ſcire non ſolum proſit, ſed etiam iuuet, ac delectet; etſi peculiaris, ac proprius epiſtolæ finis non ſit doctiorem reddere. Sed quis hodie ijs ſcribendis ſe præceptiunculis, quas à multis editas habemus, alligatum velit? Quomodo igitur in neſcio quota cuiuſdam centuriæ Miſcellaneæ (quinque autem ſunt) elephantum laudauit, idque diſtinctiſſimè, nempe diſtributis in certa capita multis eius belluæ laudibus: ſic Centuria prima ad Belgas epiſtolam XLIV. dat commendandis canibus, ſimili methodo, (vt eſt εὐμεθοδικώτατον) conſeruata. Vbi ergo oſtendit, non dedecere cultores litterarum canum conſortium, & olim heroibus fuiſſe aſſeclas, & ſtipatores: fuiſſe item caros gentibus; nullum animal eſſe hominum amantius: & ingenuè ſuam φιλοκυνίαν quàm à parentibus velut hæreditatem acceperit, vel potius, vt ipſius verbis vtar, à ſemine duxerit, à lacte ſuxerit, à conſuetudine traxerit, confeſſus eſt, quatuor ex eorum dotibus ſeligit, quas celebret, robur, ingenium, vigilantiam, fidem; mira, nec protrita in medium adducens. Explicationem primam, roboris ſcilicet, in hiſtoriola ridicula

finit, quam ad verbum recitabo: ſiquidem & in hiſtorijs hiſce noſtris, vt toto volumine, inprimis animorum relaxationem, & jucunditatem nobis propoſitam eſſe te monui.

Romani olim in Sardinia cum bellum non explicarent, hoſtibus in ſaltus, ſpecusq; profugis, & ex occaſione inuadentibus, M. Pomponio Prætore, canes ex Italia arceſſiuerunt, & eorum opera è latebris eductos inuenerunt, id eſt, vicerunt. Idem nuper in Peruana India Hiſpani, qui ſiluas, & vaſtum illum tractum canum commilitio excuſſerunt, ſubegerunt. Memini hiſtoriolæ facetę, cui auctor Petrus Cieca. Ait ſe cum aliquot ſodalibus egreſſum ad Indos veſtigandos canem comitem habuiſſe, ad iſta longo vſu doctum. Ecce fæmina vetula apparet, fugit in montes; canis aſſequitur, & iam prehendebat: illa in genua ſe abijcit, canem dominum appellat, & blandè orat, ac ferè adorat. Iſte placatus, an contemnens, crus tollit, & famellam illam permingit, atque abit. Et ſanè ſenſus aliquis precum, aut ſubmiſſionis ijs eſt, &c.

Plin. lib. 8. cap. 16. In quo leonum naturam conſiderat. Credit Libya, inquit, intellectum peruenire ad eos precum. Captiuam terræ Getuliæ reducem audiui, multorum in ſyluis impetum à ſe mitigatum alloquio, auſam dicere, ſe fæminam, profugam, infirmam, ſupplicem animalis omnium generoſiſſimi, cæteriſque imperantis, indignam eius gloria prædam.

XXXII. Fi-

XXXII. *Filij Conſtantini Aug. Diuiſum inter eos imperium. Teſtamentum Alexand. M.*

CONſtantinus ille verè Maximus, vt eſt à ſenatu Romano indigetatus, vindex, & oppreſſor tyrannorum, liberator vrbis, fundator quietis, quodq; ad ſalutem animi, & memoriam nominis indelebilem, ac ſempiternam ei præcipuum fuit, religionis Chriſtianæ primus ſui ordinis cultor, amplificator, & defenſor, tres reliquit filios, Conſtantinum, Conſtantium, Conſtantem: filiam Helenam, quæ Iuliano Cæſari collocata eſt. De illis meritò dicas, quod eſt in veteri prouerbio, Heroum filij noxæ. Nullus enim paternam virtutem, & pietatem eſt imitatus: nec vllum ſibi decus pepererunt. Primus, & vltimus hoc ſolum laudis meruerunt, quod Nicæna dogmata ſunt amplexi. Medius Arianiſmum tutatus eſt. Conſtantinus portione ſua ex paterno teſtamento non contentus, à Conſtante Italiam, & Africam popoſcit: quòd diceret, æquum videri, vt qui alijs ætate anteiret, dignitate quoque, & latitudine imperij antecederet. Reiectus à fratre, arma in eum comparauit, atq; ab eius quos præmiſerat ducibus prope Aquileiam eſt interfectus, & cadauer in flumen proiectum. Conſtantius Catholicos Epiſcopos, & Athanaſium plurimùm vexauit: nihil memorabile geſſit; & nouiſſimè, dum aduerſus Iulianum, qui ſe

in Gallia Auguſtum conſalutari paſſus erat, & infeſto cùm exercitu contra ipſum veniebat, cum copijs proficiſcitur, Mopſueſtiæ ingraueſcente febri eſt extinctus; trium ſe pænitere moriens confeſſus: quod Gallum patruelem occidiſſet: quod Iulianum Cæſarem renuntiaſſet: quod nouis fidei dogmatibus ſtuduiſſet: quam inutilem pœnitentiam vocat Gregorius Nazianzenus in laudatione Athanaſij, hoc recenſens. Conſtans occiſo Conſtantino fratre totum occidentē adeptus, ſepoſita imperij cura indignis ſeſe voluptatibus, & libidinibus corrumpendum dedit: quē Magnentius, Ioniorum, & Herculiorum Comes ex inſidijs interemit. Nunc quas cuique prouincias Conſtantinus parens, dum vita excedit teſtamēto deſtinauerit, ex Euſebio in eius vita diſcamus. Gallias, Hiſpanias, Britannias Conſtantino permiſit. Thraciam, Aſiam (minorem) Ægyptū, & Orientem Conſtantino. Italiam, Africam, Illyricumq; (Thracia excepta) Conſtanti. Sciendum porrò, nomine Orientis Syriam, Armeniā, Arabiam, & Meſopotamiam: Illyrici Thraciam, Mæſiam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam, & Dalmatiam comprehendi.

De teſtamento Alexandri M. & hærede inſtituto, aut diſtributo tanto inter amicos imperio apud Iuſtinū nulla mentio, cuius hæc ſunt lib. 12. Cum deficere eum amici viderent, quærunt quē imperij faciat hæredem. Reſpondit, digniſſimū. Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cum Herculē

filium,

ſilium, (ex Barſine) cum fratrem Aridæum (quē Philippo Lariſſæa ſaltatrix genuerat) cum Roxanen vxorem prægnantem relinqueret, oblitus neceſſitudinum digniſſimum nuncuparet hæredem. Prorſus quaſi nefas eſſet, viro forti alium quam virum fortem ſuccedere: ac tanti regni opes alijs, quam probatis relinqui. Negant item Diodorus, Curtius, Oroſius lib. 3. cap. 23. Arrianus lib. 7. Ioſephus Antiquit. 12. cap. 1. nominat quidem Antigonum, Seleucum, Lyſimachum, Caſſandrum, Ptolemæum, eosq; armis de imperio decertaſſe ait, teſtamenti non meminit.

Quibus auctoritas ſacrorum librorum, nempe 1. Machab. cap. 1. apertè aduerſatur, vbi ita ſcriptū videmus. *Et poſt hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur. Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute: & diuiſit illis regnum ſuum, cum adhuc viueret.* Ac fieri potuit, vt teſtamentum ſuppreſſerint, & bello ſibi quiſque regnum quærere voluerint. Potuit etiam per amiciſſimum Perdicā prouincias inter ſuos diſtribuiſſe, cui vnà cum annulo omnem hanc poteſtatem tradidit. Et id aperte fatetur Iuſtinus lib. 13. poſtquam docuit, quæ inter eos de ſucceſſore contentio fuerit. Quæ Prouinciæ, & regna cuique obtigerint, tradit Cedrenus pag. 128. nu. 20. Adeo autem violenter, crudeliterq; dominatos, vt Alexandri imperio graue dedecus conciliarint, affirmat Herodian. lib. 1.

XXXIII. *Factum Chriſtophori Columbi, quo is vrbane obtrectatoribus ſuis os obturauit. Item nauigationis eiusdem cauſſæ, & initia.*

PRæfatione Criticorum ſuorum Lipſius rem auditu, lectúue non ingratam memorat de Chriſtophoro Columbo, qui Indiam occidentalem primus aperuit, eamque ad inſtitutum bellè accommodat. Quam ego nondum alibi à me lectam, huic Syntagmati intexendam exiſtimaui. Sic autem ſe habet. Sed videlicet ita humanum ingenium eſt, facilia putare quæ iam facta: nec de ſalebris cogitare, vbi via ſit ſtrata. Chriſtophori Columbi dictum, & factum appoſitè iis ingeram, illius qui nouum orbem retexit primus. Cum enim ea res in magna gloria, & ſimul inuidia eſſet: euenit, vt in conuiuio quopiam Hiſpani proceres hanc laudem eius delibatum irent, & imminutum. Quippe rem pronam eam fuiſſe, nauigationẽ ſine diſcrimine, appulſus faciles: deniq; vnum aliquem ex ſeſe potuiſſe eaſdem illas terras, genteſq; reperire, ſine Itali hominis vllo niſu. Columbus (aderat enim) cum tacitus diu audiſſet, ſurrexit, & velut aliud agens ouum attulit à gallina, in menſa repoſuit, & heus ſodales, inquit, quis veſtrûm ille ſollers, qui hoc ouum rectum mihi deſtituat, & in caput? Muſſare illi, circumſpicere: negare ad extremum

omnes

omnes id fieri. Immò, fiet, inquit: & ſimul ouum leniter à capite tuſum, & quaſſatum, depoſuit erectum. Enimvero hìc riſus, & pæne irriſus. Per ſe quiſque rem facilem, nugatoriamque eſſe dicere. Attamen, ait ille, renidens, quis veſtrûm hoc facile ante me indicem potuit? Talis inuentio noui orbis eſt: quem inueniendum ante me nemo, omnes inueniant inuentum. Hoc, inquã, aptè dixerim de emendationibus noſtris & coniectoris: quas ſpernunt multi repertas: ſudant multum in reperiendis.

Qua porrò occaſione ad iſtam nauigationem ſuſcipiendam, & manſuram ſibi in ſæcula famam querendam impulſus fuerit Columbus, quantũque pro ea ſibi committenda apud Luſitaniæ & Caſtellæ reges laborarit, luculenter Ioannes Petrus Maffeius Hiſtoriarum Indicar. libro primo ſic expoſuit. Cæterùm his tam lætis rerum exordijs, breui tota pæne Europa vulgatis (primarum ſcilicet nauigationẽ in Indiam, ſub auſpicijs Emmanuelis regis, ſucceſſibus fæliciſſimis) Luſitanum nomen magna vbique in admiratione eſſe; celebrari omnium linguis: nauigandi ſcientia, & gloria Græcis, Phœnicibus, Carthaginenſibus anteferri. Cuius laudis æmulatione incenſus Chriſtophorus Columbus Ligur, ingentis animi vir, & rei nauticæ in primis peritus, & ex aſtronomica diſciplina, & nonnullis veterum monumẽtis, eodem fere tempore ſtatuit, trans noti orbis terminos magna terrarum ſpatia etiam in occi-

 dentem

dentem patere: dein, experiundi, & cognoſcendi ſtudio, quod ſine magno apparatu ea res tentari non poſſet, Luſitano ante omnes regi eam expeditionem ſuaſit: ſuamque in id operam, & induſtriam enixè detulit. A quo reiectus, tanquam inania, & fabuloſa afferret, ad finitimum Caſtellæ regem Ferdinandum eodem conſilio ſeſe contulit. Ibi cum nihilomagis audiretur, inuicta quadam animi pertinacia, totum ferè ſeptennium, vorando repulſas, vrgendo, inſtandoque per ſe, & per amicos, tandem aliquando peruicit, vt in eam inquiſitionem tria ſibi regio ſumptu adornata nauigia ad Hiſpalim oræ Bæticæ præberentur. Cum ijs Atlanticum Oceanum egreſſus, Canarias primum inſulas petijt. Inde cõtinua dierum aliquot velificatione in occaſum prouectus, inſulas aperuit nouas, quas ab re, quod primæ occurriſſent, Principes nominauit: & expoſito milite nactus aurifodinas, loco idoneo caſtra communijt: relictoq; ibi præſidio, incolas ferme XII. & aliæ inuentæ eius regionis argumenta ſecum in Hiſpaniam reuexit. Ea res quo minus erat in ſpe, eo maiorem Ferdinando regi, & aulæ vniuerſæ attulit voluptatẽ. De eius vita, & laudibus videndus Petrus Bizarus hiſtoriæ Genuenſis lib. 16. à principio. Item Iouius in Elogijs militarib. lib. 4.

De rebus geſtis huius clariſſimi ducis feruntur libri duo, opus ſcilicet imperfectum, carmine heroico, nomine Columbeidos, Iulij Stellæ

Romæ

Romani, iuuenis ingenioſi, & ad poëtandum nati. Commendatur multum à Franciſco Bencio: placuitque P. Victorio, & M. Antonio Mureto, qualibus, quantiſque viris?

XXXIV. *Sollicitudo de proba filiorũ inſtitutione, & veneratio Magiſtri.*

ERectus poſt Valentem ad faſtigium auguſtale à Gratiano Valentiniani F. Occidẽtis Imp. Theodoſius, nihil antiquius habuit, quàm vt Arcadio & Honorio filijs etiamnum peradoleſcentibus de idoneo Pręceptore proſpiceret, cuius opera litterarum, ac virtutũ diſciplinas combiberent. De eo conquirendo, & ad ſe Conſtantinopolim mittendo Gratiano ſcribit. Gratianus rem ad illius tẽporis Pont. Max. defert: Theodoſio vt gratificetur rogat. Pontifex Arſeniũm, Eccleſiæ Romanæ Diaconum, virum diuinis, humanisq; literis eruditiſſimum, vitáque innocentiſſimum cum cõmendatitijs nouam Romã (ſic enim iam inde à Conſtantino M. propter imperij domicilium eo translatum cœpta eſt appellari Conſtantinopolis) transmittit. Aſſecutus quod vouerat Theodoſius, pueros ad Arſeniũ adducit: eos nõn vt Imperatores, ſed vt plebeij ordinis tractare; õnia pro paterna auctoritate audere; flagris quoq; ad officium illos reuocare iubet. *Tu nunc illis*, inquit, *ad liberalem ſcientiã, & probatos mores dux, & auctor, magiſter, & parens eſto. Tibi vnicè commendatos, & in fidem tuam penitus traditos cupio.*

Cùm Methonam vrbẽ oppugnaret, in prætereũtem de muris ſagitta iacta, dexterum oculum eius effodit. Quo vulnere nec ſegnior in bellum, nec iracundior aduerſus hoſtes factus eſt: adeo, vt interiectis diebus pacem deprecantibus dederit: nec moderatus tantum, verum etiam mitis aduerſus victos fuerit.

Principem maximè decere clementiam, & quantũ ex ea boni adipiſcatur, Seneca docet lib. 1. de Clement. cap. 3. in hæc verba. *Ita enim magna vires decori, gloriæq́ ſunt, ſi illis ſalutaris potẽtia eſt. Nam peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis, fundataq́ eſt, quã omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt: cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque vniuerſorum quotidie experiuntur: quo procedente non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt: ſed tanquam ad clarum, & beneficum ſidus certatim aduolant, obijcere ſe pro illo mucronibus paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illam humanam iter ad ſalutem ſternendum ſit, &c.* Cognoſce præterea, ſi lubet, quantopere eiuſdem lib. cap. 10. à clementia Auguſtum commendet. De Sp. Tarpeij arcis Romanæ Præfecti filia ob arcem ſibi proditam armis à Sabinis obruta, & necata prodendi exempli cauſſa, ne quid vſquam fidum proditori eſſet, Liuius lib. 1. Proditionem ſe amare, proditorem odiſſe dicebat Philippus Rex Macedon. Idem dicere ſoliti Antigonus, & Iulius Cæſar.

Quod

Quod quidem dictum ab erudito viro hac ſimilitudine reperio illuſtratum. Quemadmodum qui felle, aut venenis beſtiarum ad remedium opus habent, tantiſper illis delectantur, dum indigent: vbi deſierunt egere, oderunt, horrentque: ita nemo diligit proditorem, niſi dum illius abutitur vitio. Vbi contigit, quod per illum petebat, odit, ac deteſtatur ſceleroſum; nec audet illi fidere, cuius perfidiam expertus ſit in eos, quibus cumprimis erat præſtanda fides.

XXIX. *Mutatio morum Polemonis Philoſophi, & eius effigies.*

ADoleſcens Polemo, genere Athenienſis, in omnem ſe ſe voluptatum intemperantiam effundebat. Aliquando temulentus, & coronatus in ſcholam Xenocratis Philoſophi ſeueriſsimi ingreſſus, nec docentē ferociore aſpectu, & geſtu deterruit; quin etiam feruentius de Temperantia inchoatam diſſertationem continuauit. Inde voluptarius, ac perditus adoleſcens commotus, ſeſe paulatim collegit, ad virtutem, & philoſophiam incumbere cæpit; tantoſque progreſſus habuit, vt Xenocrati in docendi munere ſuccederet, viueretque cum ſumma grauitate, & conſtantia: propter probitatis ſtudium toti ciuitati chariſſimus, & honoratiſſimus. Hæc delibata ſunt ex Laertij libro quarto,

Gregorius Nazianzenus in carmine iambico eãdem commemorans, adiungit quiddam de hoc Polemone, permirum ſanè, & relatu planè dignum, quomodo ſola eius effigies depicta, mulierem famoſam fugauerit, quamque meditabatur turpitudinem impediuerit.

Si valuit tantùm homo altiſsimis tenebris infidelitatis, & paganiſmi ſepultus, vt grauitatē vultus ſui non viui, ſed picti tantum probroſam mulierem fugaret, an non æquum eſt credere, viuum Saluatoris noſtri vultum plus valuiſſe ad attrahendos ad ſe, & obſequium ſuum peccatores? Auctor Comment. in Matthæum. Hieronymus Porphyrium, & Iulianum Aug. vel imperitiam Euangeliſtæ, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim vocantem ſecuti ſunt Chriſtum damnantes redarguens, ait haud temere iſtuc feciſſe, cum tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos ab eo vocatos vidiſſe dubium non ſit. Præterea fulgorem iſtum, & maieſtatem diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe venientes trahere potuiſſe aſpectu. Similitudines ſuccini, & magnetis, annulos, ſtipulas, & feſtucas ſibi copulantium adiungit, & à minorum comparatione argumentum ducit.

XXX. *Odoramentum de horto, & aliud de ſtabulo.*

Quam

QVam ſint varia cuiuſq; ſenſus oble&#xFFFD;amenta, & gaudia, notum eſt omnibus. Rurſus, non ignotum, haud ex eodem genere obiecti vel omnes homines, vel omnes æquè voluptatẽ capere ſolere. Aliud alij libet potius, aut libet amplius. Quis fuit, quem delectabat magis hinnitus equi in patria, quam Athenis blanda muſica? Horat. ep. 2. lib. 1. de guſtatu,

Tres mihi conuiuæ prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diuerſa palato.

Roſa, quæ κατ' ἐξοχὴν flos, & regina florum, quid odore ſuauius? Quare & ſuauis, iucunduſque ſermo eius nomine honeſtatur. Ariſtoph. in Nub. ῥόδα μ' εἴρηκας, roſas mihi dixiſti. Et tamen quoſdam offendit, vt hiſtoria. XVIII. retulimus. At minimè C. Verrem, qui teſte M. Tullio Verrin. 7. cum roſam videbat ortam, tum incipere ver arbitrabatur: nec eius initium à Fauonio, aut ab aliquo aſtro notabat; adeo rudis erat, & præ vulgo nihil ſapiens. Quam mollis, & delicatus idem, & ῥοδόφιλος fuerit, orator ſic demonſtrare pergit. Cum ver eſſe cœperat, dabat ſe labori, atque itineribus: in quibus vſque eo ſe præbebat patientem, atque impigrum (ἡρωϊκῶς) vt eum nemo vnquam in equo ſedentem videret. Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica hexaphoro ferebatur: in qua puluinus erat pellucidus, Melitenſis, (linum ſiquidem Melitenſe à tenuitate, ac ſubtilitate commendabatur) roſa fartus; ipſe autem coronam habebat (de roſis

 puta)

puta) vnam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares ſibi admouebat tenuiſſimo lino, minutis maculis, plenum roſa. Nonne exiſtimas hunc etiam optaſſe, quod Catulli Fabullũ, cui vnguentum pollicebatur? deos rogaturum ait, totum vt ſe naſum facerent, quò odoris delicatiſſimi quam plurimum haurire, eo ſe complere, & explere poſſet. Omnes flores Verri præ roſa hircum olebant. Contra Copronymo Imp. omnibus ſceleribus contaminatiſſimo equorum retrimenta pro roſis erant. Itaque vt tam ſuauiter fragrantibus aſpirationibus abundè frueretur, ſæpius in equile deſcendebat. Et huic ſacculum, aut reticulum minutis maculis, recentibus illis turundis plenum, ad collum appendi oportebat, vt beneolentes illas auras naſus continenter duceret. Egregios duos odorum captatores lectori animi gratia contemplandos propoſui. Copronymi Eccleſiæ perſecutoris elogium ex Annalibus Conſtantini Manaſſis non prętéribo. Conſtantinum, inquit, cui fœdum, & abominabile nomen à ſtercore datum eſt; quem non inconuenienter prognatum ex aſpide viperam, ex elleboro cicutam, ex ſcorpio draconem, ex Nabuchodonoſore Balthaſarum quis appellauerit. Copronymi nomen à ſtercore adeptus eſt, quod eo facrum fontem, dum à Germano Patriarcha tingeretur infans, infeciſſet. Ex quo idē Patriarcha Eccleſiam vexaturum diuinitus prævidit, & prædixit. A fimo autem, & reliquijs il-

lis equinis, quarum odorem conſectabatur, dictus eſt Caballinus. Refert Cedrenus.

XXXI. *Canis Peruanus, leo Getulicus.*

EPiſtolæ Iuſti Lipſij ſæpenumero afferunt aliquid, quod ſcire non ſolum proſit, ſed etiam iuuet, ac delectet; etſi peculiaris, ac proprius epiſtolæ finis non ſit doctiorem reddere. Sed quis hodie ijs ſcribendis ſe præceptiunculis, quas à multis editas habemus, alligatum velit? Quomodo igitur in neſcio quota cuiuſdam centuriæ Miſcellaneæ (quinque autem ſunt) elephantum laudauit, idque diſtinctiſſimè, nempe diſtributis in certa capita multis eius belluæ laudibus: ſic Centuria prima ad Belgas epiſtolam XLIV. dat commendandis canibus, ſimili methodo, (vt eſt εὐμεθοδικώτατος) conſeruata. Vbi ergo oſtendit, non dedecere cultores litterarum canum conſortium, & olim heroibus fuiſſe aſſeclas, & ſtipatores: fuiſſe item caros gentibus; nullum animal eſſe hominum amantius: & ingenuè ſuam φιλοκυνίαν quàm à parentibus velut hæreditatem acceperit, vel potius, vt ipſius verbis vtar, à ſemine duxerit, à lacte ſuxerit, à conſuetudine traxerit, confeſſus eſt, quatuor ex eorum dotibus ſeligit, quas celebret, robur, ingenium, vigilantiam, fidem; mira, nec protrita in medium adducens. Explicationem primam, roboris ſcilicet, in hiſtoriola ridicula

finit, quam ad verbum recitabo; ſiquidem & in hiſtorijs hiſce noſtris, vt toto volumine, inprimis animorum relaxationem, & jucunditatem nobis propoſitam eſſe te monui.

Romani olim in Sardinia cum bellum non explicarent, hoſtibus in ſaltus, ſpecusq; profugis, & ex occaſione inuadentibus, M. Pomponio Prætore, canes ex Italia arceſſiuerunt, & eorum opera è latebris eductos inuenerunt, id eſt, vicerunt. Idem nuper in Peruana India Hiſpani, qui ſiluas, & vaſtum illum tractum canum commilitio excuſſerunt, ſubegerunt. Memini hiſtoriolæ facetę, cui auctor Petrus Cieca. Ait ſe cum aliquot ſodalibus egreſſum ad Indos veſtigandos canem comitem habuiſſe, ad iſta longo vſu doctum. Ecce fæmina vetula apparet, fugit in montes; canis aſſequitur, & iam prehendebat; illa in genua ſe abijcit, canem dominum appellat, & blandè orat, ac ferè adorat. Iſte placatus, an contemnens, crus tollit, & fæmellam illam permingit, atque abit. Et ſanè ſenſus aliquis precum, aut ſubmiſſionis ijs eſt, &c.

Plin. lib. 8. cap. 16. in quo leonum naturam conſiderat. Credit Libya, inquit, intellectum peruenire ad eos precum. Captiuam terræ Getuliæ reducem audiui, multorum in ſyluis impetum à ſe mitigatum alloquio, auſam dicere, ſe fæminam, profugam, infirmam, ſupplicem animalis omnium generoſiſſimi, cæteriſque imperantis, indignam eius gloria prædam.

XXXII. Fi-

XXXII. *Filij Conſtantini Aug. Diuiſum inter eos imperium. Teſtamentum Alexand. M.*

COnſtantinus ille verè Maximus, vt eſt à ſenatu Romano indigetatus, vindex, & oppreſſor tyrannorum, liberator vrbis, fundator quietis, quodq; ad ſalutem animi, & memoriam nominis indelebilem, ac ſempiternam ei præcipuum fuit, religionis Chriſtianæ primus ſui ordinis cultor, amplificator, & defenſor, tres reliquit filios, Conſtantinum, Conſtantium, Conſtantem: filiam Helenam, quæ Iuliano Cæſari collocata eſt. De illis meritò dicas, quod eſt in veteri prouerbio, Heroum filij noxæ. Nullus enim paternam virtutem, & pietatem eſt imitatus: nec vllum ſibi decus pepererunt. Primus, & vltimus hoc ſolum laudis meruerunt, quod Nicæna dogmata ſunt amplexi. Medius Arianiſmum tutatus eſt. Conſtantinus portione ſua ex paterno teſtamento non contentus, à Conſtante Italiam, & Africam popoſcit: quòd diceret, æquum videri, vt qui alijs ætate anteiret, dignitate quoque, & latitudine imperij antecederet. Reiectus à fratre, arma in eum comparauit, atq; ab eius quos præmiſerat ducibus prope Aquileiam eſt interfectus, & cadauer in flumen proiectum. Conſtantius Catholicos Epiſcopos, & Athanaſium plurimùm vexauit: nihil memorabile geſſit; & nouiſſimè, dum aduerſus Iulianum, qui ſe

in Gallia Auguſtum conſalutari paſſus erat, & in-feſto cùm exercitu contra ipſum veniebat, cum copijs proficiſcitur, Mopſueſtiæ ingraueſcente febri eſt extinctus, trium ſe pænitere moriens confeſſus: quod Gallum patruelem occidiſſet: quod Iulianum Cæſarem renuntiaſſet: quod nouis fidei dogmatibus ſtuduiſſet: quam inutilem pœnitentiam vocat Gregorius Nazianzenus in laudatione Athanaſij, hoc recenſens. Conſtans occiſo Conſtantino fratre totum occidentẽ adeptus, ſepoſita imperij cura indignis ſeſe voluptatibus, & libidinibus corrumpendum dedit: quẽ Magnentius, Iouiorum, & Herculiorum Comes ex inſidijs interemit. Nunc quas cuique prouincias Conſtantinus parens, dum vita excedit teſtamẽto deſtinauerit, ex Euſebio in eius vita diſcamus. Gallias, Hiſpanias, Britannias Conſtantino permiſit. Thraciam, Aſiam (minorem) Ægyptũ, & Orientem Conſtantino. Italiam, Africam, Illyricumq; (Thracia excepta) Conſtanti. Sciendum porrò, nomine Orientis Syriam, Armeniã, Arabiam, & Meſopotamiam: Illyrici Thraciam, Mæſiam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam, & Dalmatiam comprehendi.

De teſtamento Alexandri M. & hærede inſtituto, aut diſtributo tanto inter amicos imperio apud Iuſtinũ nulla mentio, cuius hæc ſunt lib. 12. Cum deficere eum amici viderent, quærunt quẽ imperij faciat hæredem. Reſpondit, digniſſimũ. Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cum Herculẽ

filium,

filium, (ex Barſine) cum fratrem Aridæum (quẽ Philippo Lariſſæa ſaltatrix genuerat) cum Roxanen vxorem prægnantem relinqueret, oblitus neceſſitudinum digniſſimum nuncuparet hæredem. Prorſus quaſi nefas eſſet, viro forti alium quam virum fortem ſuccedere: ac tanti regni opes alijs, quam probatis relinqui. Negant item Diodorus, Curtius, Oroſius lib. 3. cap. 23. Arrianus lib. 7. Ioſephus Antiquit. 12. cap. 1. nominat quidem Antigonum, Seleucum, Lyſimachum, Caſſandrum, Ptolemæum, eosq; armis de imperio decertaſſe ait, teſtamenti non meminit.

Quibus auctoritas ſacrorum librorum, nempe 1. Machab. cap. 1. apertè aduerſatur, vbi ita ſcriptũ videmus. *Et poſt hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur. Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute: & diuiſit illis regnum ſuum, cum adhuc viueret.* Ac fieri potuit, vt teſtamentum ſuppreſſerint, & bello ſibi quiſque regnum quærere voluerint. Potuit etiam per amiciſſimum Perdicã prouincias inter ſuos diſtribuiſſe, cui vnà cum annulo omnem hanc poteſtatem tradidit. Et id aperte fatetur Iuſtinus lib. 13. poſtquam docuit, quæ inter eos de ſucceſſore contentio fuerit. Quæ Prouinciæ, & regna cuique obtigerint, tradit Cedrenus pag. 128. nu. 20. Adeo autem violenter, crudeliterq; dominatos, vt Alexandri imperio graue dedecus conciliarint, affirmat Herodian. lib. 1.

XXXIII. Fa-

XXXIII. *Factum Chriſtophori Columbi, quo is vrbanè obtrectatoribus ſuis os obturauit. Item nauigationis eiuſdem cauſſæ, & initia.*

PRæfatione Criticorum ſuorum Lipſius rem auditu, lectúue non ingratam memorat de Chriſtophoro Columbo, qui Indiam occidentalem primus aperuit, eámque ad inſtitutum bellè accommodat. Quam ego nondum alibi à me lectam, huic Syntagmati intexendam exiſtimaui. Sic autem ſe habet. Sed videlicet ita humanum ingenium eſt, facilia putare quæ iam facta: nec de ſalebris cogitare, vbi via ſit ſtrata. Chriſtophori Columbi dictum, & factum appoſitè iis ingeram, illius qui nouum orbem retexit primus. Cum enim ea res in magna gloria, & ſimul inuidia eſſet: euenit, vt in conuiuio quopiam Hiſpani proceres hanc laudem eius delibatum irent, & imminutum. Quippe rem pronam eam fuiſſe, nauigationē ſine diſcrimine, appulſus faciles: deniq; vnum aliquem ex ſeſe potuiſſe eaſdem illas terras, genteſq; reperire, ſine Itali hominis vllo niſu. Columbus (aderat enim) cum tacitus diu audiſſet, ſurrexit, & velut aliud agens ouum attulit à gallina, in menſa repoſuit, & heus ſodales, inquit, quis veſtrûm ille ſollers, qui hoc ouum rectum mihi deſtituat, & in caput? Muſſare illi, circumſpicere: negare ad extremum

omnes

omnes id fieri. Immò, fiet, inquit: & ſimul ouum leniter à capite tuſum, & quaſſatum, depoſuit erectum. Enimvero hìc riſus, & pæne irriſus. Per ſe quiſque rem facilem, nugatoriamque eſſe dicere. Attamen, ait ille, renidens, quis veſtrûm hoc facile ante me indicem potuit? Talis inuentio noui orbis eſt: quem inueniendum ante me nemo, omnes inueniant inuentum. Hoc, inquã, aptè dixerim de emendationibus noſtris & coniecturis: quas ſpernunt multi repertas: ſudant multum in reperiendis.

Qua porrò occaſione ad iſtam nauigationem ſuſcipiendam, & manſuram ſibi in ſæcula famam querendam impulſus fuerit Columbus, quantúque pro ea ſibi committenda apud Luſitaniæ & Caſtellæ reges laborarit, luculenter Ioannes Petrus Maffeius Hiſtoriarum Indicar. libro primo ſic expoſuit. Cæterùm his tam lætis rerum exordijs, breui tota pæne Europa vulgatis (primarum ſcilicet nauigationẽ in Indiam, ſub auſpicijs Emmanuelis regis, ſucceſſibus fæliciſſimis) Luſitanum nomen magna vbique in admiratione eſſe; celebrari omnium linguis: nauigandi ſcientia, & gloria Græcis, Phœnicibus, Carthaginenſibus anteferri. Cuius laudis æmulatione incenſus Chriſtophorus Columbus Ligur, ingentis animi vir, & rei nauticæ in primis peritus, & ex aſtronomica diſciplina, & nonnullis veterum monumẽtis, eodem fere tempore ſtatuit, trans noti orbis terminos magna terrarum ſpatia etiam in occi-

Romani, iuuenis ingenioſi, & ad poëtandum nati. Commendatur multum à Franciſco Bencio: placuitque P. Victorio, & M. Antonio Mureto, qualibus, quantiſque viris?

XXXIV. *Sollicitudo de proba filiorũ inſtitutione, & veneratio Magiſtri.*

Evectus poſt Valentem ad faſtigium auguſtale à Gratiano Valentiniani F. Occidẽtis Imp. Theodoſius, nihil antiquius habuit, quàm vt Arcadio & Honorio filijs etiamnum peradoleſcentibus de idoneo Pręceptore proſpiceret, cuius opera litterarum, ac virtutũ diſciplinas combiberent. De eo conquirendo, & ad ſe Conſtantinopolim mittendo Gratiano ſcribit. Gratianus rem ad illius tẽporis Pont. Max. defert: Theodoſio vt gratificetur rogat. Pontifex Arſenium, Eccleſiæ Romanæ Diaconum, virum diuinis, humaniſq; literis eruditiſſimum, vitaque innocentiſſimum cum cõmendatitijs nouam Romã (ſic enim iam inde à Conſtantino M. propter imperij domicilium eo translatum cœpta eſt appellari Conſtantinopolis) tranſmittit. Aſſecutus quod vouerat Theodoſius, pueros ad Arſeniũ adducit: eos nõ vt Imperatores, ſed vt plebeij ordinis tractare; õnia pro paterna auctoritate audere; flagris quoq; ad officium illos reuocare iubet. *Tu nunc illis*, inquit, *ad liberalem ſcientiã, & probatos mores dux, & auctor, magiſter, & parens eſto. Tibi vnicè commendatos, & in fidem tuam penitus traditos cupio.*

Ame habent corpus. Tu eorum animos, quos à Deo acceperunt præceptis tuis vtiliter, & ſalutariter forma. Plura in hanc ſententiam protulit, & virum illum in intimam familiaritatem recepit; grandi pecunia donauit: ſenatus Principem legit; nec filiorum tantum, ſed ſuum quoq; parentem nominauit. Quam deinde partes ſuas diligẽter egerit Arſenius, nihil attinet dicere. Scholam Imp. conclaui ſuo proximam conſtitui voluit, quò diſcentes commodius interuiſere, eorumq́; progreſſus poſſet cognoſcere. Arſenius paruos auditores ſuos nihilominus, vt Imperatores deſignatos, reuerenter habebat: & cum eſſet ingenio modeſtiſſimo, non ſedens ipſe ſtantes, quod Theodoſius mandauerat, ſed contrà, ſedentes ſtans docebat. Id vbi Imperator deimprouisò ſcholam aliquando ingreſſus conſpexit, grauiter, ſibi non eſſe obtemperatum queſtus, audiuit reſponſum, fecisse quod decuiſſet: adoleſcentibus doctrinam, Imperatoribus honorem impertiuiſſe. Tum ſtomachabundus Theodoſius, Eia vero, quis eos Imperatores definiuit? Tune, qui vt tales ſic honoras? Mox inſignibus imperij ſpoliat: Arſenium in cathedra ornatiſſima quamuis repugnantem conſidere: filios confeſtim aſtare, eius vocem excipere cum veneratione iubet: addens hæc quoque. *Si ita ſe geſſerint, vt imperio digni cenſeantur, ſcientia videlicet compotes, & religione illuſtres, poterit illis* DEVS *bene pacatum, & ordinatum imperium, ad eorum quibus imperitabunt*

bunt vtilitatem tradere: ſin minus, longè ſatius eſt priuatos viuere, quam inſcienter, ac ſtultè cum incommodo ſuorum ciuium gubernacula tenere. Admiratus ſermonem hunc Arſenius, Imperatorem paucorum Imperatorum duxit: ac deinceps, vt ille ſibi præſcripſerat, diſciplinam eius filijs impendit. Breuiſſimè iſta Zonaras Tomo III. Pluribus multo in Arſenio Metaphraſtes: nos medium ſecuimus. Non præterit hiſtoriam Niceph. lib. 12. cap. 23.

Diſcant à Theodoſio parentes etiam nobiles, illuſtres, & potentes filiorum inſtitutionem cordi habere; & nonnunquam eos in ludo viſere: & à magiſtro quantum proficiant percũctando cognoſcere. Paulus Æmilius quoties per negotia licebat, filiorum exercitationibus intererat. Et Plin. iunior, cum amici filium ad diſciplinas alẽdum ſuſcepiſſet, ſcholam interdum intrare, & in rem prȩſentem venire non eſt dedignatus. Quȩrendi vero liberis magiſtri, vt monet Plutarch. de educandis liberis, quorum & inculpata ſit vita, & mores iuſtæ reprehẽſioni haud obnoxij, & peritia minimè vulgaris. Cratetis illa vox mandata eſt litteris; ſe ſi fieri poſſit, altiſſimo vrbis loco conſcenſo proclamaturum. Quò tenditis homines: qui rei faciendæ tantum ſtudium, filijs, quibus opes veſtras relinquetis curam perparuam impenditis?

XXXV. *Sanctos Dei non impunè irrideri, ac decipi.*

NOn modò hac vita defuncti, & beatis illis ſedibus donati, ſed adhuc in terris verſantes, & corpus hoc caducum circumferentes, omni honore, ac veneratione proſequẽdi ſunt amici DEI, hoc eſt, homines, quoſdam quaſi ſanctimoniæ radios effundentes, & familias, atque vrbes ſuas illuſtrantes. Id adeo dubitabile non eſt, vt in DEVM ipſum audaces atque impij cenſendi ſint, qui eos verbo, facto, geſtu, & quauis demũ ratione lædunt. Oſtendunt hoc ſupplicia, quibus ἁγιοϐλάπτας cæleſte numen ſæpius multauit. Pauca de multis exempla producemus. lib. 4. Regum Quinquagenarij duo cum quinquagenis militibus ſuis, ab Ochozia rege Iſraelis ad Eliã in monte Carmelo ſedentem miſſi, eumque virum DEI per mycteriſmum appellantes, nonne cæleſtibus flammis Propheta optante, & DEO annuente conſumpti ſunt? *ſi vir* DEI *ſum*, inquit, *deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* De Heliſęo cap. 2 eiuſdem libri, cum aſcenderet in Bethel, egreſſos ex oppido pueros ſucclamaſſe per ludibriũ, *aſcende calue, aſcende calue.* Eum reſpexiſſe: pueris in nomine Domini maledixiſſe: vrſos duos de ſaltu mox erupiſſe: duos ſupra quadraginta diſcerpſiſſe. Petro Apoſtolorũ Principi, vt docetur Act. cap. 5. Ananias, & Sapphira ſuper agri venditi pretio mentiti cũ

eſſent, ambo ante pedes eius mortui corruerunt. Ad tres ſanctiſſimos Epiſcopos venio, in vno quodam genere ſimiliter ludos factos, vt illuſores quidem putabant.

Primus eſto Gregorius Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus, cui res admirabiles, ſupra naturæ conditionem toties effectæ θαυματουργοῦ, id eſt, mirandorum operum effectoris cognomentum pepererunt. Eius vitam conſcripſit Gregorius Nyſſenus: laudes celebrauit Baſilius. Duo Iudæi eius famam infamare conſtituerant. Eorum alter mortuum ſe ſimulans, in via publica, quà iter ſancto erat, ſupinus iacebat. Alter funeri aſtans miſerabiliter lamentabatur; & prætereuntem magno clamore, vt tegendo, ac ſepeliendo ſocio, qui repentina morte occubuiſſet, aliquid veſtiũ largiretur rogitabat. Sanctus ſine mora diploidem iacenti inijcit, & in itinere procedit. Simulatores iam ſoli cum eſſent, effuſus in riſum lamentator tanquam re bene geſta ſodalem ſurgere hortatur. Non audit, nec ſe quidquam movet. Clariore voce inclamat, pede pulſat: nihil proficit. Nam ſimul ei veſtis iniecta, ſimul anima è corpore eiecta fuerat. Ita infælices Iudæi alijs documento fuerunt, ne ludificari auderent, quos DEVS charos habet, & vlciſci ſolet.

Secundus eſto Epiphanius Salaminæ, ſeu Conſtantiæ (nam binominis eſt) Cypri Epiſcopus, Arianorum iuratus, & perpetuus aduerſarius. Nec tamen ob id Valens Orientis Imper. quanquam

eiuſdem ſectæ ſectator eum tangere auſus eſt: tantæ venerationis hominem, vt & regnâtes hæretici ignominiam ſummam ducerent, ſi talem virum perſequerentur, quod ſcribit Hieron. ep. 61. Vixit annos CXV. Huic duo ſycophantæ iter agenti fucum ſic facere conati ſunt planè, vt de Gregorio diximus. Preces pro exanimi Epiphanius concipit: animâm DEO ſeriò commẽdat: pallium ſuum ad cadauer operiendum porrigit, diſcedit. Hîc impoſtor pſeudomortuo gratulabundus, agedum, inquit, ſurge: ſucceſſit negotium, & rudis atque indoctus ille abijt. Sed ecce, qui iacebat nec videre, nec audire, nec loqui; quî enim poterat verè mortuus? Tum Epiſcopum viuus inſequitur: genibus eius ſe aduoluens rem nuntiat; temeritati ſuæ veniam petit: lumine caſſum vt reſuſcitet, pallium vt recipiat rogat. Iubet ſanctus rogantem faceſſere, & mortuum ſepelire. Niceph. lib. 12. cap. 46.

Sequitur tertius, Iacobus Antiſtes Niſibenus, vnus de confeſſoribus, qui in Synodo Nicæna Arium anathemate perculerunt. Niceph. lib. 8. c. 14. Hunc ſimili modo, vt Epiphanium, pauperes, ſeu mendici deluſerunt. A quo poſtea impetrata venia, etiam mortuo vitam impetrarunt: vt ſeueritatem cum miſericordia miſcuerit. Haud illepidum, quod de eodem viro ſancto Nicephorus quoq; lib. 15. cap. 22. & Metaphraſtes narrant. Fontem præteribat, in quo puellæ altius ſuccinctæ pannos lauabant, nihil habitus eius, &

perſo-

perſonæ grauitatem reuerentes: ſed impudētius etiam oculos in eum defigentes, nec veſtem ſubmittentes. Quid is? fontē deteſtatur: aqua omnis illicò euaneſcit: capita illarū, ſancto hoc volente, repente incaneſcunt, rugæ frontes exarāt, anus fiunt, ſentiunt pœnam, inter ſe aſpiciunt, miraculum in vrbem confeſtim renuntiant. Ciues orant, vt ira poſita à filiabus malum depellat. DEVM precatus, fontem reducit; proteruas illas in canitie relinquit, poſteris modeſtiæ, ac pudoris monitum, & diuinæ virtutis monimētum.

Quo pacto Ioannes Caluinus Geneuæ, quò ſe Prophetam, & à Deo miſſum probaret, à re familiari inopem, & ex compoſito mortuum ſe ſimulantem reuocare in vitam aggreſſus ſit, & viuum occiderit, in vita illius Hieronymus Bolſecus cap. 13. commemorauit.

XXXVI. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Proverb. 19.*

NIſibi habitabat Chriſtiana mulier, nupta cū gentili, par coniugum inops, nec plus L. numiſmatis, ſeu nummis aureis poſſidens. Aliquādo vir vxori dixit, age, pecuniolam noſtram in fœnore collocemus, vt inde queſticulus aliquis, & ſolatium paupertati noſtræ redeat: paulatim enim eam impendimus, nec durabit diu. Si ita placet, inquit vxor, DEO Chriſtianorum illam fœnori demus, quem oſtendam tibi vbi ſit.

Nam ita non modò non perdes eam: ſed ille cũ vſura ſortem ipſam tibi reſtituet. Ducit ergo maritum in porticum Eccleſiæ, oſtentatiſq; illic ſedentibus mendicis, ſi his, ait, dederis, DEO dabis: omnes enim iſti ſunt DEI. Mox vir gaudens pecuniam diſtribuit. Menſis abierat tertius, cum in maxima rerum penuria ſic mulieri maritus. Vides, ſoror, quæ nos neceſsitudo circumſtet: & DEVS Chriſtianorum, vt apparet, debitum non exſoluet. Immò exſoluet, inquit illa. Repete locum, quo pecuniã diſpertiuiſti, & experiere quod dixi. Repetit, totam Eccleſiam circumit: neminem qui ſibi quidquam det inuenit: mendicos, vt ante, ibidem ſedentes conſpicit, & ſimul ante pedes ſuos iacens numiſma vnum, quo ſublato domum redit, & coniugi: ad Eccleſiam acceſſi, vt iuſſeras: DEVM Chriſtianorum non reperi: nemo mihi hilũm eſt largitus: hoc numiſma illic inueni. Occurrit mulier. Atqui ille, qui mundum hũc modo in aſpectabili regit, hoc tibi munus præſtitit. Vade, eme quod edamus: rurſum nobis prouidebit quo egemus. Emit panem, vinum, piſcem. Quẽ exdorſuans fœmina, pulcherrimum in eo lapillum cum admiratione offendit; coniugi demonſtrat, neſcia qualis, & quã pretioſus eſſet. Petitum ab ea vir ſimplex, & rudis ad gemmarium venditurus deportat. Gemmarius, quãti indicas? Da, inquit, quantũ lubet. Dat quinque numiſmata. Tum venditor ſibi illudi exiſtimans, & pretiũ nimis magnum ducens, tantum-

ne

at dicas? Gemmarius hominem εἰρωνικῶς loqui ratus, decem offert. Tacet venditor, & ſe irrideri ſuſpicatur. Emptor viginti ſoluturum ſpondet. Iterum obſtupefactus tacet. Quid multa? ad triginta, quadraginta, quinquaginta numiſmata aſcendit, & daturum iuratus affirmat. Creſcente pretio vẽditor apud ſe lapillum maioris æſtimare incipit, quam principiò æſtimarat. Tandem trecẽta numiſmata ei numerantur. Quibus ad vxorem ingenti gaudio portatis, illa ſimul exultans, quanto vendiderit percunctatur: non enim plus quinque, aut decem minutis vendidiſſe arbitrabatur. Exhibet pretium, & audit ab ea; En quam diues, quam bonus, quam gratus, quam liberalis eſt Chriſtianorum DEVS. Non ſolum quinquaginta numiſmata ſibi abs te commodata, ſed ſexuplicata reſtituit. Quare vel nunc mentem priſtinam exue, & non alium eſſe DEVM nec in cælo, nec in terra, præter hunc agnoſce. Ille miraculo admonitus, & experientia veritatem doctus, Chriſto nomen dedit. Sophronius Patriarcha Hieroſolymit. in Prato ſpirituali.

Quo pertinet hiſtoria ibidem cap. 195. recitata de Syneſio Ptolemaidis Epiſcopo. Habuit is amicum Euagrium nomine, Philoſophum ethnicũ. Quem cum Chriſtianum reddere conaretur, excipiebat ille de dogmatibus Chriſtianorũ creditu difficilibus: atq; inter alia de receptione poſt hanc vitam à Chriſto cẽtuplicis remunerationis bonorum, quæ hic diſperguntur in pauperes;

Sed

Sed cum etiam in his ſatisfeciſſet ei Syneſius, Evagrius tandem factus Chriſtianus, dedit ei auri tria centenaria, vt in pauperes erogaret, ea tamē conditione, vt Syneſius ipſe cautionem manu ſua ſcriberet, quòd Chriſtus illud aurum in futuro ſæculo eſſet redditurus. Factum eſt, vt poſt aliquot annos Philoſophus moriens præciperet filijs ſuis, vt cautionem illam vnà ſecum ſepelirēt. Tertio poſt die Syneſio quieſcenti apparuit, iuſſitque recipere chirographum ſuum, quoniam à Chriſto ipſi ſatisfactum eſſet abundè. Cum autem Syneſius aperto ſepulchro chirographum reciperet, reperit in eo confeſſionem accepti debiti, recenti manu Philoſophi ſubſcriptam. Narrat hanc hiſtoriam etiam Cedrenus.

XXXVII. *De Brachmanis Indorum ſacerdotibus, & ſapientibus.*

APud omnes præcipuo in honore Brachmanæ ſunt, patetque ea ſecta latiſſimè. Horum ſcitis omnia publica, & priuata ſacra ſubijciūtur. Hi cærimonias, & iuſta funebria ſuo arbitratu præſcribunt, ijdemque magno ſuo quæſtu prodigia, ſortes, auguria, & omina interpretantur. Horum diſciplina, inſtitutiſque reges ipſi imbuuntur, omnibus magnis paruiſque in rebus mirandum in modum illis obnoxij. Sed non vnum eſt Brachmanarum genus. Quippe alij liberis dant operam, veniuntq; in hominum frequentiam: alij cælibem agunt vitam, quos hodie pro-

prio vocabulo Ioques appellant: Gymnoſophiſtas olim Græci dixêre: ijque partim longiſſimè peregrinantur, ſtipem emendicantes: & victus, veſtitusq; aſperitate nacti exiſtimationem ac fidem, credulas hominũ mentes portentoſis mendacijs, varijsque ſuperſtitionibus in fraudem impellunt: partim in ſolitudinibus auijs, & ſubterraneis ſpecubus, duriſſimo vitæ genere, inedia, vigilia, nuditate, frigoris, æſtusque patientia ſemetipſi diſcruciant, abſtinentque ab omni corporis voluptate ad centum annorum ſpatium: quo exacto, in Abdutos (id nomen ordini) magna cum gloria referuntur. Hi tanquam humano faſtigio celſiores, & omnium rerum licentiam adepti, nullis iam tenentur legibus, & in omni ſcelerum, ac flagitiorum genere impune voluntantur. Eſt etiam Ioquibus rector maximus, qui vectigalia perampla diſpenſat: vocatosque ad ſe certis temporibus impoſtores, varias in regiones ad prædicanda impiæ vanitatis deliramenta dimittit. Parabrammam neſcio quem Deorum antiquiſſimum colunt, & ex eo filios tres: quorum in gratiam tria fila è collo ſuſpenſa gerunt. Multis præterea non hominibus modo, ſed brutis etiamnum animantibus cæleſtes habent honores, & templa ædificant, quibus in priſca illa Romanæ vrbis magnificentia vix quidquam ſimile extiterit. Sanè fanum eſt ſimio dicatum: cuius duntaxat pecori in victimarum vſum cuſtodiendo, porticus miram in longitudinem excurrit,

colu-

hæc cannabea veſtis, inquit, ô Peſtana, chalybea confeſtim apparebit. Itaq; omnes in hoſtem impetū ferunt, perculſos exterrēt, fundunt, fugantque: octoginta interficiūt, triginta viuos capiūt. Interim dum prælium cōmittitur, Peſtana in Viegam oculos cōijcit. Qui tanta virtute dimicabat, vt ipſi Peſtanæ ingentem admirationem cōmoueret. Quare prælio confecto ad illū ſupplex adit, cum his verbis. Vir fortiſſime, da veniam temeritati meæ: aut, ſi lubet, me fuſte contunde. Meritò enim hominem tuæ virtutis ignarū plagis afficies. Hac profectò mēte ſum, vt ſi tales ſex equites ſub ſignis haberem, minimè dubitarem Conſtantinopolim ingredi, vt Turcarū Imperatori catenas inijcerem. Oſor. lib. 1. de reb. Emm.

XXXXI. *Tyranni diem obeuntis prudens conſilium, pro filijs regnaturis.*

ALexāder Hieroſolymorum rex vltima preſſus ægritudine, ſcelerum ſuorum conſcius & auarè, crudeliterq; in populos graſſatus, cū timeret liberis (Hyrcano & Ariſtobulo) ne ſuum poſt obitum regno à popularibus pellerentur, vocatā ad ſe Alexandram vxorem monuit, vti animam cum ipſe egiſſet, cōfeſtim cadauer in publicū efferendū curaret, conuocatiſq; illico ciuibus, in eum prius inuecta, quod iniuſtus, rapax, impi9 nefarius, perditiſſimiſq; fuiſſet moribus: inde quaſi illorū faueret vindictæ, palam diceret, tradere ſe

columnarum ſeptingentarum è marmore, tantæ magnitudinis, vt Agrippæ columnas, quæ in celeberrimo quodam omnium Deorum templo Romæ viſuntur, ſine dubio adæquet, &c. Ex Maffeio, Hiſtoriar. Indic. lib. 1. Multa inſuper de hoc hominum genere, eorumque inſtitutis Nicolaus Orlandinus noſter, parte I. Hiſtoriæ Societatis IESV, lib. 4.

XXXVIII. *Miles ſtrenuiſsimus, & à Duce ſuo magnificè collaudatus.*

ARzilam Africæ oppidum, Emmanueli regi Luſitaniæ ſubditum cum præſidio tenebat Ioannes Meneſius. Erat cū ibi Franciſcus Pereira Peſtana, vir nobilis, & acer, qui iam multa in re militari facinora egregiæ virtutis ediderat. Hic obtentis à Præfecto ſeptuaginta equitibus, pagū quendam ſpoliare aggreſſus, greges pecudum, & armenta abegit. Sublatis paganorū clamoribus multi equites Mauri Peſtanam celeriter ſunt inſecuti, quorum impetum vt poterat ſuſtinebat. Cum iam octo millia paſſuum progreſſus fuiſſet; & Arzila quatuor adhuc millibus abeſſet, & valde hoſtium incurſu premeretur, ſuos in collem perduxit. Erat in eo comitatu eques admodum ſtrenuus, Iacobus Viegas, qui magnis vocibus omnes, vt in Mauros incurrerent, incitare cœpit. Peſtana natura ferox hominem aſperis verbis accepit: & inter alia probra illi cannabeam veſtē, qua tunc erat indutus, obiecit. Hic Viegas ridēs,

dentem patere: dein, experiundi, & cognoſcendi ſtudio, quod ſine magno apparatu ea res tentari non poſſet, Luſitano ante omnes regi eam expeditionem ſuaſit: ſuamque in id operam, & induſtriam enixè detulit. A quo reiectus, tanquam inania, & fabuloſa afferret, ad finitimum Caſtellæ regem Ferdinandum eodem conſilio ſeſe contulit. Ibi cum nihilomagis audiretur, inuicta quadam animi pertinacia, totum ferè ſeptennium, vorando repulſas, vrgendo, inſtandoque per ſe, & per amicos, tandem aliquando peruicit, vt in eam inquiſitionem tria ſibi regio ſumptu adornata nauigia ad Hiſpalim oræ Bæticæ præberentur. Cum ijs Atlanticum Oceanum egreſſus, Canarias primum inſulas petijt. Inde cõtinua dierum aliquot velificatione in occaſum prouectus, inſulas aperuit nouas, quas ab re, quod primæ occurriſſent, Principes nominauit: & expoſito milite nactus aurifodinas, loco idoneo caſtra communijt: relictoq; ibi præſidio, incolas ferme XII. & aliæ inuentæ eius regionis argumenta ſecum in Hiſpaniam reuexit. Ea res quo minus erat in ſpe, eo maiorem Ferdinandó regi, & aulæ vniuerſæ attulit voluptatẽ. De eius vita, & laudibus videndus Petrus Bizarus hiſtoriæ Genuenſis lib. 16. à principio. Item Iouius in Elogijs militarib. lib. 4.

De rebus geſtis huius clariſſimi ducis feruntur libri duo, opus ſcilicet imperfectum, carmine heroico, nomine Columbeidos, Iulij Stellæ

Romani, iuuenis ingenioſi, & ad poëtandum nati. Commendatur multum à Franciſco Bencio: placuitque P. Victorio, & M. Antonio Mureto, qualibus, quantiſque viris?

XXXIV. *Sollicitudo de proba filiorũ inſtitutione, & veneratio Magiſtri.*

EVectus poſt Valentem ad faſtigium auguſtale à Gratiano Valentiniani F. Occidẽtis Imp. Theodoſius, nihil antiquius habuit, quam vt Arcadio & Honorio filijs etiamnum peradoleſcentibus de idoneo Pręceptore proſpiceret, cuius opera litterarum, ac virtutũ diſciplinas combiberent. De eo conquirendo, & ad ſe Conſtantinopolim mittendo Gratiano ſcribit. Gratianus rem ad illius tẽporis Pont. Max. defert: Theodoſio vt gratificetur rogat. Pontifex Arſenium, Eccleſiæ Romanæ Diaconum, virum diuinis, humanisq; literis eruditiſſimum, vitaque innocentiſſimum cum cõmendatitijs nouam Romã (ſic enim iam inde à Conſtantino M. propter imperij domicilium eo translatum cœpta eſt appellari Conſtantinopolis) transmittit. Aſſecutus quod vouerat Theodoſius, pueros ad Arſeniũ adducit: eos non vt Imperatores, ſed vt plebeij ordinis tractare; õnia pro paterna auctoritate audere; flagris quoq; ad officium illos reuocare iubet. *Tu nunc illis*, inquit, *ad liberalem ſcientiã, & probatos mores dux, & auctor, magiſter, & parens eſto. Tibi vnicè commendatos, & in fidem tuam penitus traditos cupio.*

Ame habent corpus. Tu eorum animos, quos à Deo acceperunt præceptis tuis vtiliter, & ſalutariter forma. Plura in hanc ſententiam protulit, & virum illum in intimam familiaritatem recepit; grandi pecunia donauit: ſenatus Principem legit; nec filiorum tantum, ſed ſuum quoq; parentem nominauit. Quam deinde partes ſuas diligẽter egerit Arſenius, nihil attinet dicere. Scholam Imp. conclaui ſuo proximam conſtitui voluit, quò diſcentes commodius interuiſere, eorumq; progreſſus poſſet cognoſcere. Arſenius paruos auditores ſuos nihilominus, vt Imperatores deſignatos, reuerenter habebat: & cum eſſet ingenio modeſtiſſimo, non ſedens ipſe ſtantes, quod Theodoſius mandauerat, ſed contrà, ſedentes ſtans docebat. Id vbi Imperator deimprouisò ſcholam aliquando ingreſſus conſpexit, grauiter, ſibi non eſſe obtemperatum queſtus, audiuit reſponſum, fecisse quod decuiſſet: adoleſcentibus doctrinam, Imperatoribus honorem impertiuiſſe. Tum ſtomachabundus Theodoſius, Eia vero, quis eos Imperatores definiuit? Tune, qui vt tales ſic honoras? Mox inſignibus imperij ſpoliat: Arſenium in cathedra ornatiſſima quamuis repugnantem conſidere: filios confeſtim aſtare, eius vocem excipere cum veneratione iubet: addens hæc quoque. *Si ita ſe geſſerint, vt imperio digni cenſeantur, ſcientiæ videlicet compotes, & religione illuſtres, poterit illis* D E V S *bene pacatum, & ordinatum imperium, ad eorum quibus imperitabunt*

bunt vtilitatem tradere: ſin minus, longè ſatius eſt priuatos viuere, quam inſcienter, ac ſtultè cum incommodo ſuorum ciuium gubernacula tenere. Admiratus ſermonem hunc Arſenius, Imperatorem paucorum Imperatorum duxit: ac deinceps, vt ille ſibi præſcripſerat, diſciplinam eius filijs impendit. Breuiſſimè iſta Zonaras Tomo III. Pluribus multo in Arſenio Metaphraſtes: nos medium ſecuimus. Non præterit hiſtoriam Niceph. lib. 12. cap. 23.

Diſcant à Theodoſio parentes etiam nobiles, illuſtres, & potentes filiorum inſtitutionem cordi habere; & nonnunquam eos in ludo viſere: & à magiſtro quantum proficiant percũctando cognoſcere. Paulus Æmilius quoties per negotia licebat, filiorum exercitationibus intererat. Et Plin. iunior, cum amici filium ad diſciplinas alẽdum ſuſcepiſſet, ſcholam interdum intrare, & in rem præſentem venire non eſt dedignatus. Quærendi vero liberis magiſtri, vt monet Plutarch. de educandis liberis, quorum & inculpata ſit vita, & mores iuſtæ reprehẽſioni haud obnoxij, & peritia minimè vulgaris. Cratetis illa vox mandata eſt litteris; ſe ſi fieri poſſit, altiſſimo vrbis loco conſcenſo proclamaturum. Quò tenditis homines: qui rei faciendæ tantum ſtudium, filijs, quibus opes veſtras relinquetis curam perparuam impenditis?

XXXV. *Sanctos Dei non impunè irrideri, ac decipi.*

NOn modò hac vita defuncti, & beatis illis ſedibus donati, ſed adhuc in terris verſantes, & corpus hoc caducum circumferentes, omni honore, ac veneratione proſequēdi ſunt amici DEI, hoc eſt, homines, quoſdam quaſi ſanctimoniæ radios effundentes, & familias, atque vrbes ſuas illuſtrantes. Id adeo dubitabile non eſt, vt in DEVM ipſum audaces atque impij cenſendi ſint, qui eos verbo, facto, geſtu, & quauis demū ratione lædunt. Oſtendunt hoc ſupplicia, quibus ἀγιοϐλάπτας cæleſte numen ſæpius multauit. Pauca de multis exempla producemus. lib. 4. Regum Quinquagenarij duo cum quinquagenis militibus ſuis, ab Ochozia rege Iſraëlis ad Eliā in monte Carmelo ſedentem miſſi, eumque virum DEI per mycteriſmum appellantes, nonne cæleſtibus flammis Propheta optante, & DEO annuente conſumpti ſunt? *ſi vir* DEI *ſum*, inquit, *deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* De Heliſęo cap. 2 eiuſdem libri, cum aſcenderet in Bethel, egreſſos ex oppido pueros ſucclamaſſe per ludibriū, *aſcende calue, aſcende calue.* Eum reſpexiſſe: pueris in nomine Domini maledixiſſe: vrſos duos de ſaltu mox erupiſſe: duos ſupra quadraginta diſcerpſiſſe. Petro Apoſtolorū Principi, vt docetur Act. cap. 5. Ananias, & Sapphira ſuper agri venditi pretio mētiti cū

eſſent, ambo ante pedes eius mortui corruerunt. Ad tres ſanctiſſimos Epiſcopos venio, in vno quodam genere ſimiliter ludos factos, vt illuſores quidem putabant.

Primus eſto Gregorius Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus, cui res admirabiles, ſupra naturæ conditionem toties effectæ θαυματουργοῦ, id eſt, mirandorum operum effectoris cognomentum pepererunt. Eius vitam conſcripſit Gregorius Nyſſenus: laudes celebrauit Baſilius. Duo Iudæi eius famam infamare conſtituerant. Eorum alter mortuum ſe ſimulans, in via publica, quà iter ſancto erat, ſupinus iacebat. Alter funeri aſtans miſerabiliter lamentabatur; & prætereuntem magno clamore, vt tegendo, ac ſepeliendo ſocio, qui repentina morte occubuiſſet, aliquid veſtiū largiretur rogitabat. Sanctus ſine mora diploidem iacenti inijcit, & in itinere procedit. Simulatores iam ſoli cum eſſent, effuſus in riſum lamentator tanquam re bene geſta ſodalem ſurgere hortatur. Non audit, nec ſe quidquam mouet. Clariore voce inclamat, pede pulſat: nihil proficit. Nam ſimul ei veſtis iniecta, ſimul anima à corpore eiecta fuerat. Ita infælices Iudæi alijs documento fuerunt, ne ludificari auderent, quos DEVS charos habet, & vlciſci ſolet.

Secundus eſto Epiphanius Salaminæ, ſeu Conſtantiæ (nam binominis eſt) Cypri Epiſcopus, Arianorum iuratus, & perpetuus aduerſarius. Nec tamen ob id Valens Orientis Imper. quanquam

eiuſdem ſectæ ſectator eum tangere auſus eſt: tantæ venerationis hominem, vt & regnātes hæretici ignominiam ſummam ducerent, ſi talem virum perſequerentur, quod ſcribit Hieron. ep. 61. Vixit annos CXV. Huic duo ſycophantæ iter agenti fucum ſic facere conati ſunt planè, vt de Gregorio diximus. Preces pro exanimi Epiphanius concipit: animam DEO ſeriò commēdat: pallium ſuum ad cadauer operiendum porrigit, diſcedit. Hic impoſtor pſeudomortuo gratulabundus, agedum, inquit, ſurge: ſucceſſit negotium, & rudis atque indoctus ille abijt. Sed ecce, qui iacebat nec videre, nec audire, nec loqui; qui enim poterat verè mortuus? Tum Epiſcopum viuus inſequitur: genibus eius ſe aduoluens rem nuntiat; temeritati ſuæ veniam petit: lumine caſſum vt reſuſcitet, pallium vt recipiat rogat. Iubet ſanctus rogantem faceſſere, & mortuum ſepelire. Niceph. lib. 12. cap. 46.

Sequitur tertius, Iacobus Antiſtes Niſibenus, vnus de confeſſoribus, qui in Synodo Nicæna Arium anathemate perculerunt. Niceph. lib. 8. c. 14. Hunc ſimili modo, vt Epiphanium, pauperes, ſeu mendici deluſerunt. A quo poſtea impetrata venia, etiam mortuo vitam impetrarunt: vt ſeueritatem cum miſericordia miſcuerit. Haud illepidum, quod de eodem viro ſancto Nicephorus quoq; lib. 15. cap. 22. & Metaphraſtes narrant. Fontem præteribat, in quo puellæ altius ſuccinctæ pannos lauabant, nihil habitus eius, &

perſo-

perſonæ grauitatem reuerentes: ſed impudētius etiam oculos in eum defigentes, nec veſtem ſubmittentes. Quid is? fontē deteſtatur: aqua omnis illicò euaneſcit: capita illarū, ſancto hoc volente, repente incaneſcunt, rugæ frontes exarāt, anus fiunt, ſentiunt pœnam, inter ſe aſpiciunt, miraculum in vrbem confeſtim renuntiant. Ciues orant, vt ira poſita à filiabus malum depellat. DEVM precatus, fontem reduci:; proteruas illas in canitie relinquit, poſteris modeſtiæ, ac pudoris monitum, & diuinæ virtutis monimētum.

Quo pacto Ioannes Caluinus Geneuæ, quò ſe Prophetam, & à Deo miſſum probaret, à re familiari inopem, & ex compoſito mortuum ſe ſimulantem reuocare in vitam aggreſſus ſit, & viuum occiderit, in vita illius Hieronymus Bolſecus cap.13. commemorauit.

XXXVI. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Proverb. 19.*

NIſibi habitabat Chriſtiana mulier, nupta cū gentili, par coniugum inops, nec plus L. numiſmatis, ſeu nummis aureis poſſidens. Aliquādo vir vxori dixit, age, pecuniolam noſtram in fœnore collocemus, vt inde queſticulus aliquis, & ſolatium paupertati noſtræ redeat: paulatim enim eam impendimus, nec durabit diu. Si ita placet, inquit vxor, DEO Chriſtianorum illam fœnori demus, quem oſtendam tibi vbi ſit.

Nam ita non modò non perdes eam: ſed ille cũ vſura ſortem ipſam tibi reſtituet. Ducit ergo maritum in porticum Eccleſiæ, oſtentatiſq; illic ſedentibus mendicis, ſi his, ait, dederis, DEO dabis: omnes enim iſti ſunt DEI. Mox vir gaudens pecuniam diſtribuit. Menſis abierat tertius, cum in maxima rerum penuria ſic mulieri maritus. Vides, ſoror, quæ nos neceſsitudo circumſtet: & DEVS Chriſtianorum, vt apparet, debitum non exſoluet. Immò exſoluet, inquit illa. Repete locum, quo pecuniã diſpertiuiſti, & experiere quod dixi. Repetit, totam Eccleſiam circumit: neminem qui ſibi quidquam det inuenit: mendicos, vt ante, ibidem ſedentes conſpicit, & ſimul ante pedes ſuos iacens numiſma vnum, quo ſublato domum redit, & coniugi: ad Eccleſiam acceſſi, vt iuſſeras: DEVM Chriſtianorum non reperi: nemo mihi hilum eſt largitus: hoc numiſma illic inueni. Occurrit mulier. Atqui ille, qui mundum hũc modo in aſpectabili regit, hoc tibi munus præſtitit. Vade, eme quod edamus: rurſum nobis prouidebit quo egemus. Emit panem, vinum, piſcem. Quẽ exdorſuans fœmina, pulcherrimum in eo lapillum cum admiratione offendit; coniugi demonſtrat, neſcia qualis, & quã pretioſus eſſet. Petitum ab ea vir ſimplex, & rudis ad gemmarium vēditurus deportat. Gemmarius, quãti indicas? Da, inquit, quantũ lubet. Dat quinque numiſmata. Tum venditor ſibi illudi exiſtimans, & pretiũ nimis magnum ducens, tantum-

ne

me dicas? Gemmarius hominem εἰρωνικῶς loqui ratus, decem offert. Tacet venditor, & ſe irrideri ſuſpicatur. Emptor viginti ſoluturum ſpondet. Iterum obſtupefactus tacet. Quid multa? ad triginta, quadraginta, quinquaginta numiſmata aſcendit, & daturum iuratus affirmat. Creſcente pretio vẽditor apud ſe lapillum maioris æſtimare incipit, quam principiò æſtimarat. Tandem trecẽta numiſmata ei numerantur. Quibus ad vxorem ingenti gaudio portatis, illa ſimul exultans, quanto vendiderit percunctatur: non enim plus quinque, aut decem minutis vendidiſſe arbitrabatur. Exhibet pretium, & audit ab ea; En quam diues, quam bonus, quam gratus, quam liberalis eſt Chriſtianorum DEVS. Non ſolum quinquaginta numiſmata ſibi abs te commodata, ſed ſextuplicata reſtituit. Quare vel nunc mentem priſtinam exue, & non alium eſſe DEVM nec in cælo, nec in terra, præter hunc agnoſce. Ille miraculo admonitus, & experientia veritatem doctus, Chriſto nomen dedit. Sophronius Patriarcha Hieroſolymit. in Prato ſpirituali.

Quo pertinet hiſtoria ibidem cap. 195. recitata de Syneſio Ptolemaidis Epiſcopo. Habuit is amicum Euagrium nomine, Philoſophum ethnicũ. Quem cum Chriſtianum reddere conaretur, excipiebat ille de dogmatibus Chriſtianorũ credituu difficilibus: atq; inter alia de receptione poſt hanc vitam à Chriſto cẽtuplicis remunerationis bonorum, quæ hic diſperguntur in pauperes.

Sed

Sed cum etiam in his ſatisfeciſſet ei Syneſius, Euagrius tandem factus Chriſtianus, dedit ei auri tria centenaria, vt in pauperes erogaret, ea tamē conditione, vt Syneſius ipſe cautionem manu ſua ſcriberet, quòd Chriſtus illud aurum in futuro ſæculo eſſet redditurus. Factum eſt, vt poſt aliquot annos Philoſophus moriens præciperet filijs ſuis, vt cautionem illam vnà ſecum ſepelirēt. Tertio poſt die Syneſio quieſcenti apparuit, iuſſitque recipere chirographum ſuum, quoniam à Chriſto ipſi ſatisfactum eſſet abundè. Cum autem Syneſius aperto ſepulchro chirographum reciperet, reperit in eo confeſſionem accepti debiti, recenti manu Philoſophi ſubſcriptam. Narrat hanc hiſtoriam etiam Cedrenus.

XXXVII. *De Brachmanis Indorum ſacerdotibus, & ſapientibus.*

APud omnes præcipuo in honore Brachmanæ ſunt, patetque ea ſecta latiſſimè. Horum ſcitis omnia publica, & priuata ſacra ſubijciūtur. Hi cærimonias, & iuſta funebria ſuo arbitratu præſcribunt, ijdemque magno ſuo quæſtu prodigia, ſortes, auguria, & omina interpretantur. Horum diſciplina, inſtitutiſque reges ipſi imbuuntur, omnibus magnis paruiſque in rebus mirandum in modum illis obnoxij. Sed non vnum eſt Brachmanarum genus. Quippe alij liberis dant operam, veniuntq; in hominum frequentiam: alij cælibem agunt vitam, quos hodie propria

prio vocabulo Ioques appellant: Gymnoſophiſtas olim Græci dixêre: iiq́ue partim longiſſimè peregrinantur, ſtipem emendicantes: & victus, veſtitusq́; aſperitate nacti exiſtimationem ac fidem, credulas hominũ mentes portentoſis mendacijs, varijsq́ue ſuperſtitionibus in fraudem impellunt: partim in ſolitudinibus auijs, & ſubterraneis ſpecubus, duriſſimo vitæ genere, inedia, vigilia, nuditate, frigoris, æſtusq́ue patientia ſemetipſi diſcruciant, abſtinentq́ue ab omni corporis voluptate ad centum annorum ſpatium: quo exacto, in Abdutos (id nomen ordini) magna cum gloria referuntur. Hi tanquam humano faſtigio celſiores, & omnium rerum licentiam adepti, nullis iam tenentur legibus, & in omni ſcelerum, ac flagitiorum genere impune volutantur. Eſt etiam Ioquibus rector maximus, qui vectigalia perampla diſpenſat: vocatosq́ue ad ſe certis temporibus impoſtores, varias in regiones ad prædicanda impiæ vanitatis deliramenta dimittit. Parabrammam neſcio quem Deorum antiquiſſimum colunt, & ex eo filios tres: quorum in gratiam tria fila è collo ſuſpenſa gerunt. Multis prætereà non hominibus modo, ſed brutis etiamnum animantibus cæleſtes habent honores, & templa ædificant, quibus in priſca illa Romanæ vrbis magnificentia vix quidquam ſimile extiterit. Sanè fanum eſt ſimio dicatum: cuius duntaxat pecori in victimarum vſum cuſtodiendo, porticus miram in longitudinem excurrit,

colu-

hæc cannabea veſtis, inquit, ô Peſtana, chalybea confeſtim apparebit. Itaq; omnes in hoſtem impetũ ferunt, perculſos exterrẽt, fundant, fugantque: octoginta interficiũt, triginta viuos capiũt. Interim dum prælium cõmittitur, Peſtana in Viegam oculos cõijcit. Qui tanta virtute dimicabat, vt ipſi Peſtanæ ingentem admirationem cõmoueret. Quare prælio confecto ad illũ ſupplex adit, cum his verbis. Vir fortiſſime, da veniam temeritati meæ: aut, ſi lubet, me fuſte contunde. Meritò enim hominem tuę virtutis ignarũ plagis afficies. Hec profectò mẽte ſum, vt ſi tales ſex equites ſub ſignis haberem, minimè dubitarem Conſtantinopolim ingredi, vt Turcarũ Imperatori catenas inijcerem. Oſor. lib. 1. de reb. Emm.

XXXXI. *Tyranni diem obeuntis prudens conſilium, pro filijs regnaturis.*

ALexãder Hieroſolymorum rex vltima preſſus ægritudine, ſcelerum ſuorum conſcius & auarè, crudeliterq; in populos graſſatus, cũ timeret liberis (Hyrcano & Ariſtobulo) ne ſuum poſt obitum regno à popularibus pellerentur, vocatã ad ſe Alexandram vxorem monuit, vti animam cum ipſe egiſſet, cõfeſtim cadauer in publicũ efferendũ curaret, conuocatiſq; illico ciuibus, in eũm prius inuecta, quod iniuſtus, rapax, impiꝰ nefarius, perditiſſimiſq; fuiſſet moribus: inde quaſi illorũ faueret vindictæ, palam diceret, tradere ſe

Ale-

columnarum ſeptingentarum è marmore, tantæ magnitudinis, vt Agrippæ columnas, quæ in celeberrimo quodam omnium Deorum templo Romæ viſuntur, ſine dubio adæquet, &c. Ex Maffeio, Hiſtoriar. Indic. lib. 1. Multa inſuper de hoc hominum genere, eorumque inſtitutis Nicolaus Orlandinus noſter, parte I. Hiſtoriæ Societatis IESV, lib. 4.

XXXVIII. *Miles ſtrenuiſsimus, & à Duce ſuo magnificè collaudatus.*

ARzilam Africæ oppidum, Emmanueli regi Luſitaniæ ſubditum cum præſidio tenebat Ioannes Meneſius. Erat cũ ibi Franciſcus Pereira Peſtana, vir nobilis, & acer, qui iam multa in re militari facinora egregiæ virtutis ediderat. Hic obtentis à Præfecto ſeptuaginta equitibus, pagũ quendam ſpoliare aggreſſus, greges pecudum, & armenta abegit. Sublatis paganorũ clamoribus multi equites Mauri Peſtanam celeriter ſunt inſecuti, quorum impetum vt poterat ſuſtinebat. Cum iam octo millia paſſuum progreſſus fuiſſet, & Arzila quatuor adhuc millibus abeſſet, & valde hoſtium incurſu premeretur, ſuos in collem perduxit. Erat in eo comitatu eques admodum ſtrenuus, Iacobus Viegas, qui magnis vocibus omnes, vt in Mauros incurrerent, incitare cœpit. Peſtana natura ferox hominem aſperis verbis accepit: & inter alia probra illi cannabeam veſtẽ, qua tunc erat indutus, obiecit. Hic Viegas ridẽs,

XXXIII. *Factum Chriſtophori Columbi, quo is urbane obtrectatoribus ſuis os obturauit. Item nauigationis eiusdem cauſſæ, & initia.*

PRæfatione Criticorum ſuorum Lipſius rem auditu, lectúue non ingratam memorat de Chriſtophoro Columbo, qui Indiam occidentalem primus aperuit, eámque ad inſtitutum bellè accommodat. Quam ego nondum alibi à me lectam, huic Syntagmati intexendam exiſtimaui. Sic autem ſe habet. Sed videlicet ita humanum ingenium eſt, facilia putare quæ iam facta; nec de ſalebris cogitare, vbi via ſit ſtrata. Chriſtophori Columbi dictum, & factum appoſitè iis ingeram, illius qui nouum orbem retexit primus. Cum enim ea res in magna gloria, & ſimul inuidia eſſet; euenit, vt in conuiuio quopiam Hiſpani proceres hanc laudem eius delibatum irent, & imminutum. Quippe rem pronam eam fuiſſe, nauigationē ſine diſcrimine, appulſus faciles: deniq; vnum aliquem ex ſeſe potuiſſe eaſdem illas terras, genteſq; reperire, ſine Itali hominis vllo niſu. Columbus (aderat enim) cum tacitus diu audiſſet, ſurrexit, & velut aliud agens ouum attulit à gallina, in menſa repoſuit, & heus ſodales, inquit, quis veſtrûm ille ſollers, qui hoc ouum rectum mihi deſtituat, & in caput? Muſſare illi, circumſpicere: negare ad extremum

omnes id fieri. Immò,fiet,inquit:& ſimul ouum leniter à capite tuſum, & quaſſatum, depoſuit erectum. Enimvero hìc riſus, & pæne irriſus. Per ſe quiſque rem facilem, nugatoriamque eſſe dicere. Attamen, ait ille, renidens, quis veſtrûm hoc facile ante me indicem potuit? Talis inuentio noui orbis eſt: quem inueniendum ante me nemo, omnes inueniant inuentum. Hoc, inquã, aptè dixerim de emendationibus noſtris & coniecturis: quas ſpernunt multi repertas: ſudant multum in reperiendis.

Qua porrò occaſione ad iſtam nauigationem ſuſcipiendam,& manſuram ſibi in ſæcula famam querendam impulſus fuerit Columbus, quantũque pro ea ſibi committenda apud Luſitaniæ & Caſtellæ reges laborarit, luculenter Ioannes Petrus Maffeius Hiſtoriarum Indicar. libro primo ſic expoſuit. Cæterùm his tam lætis rerum exordijs, breui tota pæne Europa vulgatis (primarum ſcilicet nauigationẽ in Indiam, ſub auſpicijs Emmanuelis regis, ſucceſſibus fæliciſſimis) Luſitanum nomen magna vbique in admiratione eſſe; celebrari omnium linguis: nauigandi ſcientia, & gloria Græcis, Phœnicibus, Carthaginenſibus anteferri. Cuius laudis æmulatione incenſus Chriſtophorus Columbus Ligur, ingentis animi vir, & rei nauticæ in primis peritus, & ex aſtronomica diſciplina, & nonnullis veterum monumẽtis, eodem fere tempore ſtatuit, trans noti orbis terminos magna terrarum ſpatia etiam in occi-

 dentem

Romani, iuuenis ingenioſi, & ad poëtandum nati. Commendatur multum à Franciſco Bencio: placuitque P. Victorio, & M. Antonio Mureto, qualibus, quantiſque viris?

XXXIV. *Sollicitudo de proba filiorũ institutione, & veneratio Magiſtri.*

EVectus poſt Valentem ad faſtigium auguſtale à Gratiano Valentiniani F. Occidẽtis Imp. Theodoſius, nihil antiquius habuit, quam vt Arcadio & Honorio filijs etiamnum peradoleſcentibus de idoneo Præceptore proſpiceret, cuius opera litterarum, ac virtutũ diſciplinas combiberent. De eo conquirendo, & ad ſe Conſtantinopolim mittendo Gratiano ſcribit. Gratianus rem ad illius tẽporis Pont. Max. defert: Theodoſio vt gratificetur rogat. Pontifex Arſenium, Eccleſiæ Romanæ Diaconum, virum diuinis, humanisq; literis eruditiſſimum, vitaque innocentiſſimum cum cõmendatitijs nouam Romã (ſic enim iam inde à Conſtantino M. propter imperij domicilium eo translatum cœpta eſt appellari Conſtantinopolis) transmittit. Aſſecutus quod vouerat Theodoſius, pueros ad Arſeniũ adducit: eos non vt Imperatores, ſed vt plebeij ordinis tractare; õnia pro paterna auctoritate audere; flagris quoq; ad officium illos reuocare iubet. *Tu nunc illis*, inquit, *ad liberalem ſcientiã, & probatos mores dux, & auctor, magiſter, & parens eſto. Tibi vnicè commendatos, & in fidem tuam penitus traditos cupio.*

A me habent corpus. Tu eorum animos, quos à Deo acceperunt præceptis tuis vtiliter, & ſalutariter forma. Plura in hanc ſententiam protulit, & virum illum in intimam familiaritatem recepit; grandi pecunia donauit: ſenatus Principem legit; nec filiorum tantum, ſed ſuum quoq; parentem nominauit. Quam deinde partes ſuas diligēter egerit Arſenius, nihil attinet dicere. Scholam Imp. conclaui ſuo proximam conſtitui voluit, quò diſcentes commodius interuiſere, eorumq; progreſſus poſſet cognoſcere. Arſenius paruos auditores ſuos nihilominus, vt Imperatores deſignatos, reuerenter habebat: & cum eſſet ingenio modeſtiſſimo, non ſedens ipſe ſtantes, quod Theodoſius mandauerat, ſed contrà, ſedentes ſtans docebat. Id vbi Imperator deimprouisò ſcholam aliquando ingreſſus conſpexit, grauiter, ſibi non eſſe obtemperatum queſtus, audiuit reſponſum, fecitſe quod decuiſſet: adoleſcentibus doctrinam, Imperatoribus honorem impertiuiſſe. Tum ſtomachabundus Theodoſius, Eia vero, quis eos Imperatores definiuit? Tune, qui vt tales ſic honoras? Mox inſignibus imperij ſpoliat: Arſenium in cathedra ornatiſſima quamuis repugnantem conſidere: filios confeſtim aſtare, eius vocem excipere cum veneratione iubet: addens hæc quoque. *Si ita ſe geſſerint, vt imperio digni cenſeantur, ſcientia videlicet compotes, & religione illuſtres, poterit illis* DEVS *bene pacatum, & ordinatum imperium, ad eorum quibus imperitabunt.*

bunt vtilitatem tradere: ſin minus, longè ſatius eſt priuatos viuere, quam inſcienter, ac ſtultè cum incommodo ſuorum ciuium gubernacula tenere. Admiratus ſermonem hunc Arſenius, Imperatorem paucorum Imperatorum duxit: ac deinceps, vt ille ſibi præſcripſerat, diſciplinam eius filijs impendit. Breuiſſimè iſta Zonaras Tomo III. Pluribus multo in Arſenio Metaphraſtes: nos medium ſecuimus. Non præterit hiſtoriam Niceph. lib. 12. cap. 23.

Diſcant à Theodoſio parentes etiam nobiles, illuſtres, & potentes filiorum inſtitutionem cordi habere; & nonnunquam eos in ludo viſere: & à magiſtro quantum proficiant percũctando cognoſcere. Paulus Æmilius quoties per negotia licebat, filiorum exercitationibus intererat. Et Plin. iunior, cum amici filium ad diſciplinas alẽdum ſuſcepiſſet, ſcholam interdum intrare, & in rem pręſentem venire non eſt dedignatus. Quęrendi vero liberis magiſtri, vt monet Plutarch. de educandis liberis, quorum & inculpata ſit vita, & mores iuſtæ reprehẽſioni haud obnoxij, & peritia minimè vulgaris. Crateris illa vox mandata eſt litteris; ſe ſi fieri poſſit, altiſſimo vrbis loco conſcenſo proclamaturum. Quò tenditis homines: qui rei faciendæ tantum ſtudium, filijs, quibus opes veſtras relinquetis curam perparuam impenditis?

XXXV. *Sanctos Dei non impunè irrideri, ac decipi.*

NOn modò hac vita defuncti, & beatis illis ſedibus donati, ſed adhuc in terris verſantes, & corpus hoc caducum circumferentes, omni honore, ac veneratione proſequẽdi ſunt amici DEI, hoc eſt, homines, quoſdam quaſi ſanctimoniæ radios effundentes, & familias, atque vrbes ſuas illuſtrantes. Id adeo dubitabile non eſt, vt in DEVM ipſum audaces atque impij cenſendi ſint, qui eos verbo, facto, geſtu, & quauis demũ ratione lædunt. Oſtendunt hoc ſupplicia, quibus ἁγιοϐλάπτας cæleſte numen ſæpius multauit. Pauca de multis exempla producemus. lib. 4. Regum Quinquagenarij duo cum quinquagenis militibus ſuis, ab Ochozia rege Iſraëlis ad Eliã in monte Carmelo ſedentem miſſi, eumque virum DEI per mycteriſmum appellantes, nonne cæleſtibus flammis, Propheta optante, & DEO annuente conſumpti ſunt? *ſi vir* DEI *ſum*, inquit, *deſcendat ignis de calo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.* De Heliſęo cap. 2 eiuſdem libri, cum aſcenderet in Bethel, egreſſos ex oppido pueros ſucclamaſſe per ludibriũ, *aſcende calue, aſcende calue.* Eum reſpexiſſe: pueris in nomine Domini maledixiſſe: vrſos duos de ſaltu mox erupiſſe: duos ſupra quadraginta diſcerpſiſſe. Petro Apoſtolorũ Principi, vt docetur Act. cap. 5. Ananias, & Sapphira ſuper agri venditi pretio mentiti cũ

eſſent,

eſſent, ambo ante pedes eius mortui corruerunt. Ad tres ſanctiſſimos Epiſcopos venio, in vno quodam genere ſimiliter ludos factos, vt illuſores quidem putabant.

Primus eſto Gregorius Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus, cui res admirabiles, ſupra naturæ conditionem toties effectæ θαυματουργοῦ, id eſt, mirandorum operum effectoris cognomentum pepererunt. Eius vitam conſcripſit Gregorius Nyſſenus: laudes celebrauit Baſilius. Duo Iudæi eius famam infamare conſtituerant. Eorum alter mortuum ſe ſimulans, in via publica, quà iter ſancto erat, ſupinus iacebat. Alter funeri aſtans miſerabiliter lamentabatur; & prætereuntem magno clamore, vt tegendo, ac ſepeliendo ſocio, qui repentina morte occubuiſſet, aliquid veſtiũ largiretur rogitabat. Sanctus ſine mora diploidem iacenti inijcit, & in itinere procedit. Simulatores iam ſoli cum eſſent, effuſus in riſum lamentator tanquam re bene geſta ſodalem ſurgere hortatur. Non audit, nec ſe quidquam mouet. Clariore voce inclamat, pede pulſat: nihil proficit. Nam ſimul ei veſtis iniecta, ſimul anima è corpore eiecta fuerat. Ita infælices Iudæi alijs documento fuerunt, ne ludificari auderent, quos DEVS charos habet, & vlciſci ſolet.

Secundus eſto Epiphanius Salaminæ, ſeu Conſtantiæ (nam binominis eſt) Cypri Epiſcopus, Arianorum iuratus, & perpetuus aduerſarius. Nec tamen ob id Valens Orientis Imper. quanquam

eiuſdem ſectæ ſectator eum tangere auſus eſt: tantæ venerationis hominem, vt & regnãtes hæretici ignominiam ſummam ducerent, ſi talem virum perſequerentur, quod ſcribit Hieron. ep. 61. Vixit annos CXV. Huic duo ſycophantæ iter agenti fucum ſic facere conati ſunt planè, vt de Gregorio diximus. Preces pro exanimi Epiphanius concipit: animam DEO ſeriò commẽdat; pallium ſuum ad cadauer operiendum porrigit, diſcedit. Hîc impoſtor pſeudomortuo gratulabundus, agedum, inquit, ſurge: ſucceſſit negotium, & rudis atque indoctus ille abijt. Sed ecce, qui iacebat nec videre, nec audire, nec loqui; quî enim poterat verè mortuus? Tum Epiſcopum viuus inſequitur: genibus eius ſe aduoluens rem nuntiat; temeritati ſuæ veniam petit: lumine caſſum vt reſuſcitet, pallium vt recipiat rogat. Iubet ſanctus rogantem faceſſere, & mortuum ſepelire. Niceph. lib. 12. cap. 46.

Sequitur tertius, Iacobus Antiſtes Niſibenus, vnus de confeſſoribus, qui in Synodo Nicæna Arium anathemate perculerunt. Niceph. lib. 8. c. 14. Hunc ſimili modo, vt Epiphanium, pauperes, ſeu mendici deluſerunt. A quo poſtea impetrata venia, etiam mortuo vitam impetrarunt: vt ſeueritatem cum miſericordia miſcuerit. Haud illepidum, quod de eodem viro ſancto Nicephorus quoq; lib. 15. cap. 22. & Metaphraſtes narrant. Fontem præteribat, in quo puellæ altius ſuccinctæ pannos lauabant, nihil habitus eius, &

perſo-

perſonæ grauitatem reuerentes: ſed impudĕtius etiam oculos in eum defigentes, nec veſtem ſubmittentes. Quid is? fontĕ deteſtatur: aqua omnis illicò euaneſcit: capita illarũ, ſancto hoc volente, repente incaneſcunt, rugæ frontes exarãt, anus fiunt, ſentiunt pœnam, inter ſe aſpiciunt, miraculum in vrbem confeſtim renuntiant. Ciues orant, vt ira poſita à filiabus malum depellat. DEVM precatus, fontem reduci:; proteruas illas in canitie relinquit, poſteris modeſtiæ, ac pudoris monitum, & diuinæ virtutis monimĕtum.

Quo pacto Ioannes Caluinus Geneuæ, quò ſe Prophetam, & à Deo miſſum probaret, à re familiari inopem, & ex compoſito mortuum ſe ſimulantem reuocare in vitam aggreſſus ſit, & viuum occiderit, in vita illius Hieronymus Bolſecus cap.13. commemorauit.

XXXVI. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis: & viciſſitudinem ſuam reddet ei. Proverb. 19.*

NIſibi habitabat Chriſtiana mulier, nupta cũ gentili, par coniugum inops, nec plus L. numiſmatis, ſeu nummis aureis poſſidens. Aliquãdo vir vxori dixit, age, pecuniolam noſtram in fœnore collocemus, vt inde queſticulus aliquis, & ſolatium paupertati noſtræ redeat: paulatim enim eam impendimus, nec durabit diu. Si ita placet, inquit vxor, DEO Chriſtianorum illam fœnori demus, quem oſtendam tibi vbi ſit.

 Nam

Nam ita non modò non perdes eam: ſed ille cū vſura ſortem ipſam tibi reſtituet. Ducit ergo maritum in porticum Eccleſiæ, oſtentatiſq; illic ſedentibus mendicis, ſi his, ait, dederis, DEO dabis: omnes enim iſti ſunt DEI. Mox vir gaudens pecuniam diſtribuit. Menſis abierat tertius, cum in maxima rerum penuria ſic mulieri maritus. Vides, ſoror, quæ nos neceſsitudo circumſtet: & DEVS Chriſtianorum, vt apparet, debitum non exſoluet. Immò exſoluet, inquit illa. Repete locum, quo pecuniā diſpertiuiſti, & experiere quod dixi. Repetit, totam Eccleſiam circumit: neminem qui ſibi quidquam det inuenit: mendicos, vt ante, ibidem ſedentes conſpicit, & ſimul ante pedes ſuos iacens numiſma vnum, quo ſublato domum redit, & coniugi: ad Eccleſiam acceſſi, vt iuſſeras: DEVM Chriſtianorum non reperi: nemo mihi hilum eſt largitus: hoc numiſma illic inueni. Occurrit mulier. Atqui ille, qui mundum hūc modo in aſpectabili regit, hoc tibi munus praſtitit. Vade, eme quod edamus: rurſum nobis prouidebit quo egemus. Emit panem, vinum, piſcem. Quē exdorſuans fœmina, pulcherrimum in eo lapillum cum admiratione offendit; coniugi demonſtrat, neſcia qualis, & quā pretioſus eſſet. Petitum ab ea vir ſimplex, & rudis ad gemmarium venditurus deportat. Gemmarius, quāti indicas? Da, inquit, quantū lubet. Dat quinque numiſmata. Tum venditor ſibi illudi exiſtimans, & pretiū nimis magnum ducens, tantum-

me dicas? Gemmarius hominem εἰρωνικῶς loqui ratus, decem offert. Tacet venditor, & ſe irrideri ſuſpicatur. Emptor viginti ſoluturum ſpondet. Iterum obſtupefactus tacet. Quid multa? ad triginta, quadraginta, quinquaginta numiſmata aſcendit, & daturum iuratus affirmat. Creſcente pretio vēditor apud ſe lapillum maioris æſtimare incipit, quam principiò æſtimarat. Tandem trecēta numiſmata ei numerantur. Quibus ad vxorem ingenti gaudio portatis, illa ſimul exultans, quanto vendiderit percunctatur: non enim plus quinque, aut decem minutis vendidiſſe arbitrabatur. Exhibet pretium, & audit ab ea; En quam diues, quam bonus, quam gratus, quam liberalis eſt Chriſtianorum DEVS. Non ſolum quinquaginta numiſmata ſibi abs te commodata, ſed ſextuplicata reſtituit. Quare vel nunc mentem priſtinam exue, & non alium eſſe DEVM nec in cælo, nec in terra, præter hunc agnoſce. Ille miraculo admonitus, & experientia veritatem doctus, Chriſto nomen dedit. Sophronius Patriarcha Hieroſolymit. in Prato ſpirituali.

Quo pertinet hiſtoria ibidem cap. 195. recitata de Syneſio Ptolemaidis Epiſcopo. Habuit is amicum Euagrium nomine, Philoſophum ethnicū. Quem cum Chriſtianum reddere conaretur, excipiebat ille de dogmatibus Chriſtianorū creditu difficilibus: atq; inter alia de receptione poſt hanc vitam à Chriſto cētuplicis remunerationis bonorum, quæ hic diſperguntur in pauperes;

Sed cum etiam in his ſatisfeciſſet ei Syneſius, Euagrius tandem factus Chriſtianus, dedit ei auri tria centenaria, vt in pauperes erogaret, ea tamē conditione, vt Syneſius ipſe cautionem manu ſua ſcriberet, quòd Chriſtus illud aurum in futuro ſæculo eſſet redditurus. Factum eſt, vt poſt aliquot annos Philoſophus moriens præciperet filijs ſuis, vt cautionem illam vnà ſecum ſepelirēt. Tertio poſt die Syneſio quieſcenti apparuit, iuſſitque recipere chirographum ſuum, quoniam à Chriſto ipſi ſatisfactum eſſet abundè. Cum autem Syneſius aperto ſepulchro chirographum reciperet, reperit in eo confeſſionem accepti debiti, recenti manu Philoſophi ſubſcriptam. Narrat hanc hiſtoriam etiam Cedrenus.

XXXVII. *De Brachmanis Indorum ſacerdotibus, & ſapientibus.*

APud omnes præcipuo in honore Brachmanæ ſunt, patetque ea ſecta latiſſimè. Horum ſcitis omnia publica, & priuata ſacra ſubijciūtur. Hi cærimonias, & iuſta funebria ſuo arbitratu præſcribunt, ijdemque magno ſuo quæſtu prodigia, ſortes, auguria, & omina interpretantur. Horum diſciplina, inſtitutiſque reges ipſi imbuuntur, omnibus magnis paruiſque in rebus mirandum in modum illis obnoxij. Sed non vnum eſt Brachmanarum genus. Quippe alij liberis dant operam, veniuntq; in hominum frequentiam: alij cælibem agunt vitam, quos hodie propria

prio vocabulo Ioques appellant: Gymnoſophiſtas olim Græci dixêre: ijque partim longiſſimè peregrinantur, ſtipem emendicantes: & victus, veſtitusq; aſperitate nacti exiſtimationem ac fidem, credulas hominũ mentes portentoſis mendacijs, varijsque ſuperſtitionibus in fraudem impellunt: partim in ſolitudinibus auijs, & ſubterraneis ſpecubus, duriſſimo vitæ genere, inedia, vigilia, nuditate, frigoris, æſtusque patientia ſemetipſi diſcruciant, abſtinentque ab omni corporis voluptate ad centum annorum ſpatium: quo exacto, in Abdutos (id nomen ordini) magna cum gloria referuntur. Hi tanquam humano faſtigio celſiores, & omnium rerum licentiam adepti, nullis iam tenentur legibus, & in omni ſcelerum, ac flagitiorum genere impune voluntantur. Eſt etiam Ioquibus rector maximus, qui vectigalia perampla diſpenſat: vocatosque ad ſe certis temporibus impoſtores, varias in regiones ad prædicanda impiæ vanitatis deliramenta dimittit. Parabrammam neſcio quem Deorum antiquiſſimum colunt, & ex eo filios tres: quorum in gratiam tria fila è collo ſuſpenſa gerunt. Multis præterea non hominibus modo, ſed brutis etiamnum animantibus cæleſtes habent honores, & templa ædificant, quibus in priſca illa Romanæ vrbis magnificentia vix quidquam ſimile extiterit. Sanè fanum eſt ſimio dicatum: cuius duntaxat pecori in victimarum vſum cuſtodiendo, porticus miram in longitudinem excurrit,

colu-

columnarum ſeptingentarum è marmore, tantæ magnitudinis, vt Agrippæ columnas, quæ in celeberrimo quodam omnium Deorum templo Romæ viſuntur, ſine dubio adæquet, &c. Ex Maffeio, Hiſtoriar. Indic. lib. 1. Multa inſuper de hoc hominum genere, eorumque inſtitutis Nicolaus Orlandinus noſter, parte I. Hiſtoriæ Societatis IESV, lib. 4.

XXXVIII. *Miles ſtrenuiſsimus, & à Duce ſuo magnificè collaudatus.*

ARzilam Africæ oppidum, Emmanueli regi Luſitaniæ ſubditum cum præſidio tenebat Ioannes Meneſius. Erat cū ibi Franciſcus Pereira Peſtana, vir nobilis, & acer, qui iam multa in re militari facinora egregiæ virtutis ediderat. Hic obtentis à Præfecto ſeptuaginta equitibus, pagū quendam ſpoliare aggreſſus, greges pecudum, & armenta abegit. Sublatis paganorū clamoribus multi equites Mauri Peſtanam celeriter ſunt inſecuti, quorum impetum vt poterat ſuſtinebat. Cum iam octo millia paſſuum progreſſus fuiſſet, & Arzila quatuor adhuc millibus abeſſet, & valde hoſtium incurſu premeretur, ſuos in collem perduxit. Erat in eo comitatu eques admodum ſtrenuus, Iacobus Viegas, qui magnis vocibus omnes, vt in Mauros incurrerent, incitare cœpit. Peſtana natura ferox hominem aſperis verbis accepit: & inter alia probra illi cannabeam veſtē, qua tunc erat indutus, obiecit. Hic Viegas ridēs,

Alexandri corpus dilaniandum ciuibus: vt quem in viuum nequijſſent, in mortuum ſaltem iram exercerent. Dilacerarent itaq; illud, & hoc vindictæ genere ſæuiſſimum vlciſcerentur Tyrannum. Eaque vbi peregiſſet, commendaret illis liberos, vt innocentes, impuberes, ac nihil mali meritos. Quod Alexandra ſumma ſeueritate, & prudentia exſecuta cum eſſet, ita quidem vniuerſæ multitudinis animum mouit, vt non ſolum liberis, regnoque ſalubriter conſuluerit, verum mariti etiam funeribus. Siquidem populares hac tanquam liberalitate, iuſtoque iudicio deliniti, regio more iuſta Alexandro perſoluere. Hæc ex Iouiano de Prudentia lib. 5. qui diſertius, & planius exponit, quæ ſunt apud Ioſeph. Antiquitat. lib. 13. cap. 23. & 24. Addit autem hęc digna lectu *Prudentiſſimum ſanè Alexandri morientis conſilium; nec minus Alexandræ poſt coniugis obitum egregium factum. Qua in re, etſi ſola prudentia videtur locum obtinuiſſe, non caruit tamen occulto iuſtitiæ præſidio: cum populus ipſe iuſte ſecū agi ab Alexandra iudicaret, quæ pro patratis à tyranno ſceleribus corpus eius popularium iræ, qui iniuriam acceperant, ſponte quoque permiſiſſet. Inuenit igitur prudentia remedium, quod ratione alia in re admodū perdita adhiberi nullo modo poſſe viſum eſt.*

XL. *Humanitas, & ſollertia muliebris.*

Pythes

PYthes quidam Perſa vxorem habebat. Inciderat in metalla auri: & quas inde conſequebatur diuitias, non moderatè amplexus: ſed inexplebilis animi ſtudio perſequens, cum ipſe ſupra modum ei negotio vacabat; tum vniuerſos ciues eò adductos, ex æquo fodere, aut terram egerere, aut purgare aurum cogebat, omnibus alijs actionibus, operibusque prorſum neglectis. Multis tum pereuntibus, omnibusque animum deſpondentibus, mulieres ad ianuam vxoris eius ſeſe contulerunt, ibique de more ſupplicationis ſignum depoſuerunt. Ea diſcedere his, & bono animo eſſe iuſſis, aurifabros, quibus maximè fidebat, ad ſe acciuit: domique incluſos, iuſſit panes, bellaria, poma, & alios cibos, quibus maximè delectari maritum nouerat, ex auro omnia conficere. Profectus túm forte peregre erat Pythes. Qui vt domum redijt, cœnamq; popoſcit, auream ei mulier menſam appoſuit, nullo eſui apto cibo: ſed omnibus aureis inſtructã. Quum initiò delectatus artificio naturam imitante, ſatur ſpectaculi poſceret cibum, quodcunq; peteret, id aureum ei mulier attulit. Indignanti, & eſurire ſe reſpondenti: atqui, inquit, harum tu rerum nobis copiam, nullius præterea parauiſti. Omnia enim artificia, omnis vſus aliarum rerum deſertus eſt: agros nemo colit, & poſthabita ſatione, plantatione, alimentorumq; è tellure cõparatione, fodimus inutilia, ac quærimus nobis, ciuibus extremam exhibentes moleſtiam. Per-

mouit hac oratione Pythen. Et quanquam à ſe-ćturis aureis non plane deſtitit, contentus tamẽ quinta ciuium parte ad hanc rem, reliquos agriculturæ, & artibus ſuis incumbere iuſſit. Plutarch. de virtut. mulierum.

Alter Midas fuit hic Pythes, cuius votum erat, vt quidquid tangeret in aurum verteretur. Itaq; etiam cibi in aurum illi mutati ſunt, vt canit Ovid. Metam. 11. Cuius fabulæ gnara prudens hæc mulier, viro aureas epulas apponendo, eum auaritiæ, & importunitatis ſuæ pœnitere coëgit.

XLI. *Edictum Alarici Gotthorum Regis occupata Roma, eius direptio. Duorum Gotthorum pia humanitas.*

ROmam arcem, caput, ſedem imperij, Chriſtianæ religionis ſolium, omnium eccleſiarũ caput, principem quondam, & dominam orbis terrarum barbarus hoſtis, Alaricus, inquã, Gotthus; Honorio Theodoſij M. F. Occidentis Imperatore dormitante, biennio obſeſſam, anno ab ea condita MCLXIV. Domini vero CCCCX. IX. Kalend. Septembris cum exercitu ingreſſus eſt: ſtatimque per præconem publicè edixit, vt pro ſe quiſque bona, fortunasque ciuium raperent: verùm à cæde hominum, & direptione ſacrorum ſe continerent, atque omnibus parcerent, qui ad Baſilicam S. Petri confugiſſent. De qua [illegible] pro-

promulgatione hunc in modum Auguſtin. 1. Ciuit. cap. 1. *An non etiam illi Romani Chriſti nomini infeſti ſunt, quibus propter Chriſtum barbari pepercerunt? teſtantur hoc martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in illa vaſtatione vrbis ad ſe confugientes ſuos, alienoſq́; receperunt. Huc vſque cruentus ſæuiebat inimicus: ibi accipiebat limitem trucidatoris furor: illò ducebantur à miſerantibus hoſtibus, quibus etiam extra loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui ſimilem miſericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipſi alibi truces, atque hoſtili more ſæuientes, poſteaquam ad loca illa veniebant, vbi fuerat interdictum, quod alibi iure belli licuiſſet, tota refrænabatur immanitas, & captiuandi cupiditas frangebatur.* In ſigno buccina accepto, Gotthi horrendo clamore ſublato, in diuerſas vrbis partes inhianti ad prædandum animo diſcurrerunt, ac promiſcuè omnia captiuitate, ac direptione turbarunt. Edicto audito ciues, quicunque potuerunt, cum rebus ſuis pretioſiſſimis ad Baſilicam confugerunt. Gotthi poſtea domos paſſim pretioſa ſupellectile exuerunt; tot opibus in vnam vrbem ex diutina pace, imperioque contractis, quot humana auaritia, vniuerſo terrarum orbe ſpoliato potuerat cumulare. Manus vero pauciſſimis hominibus intulerunt, vt Auguſtinus ſcribat, Gotthos tam multis ſenatoribus pepercisse, vt mirandum magis eſſet, quod aliquot peremiſſent. Præcipuè pretioſa Salomonis ſupellex à

Tito Hieroſolymis quondam allata ſurrepta eſt. Cum præda egereretur, Gotthus quidam ſacram virginem, iam ætate prouectam in ædibus ſacris offendit, atque ab illa aurum, argentumq; quod habebat, popoſcit. Illa protulit. Erant autem vaſa aurea, atque argentea ingentis ponderis, & magnitudinis, atque eximij admodum operis: quæ cum Gotthus nobilitate, ac ſpecie captus auidè miraretur, hæc S. Petri inſtrumenta ſunt, inquit illa: aude attingere: de euentu tu videbis. Gotthus religione vaſorum, & virginis reuerentia tactus, rem ad Alaricum detulit, atque ille ſtatim omnia ad S. Petri Baſilicam deportari, ac virginem, omneſque qui ſe illi adiunxiſſent Chriſtianos eo deduci incolumes mandauit. Ea domus in media vrbe ſita longè à Baſilica aberat. Signo tuba dato, omnes ad viſendam rem inſignem vocantur. Singula vaſa ſingulorum humeris impoſita cum longo ordine, ac ſpecioſa pompa ferrentur, atque erectis ad defenſionem gladijs, quacunque incederent, munirentur, mirificum ſui ſpectaculum præbuerunt. Alius mulierem forma excellentem, amore percitus ad ſui obſequium inuitauit. Vbi verò ſtudio pudicitiæ eam libidini reluctari ſuæ conſpexit, ſtrictũ gladium iugulo intentauit, ac demũ etiam percuſſit. Cum virgo tota perfuſa cruore ne ita quidem de ſententia cederet, tum conſtantiã admiratus, ad Baſilicam S. Petri adduxit, ac, datis ſex alimoniæ cauſæ nummis aureis, eam templi cuſtodibus com-

commendauit. Ex Sigonio ferme, de Imp. occident. lib. 10.

XLII. *Date, & dabitur vobis.*

COnſtantinopoli fuit homo genere, & diuitijs illuſtris, atq; in pauperes liberaliſſimus. Hic aliquando vocato ad ſe filio, quem habebat vnicum, oſtentatiſque illi theſauris ſuis, quæſiuit vtrum mallet tam grandem ſibi pecuniam, an Chriſtum curatorem relinqui. Filius poſterius ſe malle reſpondit. Nam iſta omnia diffluere, ac perire: Chriſtum autem manere æuo ſempiterno. His auditis pater liberè, & largiter omnia in pauperes confert; parum, vnde vitam toleraret, filio relinquit. Qui in re tenui ſummiſsè ſe gerebat, ſpe omni in Chriſto, cui traditus erat, repoſita. In eadem vrbe habitabat alius quidam primi ordinis, opibus præpotens, cui religioſa vxor, & vnica filia. Virum igitur ſic aliquando affata eſt vxor. En, hanc ſolam genuimus filiam, & DEVS nobis tantas diuitias donauit. Si eam locupleti cuipiam, & nobili, nec virtutis amanti collocauerimus, malè habebit eam ſemper, & vt ſeruam tractabit. Quæramus illi maritum, conditione humilem, timentem Dominum, à quo, vt conſentaneum eſt diuinis præceptis, diligatur, foueaturque. Tum contrà vir: rectè locutam: concederet proinde in Eccleſiam; illic fuſis ardentiſſimè precibus reſideret; quemque primum ingredientem videret, eum filiæ ſponſum à DEO

 miſ-

ſublato nouo regi fauſta,ac proſpera omnia precabatur. Inde Antiſtes cum rege progrediebatur ad aram, ſuper quam regia poſita inſignia erant: atque ei primum gladium cum baltheo, deinde armillas cum chlamyde, tum ſceptrum cum baculo porrigebat: ac demũ oleo ſacro perfuſum corona impoſita conſecrabat. Inde excelſo inter duas columnas in ſolio collocabat: vnde facile ab omnib⁹ videri,atq; ipſe videre omnes poſſet; ac diuina laude cantata in regiam adducebat. Ibi rex ſolenne cum Epiſcopis, ac Principibus epulum celebrabat, atq; ſingulos pro cuiuſque dignitate donabat. Fuit autem argentea corona Germanica. Conſecrationis ius ad Moguntinum Antiſtitem, qui Germaniæ Metropolitanus, & regni Cancellarius erat, delatum eſt: quamuis Treuirenſis id munus ſibi vendicaret, quod Eccleſia ſua cæteris antiquitate præſtaret: Colonienſis vero, quod ea conſecratio in ſuis finibus fieret. Rebus inde Germaniæ per ſolemnes conuentus compoſitis, ad regnum Italiæ, quod poſt hæc tempora cum regno Germaniæ iunctum fuit,ſuſcipiendum veniebat. Quo venturus erat,nuntios præmittebat, qui & ſacramẽta repeterent, & fodera exigerent,aliaq; aduenienti regi debita officia indicerent. Italiam autem ingreſſus, rectà Mediolanum adibat. Ibi cõdicto die in Ambroſianã ædem procedens, Archiepiſcopo rem diuinã facienti, regijs depoſitis veſtib⁹, ac ſubdiaconi ſumptis miniſtrabat. Qua re ritè

perfecta, Archiepiſcopus ſacro ipſum oleo inungebat, atque ad reliqua inſignia ferream ei coronam imponebat, ipſum ſolemni adigens ſacramento, ſe Italiæ iura in perpetuum pro viribus tutaturum. Tum verò omnes magiſtratus, atq; omnes dignitates vacabant in ciuitatibus. Rex autem adhibito Colonienſi Archiepiſcopo, qui regni Italiæ Cancellarius erat, ex legum ſcitis, & Iureconſultorum iudicio de rebus omnibus cognoſcebat. Itaque ad Padum deſcendens, in campum quendam, qui Rõcaliæ dicebatur, fabrorũ, opificum, ac mercatorum turba ad vſus neceſſarios exercitum ſequente deſcendebat. Intra caſtra vicis aptè diſtinctis viæ dirimebãtur, plateæque & portæ effingebantur, vt quaſi vrbs quædam repentina exiſteret. In medio regis tabernaculum locabatur, templo ſimillimum, circaque Principes, vt quiſq; dignitate præſtabat, ſua tentoria figebant. His caſtris locatis Rex ad ſtipitem præaltum ſcutum ſuſpendebat, eoque omnes feuda habentes, ad excubias Regi ex inſtituto agendas per præconem publicum euocabat; eademq; ratione qui in comitatu eius Principes erant, ſinguli ſingulos ſibi addictos valuaſores citabant. Poſtridie, qui non affuiſſet, feudo multabatur. Inde conuentu inſtituto ciuitatum legatos vel gratulantes excipiebat, vel excuſantes, aut expoſtulantes audiebat, atque eorum controuerſias Iureconſultis adhibitis cognoſcebat, ac leges, ſi erat opus, ferebat. Erat autem

mo-

moris, vt primos dies in iure dicundo conſumeret: alteros paci inter ciuitates conſtituendæ dicaret: extremis iura feudorum cognoſceret, ac nouis legibus ſtabiliret. Conuentu peracto Romam ad tertiam imperij Romani coronam accipiendam, ipſo Archiepiſcopo deducente pergebat, ſingulæque in itinere ciuitates cum faculis, & fauſtis clamoribus occurrentes, debita obſequiorum officia enixè præſtabant. Sin minus, aut pecunia, aut priuilegijs multabantur, aut armis ad officium redigebantur. Vbi Romam acceſſerat, relicto in pratis Neronianis exercitu ipſe cum honeſto procerum comitatu Leoninā vrbem ingrediebatur, atque ad Pontificem, qui ipſum ex compoſito in gradibus Baſilicæ Vaticanæ opperiebatur, adorandum veniebat, atq; ad confeſſionem S. Petri deductus, ſupplicem ad DEVM orationem habebat. Pontifex ſacris operatus, ipſum ab Epiſcopo Mediolanenſi oblatum, ac Diaconi vice functum ſacro oleo perungebat; digito annulum inſerebat; enſem nudum tradebat: & capiti corona aurea impoſita, ſceptrum imperatorium porrigebat. Ille tactis ſacris Euangelijs perpetuum, ac cōſtantem ſe fore Romanæ Eccleſiæ, ac totius Chriſtianæ reipub. defenſorem nouo ſacramento ſe obligabat. Deinde ab vtroque Baſilica Lateranenſis adibatur, atque ibi reliquum cærimoniarum abſoluebatur. Itaque ab hoc tempore qui Rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ, & occidentale imperium

rium tenuit; ac propterea tres coronas accepit, vnam Germaniæ argenteam Aquisgrani, ab Archiepiſcopo Moguntino; alteram Italiæ ferream Mediolani, à Mediolanenſi: tertiam imperij auream Romæ à Pont. Max.neque ante Pontificis conſecrationem Augusti, aut Imperatoris nomen vſurpauit: ſed Rex Germaniæ, atque Italiæ, ſiue Rex Romanorum, & Imperator deſignatus appellatus eſt. Annos autem regnorum, atque imperij à diebus numerauit, quibus coronas Aquisgrani, Mediolani, & Romæ cepiſſet: quod ex diplomatis eorum apparet. Ex Franciſci Modij Pandect. Triumphal. Tom. 1. lib. 4. cap. 3.

XLIV. *Triumphalis ingreſſus Lubecam Caroli IV. Imperatoris cum coniuge, Anno* D. M. CCC. LXXV.

CVm Carolus Imperat.qui omnes regni partes colluſtrabat, Vandaliam quoque ſibi viſendam putaret, & in primis Lubecam, imperij vrbem clariſſimã inuiſere propoſuiſſet (cui tum aderat Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis, Otho Marchio Brandeburgenſis, Albertus Magnopolenſis,& Albertus Luneburgenſis Duces: item Guilielmus Marchio Miſnenſis, Iodocus Marchio Morauiæ, Henricus, & Nicolaus Holſati, Gũterus, Rupinus Comites,& multi præterea Barones,Equeſtriſque ordinis: aderat quoq; Impe-

Imperatrix cum ſuo comitatu, Iſabella, Regis Poloniæ Caſimiri ſororis filia) omnis iuuentus ex vrbe Lubeca in equis obuiam eſt effuſa, vt cum debito honore dominum ſuum in vrbem introduceret. Iamque appropinquans, cum Imperatrice ſacellum D. Gertrudis ingreditur, vbi imperialibus ornamentis decorati ſunt: indeque ſublimes conſcendunt equos. Adſunt vmbellas ſerico, auroq; cõtextas baiulantes iuuenes lectiſſimi quatuor, veſtibus & ornatu inſignes. Duo Proconſules frænũ imperatorij equi à latere venerabundi apprehẽdunt. Duo inſuper conſulares ad Imperatricis fræna inceſſere: cũ & ibi ferrent vmbellam quatuor ex fortunatioribus iuuenes. Ante omnes ibat in equo vir Conſularis, portarum claues de collo ſuſpenſos baiulans, dominij Imperialis in vrbem ſignum euidentiſſimum. Principes & ipſi ſuis fungentes ibant miniſterijs. Nam & Marchio Brandeburgenſis ſceptrum, Albertus Saxoniæ Ducis filius patris vice enſem præferebat, ſequente mox Imperatore: quem ſequebatur Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, ante Imperatricem pomum ferens aureum. Illam vero cæteri Principes ſunt aſſecuti. Ad primum portæ ingreſſum ſtabant vtrinque matronæ ciuium coniuges, cultioribus indutæ veſtibus, Imperatorem cum Imperatrice excipere paratæ. Quos introgreſſos veneratur mox chorus pſallentiũ clericorum, & Religioſorũ: qui extulerant reliquias, & Dominicam crucẽ:

quam Auguſtus cum Auguſta deoſculati deducuntur ſolemni per vrbem pompa ad Eccleſiam vſque maiorem, ibique concinitur. *Ecce aduenit Dominator Dominus:* cum verſiculis, *Deus iudicium tuum regi da; & iuſtitiam tuam filio regis.* Imperator interim orationi inſtitit priuatim: qua expleta: ſolemni pompa redit per regiam plateam, & in hoſpitium magnificè apparatum deducitur. In capite eius vici quo deſcenditur ex trãſuerſo ad monaſterium S. Ioannis, facto ponte ſuper plateam, domui imperiali oppoſitam, excepere quam potuerunt magnificentiſſimè Imperatoriam maieſtatem. Stabant in conſpectu eius Burgomagiſtri cum conſulibus: quos intuens ait. *Gratias non mediocres vobis agimus, Domini Lubecenſes, qui imperiali faſtigio debitè obſequentes, nos magnificè excepiſtis. Venimus videre vrbem noſtrã, & vos, gratulantes proſperis ſucceſſibus veſtris, quibus fauere ſtudebimus, commendatiorem in reliquum habituri hanc vrbem, quod tales edit viros noſtro dignos conſilio.* Tum ſenior Lubecenſium Burgomagiſter. Sereniſſima maieſtas tua, nos pro exilitate noſtra debito nos exſoluere cupientes, quantum potuimus, non quantum voluimus, debuimusque oſtendimus imperatoriæ celſitudini, cui non mediocriter nos, noſtraque commendamus: immortales gratias habentes tantæ dignationi, quæ etiam, quod exiguum eſt, pro magno accipere dignatur. Quod ſolitæ clementiæ, & benignitati eius, vt par eſt, imputamus,

mus,rogamusq́; vt inter poſtremos nos ſuos aſſeclas numerare dignetur. Ad quæ rurſus Imperator humaniſſimus, *Non in poſtremis vos, ſed loco veſtro dignamur: recipientes in ſacris archiuis, quæ à noſtris Prædeceſſoribus de hac vrbe ſunt conſtituta: quæ non ſolum ſuſtinere, ſed etiam amplificare pollicemur.* Ex Pandect. ijſdem Tom. 1. lib. 2. cap. 3.

XLV. *Pauli IV. Pont. Max. inauguratio, Anno M. D. LV.*

EX palatio electus Pont. Max. venit in Baſilicam S. Petri hac pompa. Primi ibant qui officijs Palatinis Apoſtolicis, ſuæq́; ſanctitatis honorantur: miniſtri puta, & cubicularij togis rubris amicti. Ponè incedebat Cardinalium collegium ſuo ordine: in quo primi erant Cardinales Diaconi, medij Preſbyteri, vltimi Epiſcopi. Omnes pretioſiſſimo amictu, & albo, galeris ex ſerico capita velati. Sequebantur Epiſcopi, & Archiepiſcopi, quotquot tum Romæ erant: omnes Pontificalibus induti, & mitras candidas ferētes. Ferebatur inde in ſella geſtatoria exquiſitiſſimi operis, quæ fuerat Pauli III. electus Pont. pallio ſumptuoſiſſimo indutus, & mitra epiſcopali, quam tanquam luminibus quibuſdam, & fulgoribus diſtinguebant, irradiabantq́; gemmæ, vniones que: vmbellam autem, ſub qua geſtabatur, portabant Legati Regum, Principumq́ue reip. Chriſtianæ, quot tum in vrbe erant. Hac pompa

pa

pa templum D.Petri ingreſſus,depoſitus fuit ante ædiculam corporis Chriſti, vbi cum diutulè precibus vacaſſet,latus eſt in ſacellum D.Andreæ Apoſtoli, vbi caput eiuſdem, aulæis pretioſiſſimis ad hoc ſolemne adornatum. Peractis ibidem ritu recepto,quæ ad inaugurationem pertinebant, portatus eſt in ſacellum Diuorum Petri & Pauli, vbi ipſe ſacris operatus eſt: quibus poſt alteram horam finem demum impoſuit: templo ita conferto Ducibus, Principibus, Comitibus, Marchionibus, Baronibus, alijſque proceribus, & magnatibus, primarijs adhæc etiam fœminis, vt nemo quò ſe conuerteret haberet: ſtatuæque verius quam homines coaluiſſe inter ſe viderentur. Peracta re diuina Pontifex eadem pompa peruenit ad locum, vbi benedicere populo ex more ſolet,acclamationibus lętiſſimis exceptus. Vbi iam locum ſolemnem tetigit triumphalibus ornamentis inſtratum, impoſuit ei tiaram, ſiue Pontificale diadema Ioannes Bellæus Epiſcopus Hoſtienſis, Cardinalis Pariſienſis. Quod diadema pretio ſuo omnem æſtimationis rationem ſuperare exiſtimatur. Poſt quæ, cum bene precatus eſſet populo nouus Pontifex, tormenta, machinæque bellicæ ex arce S. Angeli, & palatio gratulationis, & lætitiæ ergô detonare cœperunt, fragore plane horribili. Subſecuta eſt lectio confirmationis, qua ſacrum Cardinalium collegium electioni noui Pontificis, & inaugurationi nouum robur addit, pronunciante alta

voce eius formulam Reuerendiſs. Franciſco Piſano S. Marci principe, Diacono Cardinale. Hinc numiſma aureum, argenteumque magna copia in vulgus ſparſum, ſtudia eius arrexit, & non iniucundum ſpectaculum præbuit. Poſt meridiē Pontifex dedit epulum apparatu digno tanto faſtigio, cui affuerūt triginta octo Cardinales, prærerque duos illuſtriſſimos Principes Ferrarienſem, & Vrbinatem Legatus regis Chriſtianiſſimi, & Sereniſſimi regis Luſitaniæ, & quos Veneta, & Raguſina Reſpublicæ miſerant. Ex Pandect. iiſdem Tom.1.lib.4.cap.19.

XLVI. *Exempla beneficentiæ Principum in humiles, & infimos: & anteuertentium rogantes opem.*

ALphonſum regem Neapolis deſcendere de equo, & cœnoſam in viam ſe ſe inferre non puduit, vt ruſtici, atq; imbecilli ſenis prolapſum ſub onere aſellum cauda ſubleuaret. Quæ res declarat, etiam magnis viris laudi dandum eſſe, dum aut res, aut caſus tulerit, ſi ad ſordidam quoque operam conferendam ſe demiſerint. Carolus Princeps Nauarræ, Ioannis, Alphonſi eiuſdē fratris filius, etiam infimis, ac ſordidis homuncionibus opē ferre non recuſabat, cum ipſe morbi cuiuſdam abdita medicamenta teneret. Franciſcus Sfortia Mediolanenſiū Dux, in publica cōſtitutus audientia, exteros, & infimos quoſq; primos

mos audiebat, ciuibus, ac primarijs viris præteritis, quorum vltimus erat locus. Hanc humanitatem mirificè ab omnibus prædicatam vix inuenias imitari qui velint. Atque vt petentibus, rogantibusque dum iuſtè, honeſteque id fieri poſſit, opera, auxilioque deeſſe non debent, qui benefici, & officioſi eſſe volunt: ſic nonnunquam exſpectandum non eſt, dum rogentur: ſed maturè, ac ſponte præueniendũ. Quo in genere virtutis Erricus Pudericus, Eques Neapolitanus inprimis mihi, dum viueret, præſtare viſus eſt. Idẽ ingenium, eadem eſt conſuetudo familiaris noſtri Petri Compatris, quem ego noui officioſiſſimum. Quibus non iniuria adiunxerim Ptolemæum Gallinam Catinenſem: quem ſenem nõ ſemel vidi, præter ętatem non ſolum vrbanos labores, ac moleſtias, verum etiam longiora itinera ſuſcepiſſe, vt amicis, notisque ſua opera prodeſſet. Ex Iouia. Pont. de Beneficentia.

XLVII. *Gregorij Nyſſeni ex aſpectu, Nazianzeni ex lectione, Chryſoſtomi ex recordatione piæ lacrymæ.*

SAnctorum lacrymæ religioſis mentibus pro dulci vino ſunt. Semper illi aut ſibimet, aut alijs, immò magis alijs, flent vtiliter. Et ſunt eorum non niſi pietatis, & commiſerationis lacrymæ. Gregorius Baſilij M. germanus frater ſæpenumero Abrahami, filium Deo immolantis hi-

ſtoriam ſiue in pariete, aut tabula bellè atque ad animi motû excellenter depictam; ſiue periſtromati artificiosè intextam intuens, nunquam ſine lacrymis præterire poterat. Narrat hoc ipſemet de ſe Orat. de deitate filij & Spiritus ſancti. Quàm multas imagines,& ſculpturas IESV Chriſti à cruce pro ſalute nobis recuperanda pendentis nos, etiam abſque vllo gemitu, ſine ſuſpirio, ne dum ſine lacryma vlla præterimus? De Threnis Hieremiæ Nazianzenus oratione 1. de pace; Quoties, inquit, *hunc libellum in manus ſumo, Threnosq́; lectito (id autem facio, quoties ſecundarum rerum inſolentiam coërcere huiuſmodi lectione volo) vox mihi intercluditur, lacrymisq́; obruor; eamq́; calamitatem velut ob oculos poſitam videre videor, & Hieremiæ collamentor.* Quis noſtrûm aut Hieroſolymæ, aut Conſtantinopolis florentiſſimarum vrbium extremis cladibus, & vaſtitati vnquam ingemuit cum legeret? ô duro corde. Age nunc os aureum loquatur. Concione in Petrum,& Paulum Apoſtolos, quorum huius fuit longe amantiſſimus. *Quaſnam vobis, ô beati Apoſtoli, referemus gratias, qui tantum pro nobis laboraſtis? Memini tui, Petre, & obſtupeſco: recordor tui, Paule, & excedens mente, opprimor lacrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, veſtras contemplans afflictiones, neſcio, &c.*

Legimus nos eadem de his Chriſtianæ religionis fundatoribus,& columinibus, quæ vir ſanctiſſimus legebat, immò lectitabat: ſed ſenſu longè

impari. Non admiramur, non obſtupeſcimus, non exardeſcimus, non propemodum de poteſtate, vt Chryſoſtomus, eximus. Profanis exemplis, & narrationibus neſcio quomodo & facilius permouemur, & vehementius. Libet exclamare. *O curuæ in terris animæ, & cæleſtium inanes.*

XLVIII. *Ducis Mauſoli regis pro comparanda pecunia vafrum conſilium.*

CONdalum Mauſoli Cariæ tyranni Ducem in difficultate nummaria conſtitutum, callidum hoc, & vafrum ad conflandam pecuniam iniuiſſe conſilium, Ariſtoteles ſcribit. Cum enim videret, Lydorum gentem, quam imperio regebat, corporis cultui mirificè deditam, & in primis maximam capillorum curam gerentem, aduocata illorum concione dixiſſe, ſe quidem haud libenti animo ſignificare illis, quæ omnibus procul dubio futura ingrata ſciret: tamen pro commiſſo ſibi munere facere non poſſe, quin ea, qualiacunq; eſſent, proferret. A Mauſolo enim rege habere ſe mandata cogentia, vt Lydos ſtatim tonderet omnes, & vniuerſas omnium comas ad illum perferendas curaret: ſiquidem Perſarum regi ad ornatus quoſdam illis opus eſſe; à quo requiſitus, illi parere, & ſtatim obſequi omnino neceſſum haberet. Cæterùm ſe vicem eorum miſertum, qui præcipuo corpo-

ris cultu tam ſubitò, & turpiter adeo priuarentur, reperiſſe conſilium quoddam, cui ſi obtemperare velint, nullo negotio comas ſibi quiſque ſuas retinere poſſet. Acclamantibus omnibus, & vt id ſubterfugium proferret rogantibus, facturoſque ſe quidquid iuſſiſſet firmiter pollicentibus, & maximam illi inſuper gratiam poſthac ſemper ſe habituros profitentibus, conferre, inquit, tot nummos in capita: taxationemq́; addidit mediocrem ſatis. Hos enim ego in Græciam mittam ad emendas comas, quæ Mauſolo, & inde Perſarum Regi tranſmitti poſſint. Cumque illi alacriter dicto paruiſſent, ingentes viritim ſubminiſtrantibus Lydis à Condalo pecuniæ ſunt collectæ. Nicol. Leon. lib. 3. cap. 81.

LIX. *Quibus prodigijs Alexandria, & Conſtantinopolis nobiliſſimæ vrbes conditæ fuerint: & huius glorioſa Epitheta.*

Celeberrimam Ægypti vrbem Alexandriam ab Alexandro Macedone in ſomnis monito, & loco etiam illi cōmonſtrato conditam fuiſſe ferunt. Huius magnitudinem, ſitumúe cum cupido regi deſcribere vellēt architecti, neq; gypſum, aut albam vſpiam eo in loco terrā inuenirent, farina diſſeminata illorum vice vſi fuiſſe dicuntur: cumq; ad illā auidius conuolaſſent aues, & pleriſque etiam in locis diſpoſitas farinæ du-

ctu notas rapiendo deuaſtaſſent, territum hoc oſtento ceu triſti, & diro Alexandrum, de commutando vrbis loco cogitaſſe perhibent: quod procul dubio illico effeciſſet, ni vates illum, & aruſpices facere prohibuiſſent, vrbem illam omniū nutricē, & alumnam aliquando fore talibus Deorum portentis conſtantiſſimè promittentes. De Alexandria hæc ex Nicol. Leon. lib. 3. cap. 60. & Pierij Hieroglyph. lib. 25.

De Conſtantinopoli memorabimus ex Sigonio de Imp. occident. lib. 4. Diuiſo iam pridem imperio (à Diocletiano, qui collegam ſibi veterem commilitonem aſciuit Maximianū, cui occidentem tradidit) illud deeſſe ad integram dignitatem, atque amplitudinem repræſentandam Conſtantinus intelligens, vt vrbs magnitudine, ac nobilitate Romæ ęqualis pararetur, quæ, vt illa occidentalis, ſic hæc orientalis maieſtatem imperij ſuſtineret, magnificum atque illuſtre nomini ſuo fore putauit, ſi hac vrbe conſtituta, tantum ipſe decoris inuexiſſet. Igitur conſilio de noua condenda vrbe explicito, locum prope Ilium, vrbem in Sigæo promontorio ſitā, decennali quondam Græcorum bello nobilitatem munire conſtituit. Atq; eò profectus, non ſolum fundamenta iecit, ſed muros etiam ad aliquam altitudinem excitauit. Poſt eo conſilio reprobato, animum ad Chalcedonem in Bithynia contulit. Verùm deſignato vix opere aquilæ deuolarūt, ac fabrûm funiculos raptos trans fretum Byzantium detulerunt.

lerunt. Qua re animaduerſa, tanquam diuino aduerſante numine turbatus eò adijt, ac ſitũ contemplatus magnoperè approbauit, translatisque eò cum omni parata materia fabris ſubinde opus inſtituit. Fuit autem antiqua, ac nobilis vrbs Byzantium in Thracia, ad Propõtidem ſita. Verùm ſuperioribus annis Seuerus Imp. occupatã à Peſcennio Nigro, qui imperium in oriente inuaſerat, illo occiſo diruerat: atque vrbe in vici formã redacta, agrum Perintho, quæ Heraclea dicebatur, adiudicauerat, &c.

De Conſtantinopoli, cuius Epiſcopatum geſſit annis ni fallor, XII. ecce quid loquatur Greg. Nazianzenus orat. ad clerum, & Epiſcopos. Orbis oculus, terra mariq́ue potentiſſima, orientalis, atque occiduæ oræ velut nodus, & vinculum: ad quam extremi totius terræ fines concurrunt: & à qua velut à communi fidei emporio incipiunt. Niceph in προσφωνήσει ad Emmanuelẽ Imp. Si tibi nihil rerum aliarum adeſſet, quas quidem benignitate, & dono dei habes innumerabiles, ipſum ſanè veræ pietatis ærarium, atque domicilium, quod, quæcunque aliquis mente concipere poſſit, bona prorſus cõtinet omnia, nouum hoc tabernaculum, alteram Sion, nouum ſanctuariũ dei, alteram, & eam duplicem arcam, pulcherrimum totius orbis oculum, ſeu potius cor eius, rerum opportuniſſimum, atq; vt ſimpliciter dicam, quidquid eſt in terris optimum omne. Hæc vrbs à Conſtantino M. exornata, & amplificata,

V. Idus Maij, anno Dn. c c c x x x. Deo, ac Virgini matri ab eodem, anno imperij XXV. conſecrata, & à Conſtantino VII. cui æquè vt primo mater Helena, anno Domini M. CCCCLII. Mahomete II. Turcarum Imper. IX. obſidente amiſſa eſt. Videndus Georg. Phranzes, à nobis latinè redditus annis ſuperioribus, vt potuit ex codice mendoſiſſimè deſcripto. Multa de hac noua Roma, vt eam Conſtantinus appellauit, lectu digna Iulius Cæſar Bulengerus de Imper. Romano lib.1.cap,3.

L. *Admiranda de quibuſdam ſine brachijs.*

QVidam natus annos xxx. ex honeſtis parẽtibus, quem mater ſua abſq; brachijs enixa fuerat, omnia manuum officia pedum ſubſidio ita exſequebatur, vt quod in vno deſideraret, in altero ſibi compenſatum eſſe affirmare non vereretur. Nam quum in editiore loco, qui æquarét altitudinem tabulæ, in qua eſculenta appoſita erant, conſediſſet: apprehenſo pedibus cultro, ſcindebat panem, & alios cibos: pedes ea poſtea, nec non & potum, veluti manus ori porrigebant. Peracto prandio pedibus pingebat, nobis omnibus videntibus, tam elegantes latinas, & germanicas litteras, vt exempla earum quaſi rem inſolitam nobiſcum ſumpſerimus. Poſtulantibus etiam nobis parabat calamos, ad ſcribendum aptiſſimos; quos poſtmodum nobis donabat,

nabat. Quum eſſe ita occupatus, diligenter inſpexi formam pedum: quorum digiti erant ita oblongi, & ad res tenendas apti, vt procul aſpicientibus manus viderentur. Hoc ſpectaculum nobis ſanè iucundum, & ante non viſum, iuſſus etiam fuerat paulo ante Cæſareæ Maieſtati, quum illac tranſiret, exhibere. Quæ hanc mirandam naturæ compenſationem, non abſque munificentia lubens ſpectauit. Philip. Camer.

Indi pacem cum Aug. Imp. ſancientes, inter alia dona miſerunt etiam adoleſcentem quendam humeris carẽtem (cuiuſmodi Mercurij fingi ſolent) qui manuum loco pedum officio peragebat omnia. Ijs arcum tendebat, ſagittas emittebat, tuba canebat. Quod quomodo potuerit, equidem neſcio: ab alijs tamen tradita ſcribo. Dio lib. 54.

LI. *Nemo dat Chriſto gratis.*

SOlerti ingenio iuuenis aurifici in diſciplinam ſe dedit, artemque ſtudioſè diſcendo breui comprehendit. Forte euenit, vt vir patricius crucem auream, gemmis, & margaritis ornatam, quam Eccleſiæ dedicaret, magiſtro fabricandam locaret. Id opus magiſter diſcipulo, vt ingenioſo, ac probè perito mãdauit. Qui ita ſecum eſt ratiocinatus. Si hic homo tantam pecuniæ vim in hoc donario Chriſto offert, quidni & ego, quã hinc expecto, mercedulã meam in iſtam crucẽ impõdã, vt eã Chriſtus à me quaſi duo minuta viduę in

gazophylacium miſſa ſuſcipiat? ſubducta igitur ratione quantum foret accepturus, mutuatur tãtum argenti, & in crucem mittit. Quam patricius examinans, priuſquam lapilli in eam infererẽtur, ponderoſiorem quam voluerat inuenit. Itaque adoleſcentem in ſuſpicionem factæ fraudis, aurique adulterati vocat, & ad confeſſionem vrget. Teſtatur ille DEVM, cordium ſcrutatorem, à ſe culpam hanc abeſſe. Sed cum viderem, inquit, te tantum pretium Chriſto Domino cõſecrare, cœpi conſilium, & meam mercedulam coniungendi, vt præmium tecum capeſſere, & placere illi, vt vidua de duobus aſſibus queam. Siccine, ſuſcipit patricius, cogitaſti? Ego vero ita, inquit. Tum patricius; ob hoc iam nunc in filium te adopto. Dixit, & domum ſuam abduxit, bonorumq; ſuorũ omnium hæredem inſtituit, tam incenſa iuuenis pietate mirum in modum delectatus videlicet. Ex Sophronio.

LII. *Furta inſignia, & callida. Item IV. fures, quorum duo* φιλότιμοι, *duo* φιλόβιοι.

CVm aliquando iuſſu Caroli V. aulici omnes ad iter ſe pararent, ſinguliq; occupati eſſent in reculis ſuis conuaſandis, quidam ex genere furum audaciſſimus, captata hac occaſione ingreſſus eſt conclaue Imperatoris (quum videret familiares illius, ac domeſticos adeſſe pauciſſimos, qui ad nihil aliud intenti erant, quam vt ſuam

maio-

maieſtatem ad iter accingerent: iam enim equũ aſcenſurus erat) accedenſque propius ad Imper. & genibus pro more aulicorũ inflexis, mox magna feſtinatione cœpit colligere tapetas, & aulæa affixa, & in vnum faſcem ſcitè admodum, inſpiciente hoc Imp. vnà cum ſuis, complicare eaque quò voluit aſportare: vt præfectum aulæorum ſcilicet hoc labore ſubleuaret. Cum ſub Paulo III. Pont. Max. Romæ Cardinalis quidam ſolēne conuiuium celebraſſet, & ex abaco vaſa aurea, & argentea rurſus in arcam recondita, in proximum conclaue reportata eſſent (in quo famuli exſpectabant, vt dominos ſuos domum reducerent) ecce tibi ingreditur homo, veſtitus, vt Præfectus aulæ ſplendidiſſimè, cui fax accenſa præferebatur. Is quum famulos, qui ſuper ciſtam ſedebant iuſſiſſet paulùm recedere, mox eam à duobus baiulis, eum ſequentibus, dorſis imponi, & quaſi in tutiorem locum aſportandam curauit. Ita abſque vllo impedimento, vel ſuſpicione furti iſta pretioſa vaſa, Præfecto, & miniſtris Cardinalis alio in loco cœnantibus, & famulis Dominorum eos fures eſſe Cardinalis domeſticos arbitrantibus, ſublata ſunt dexterrimè. Ex libro Gallico.

Nunc ad alios quatuor tranſeamus. Quibuſdam in ciuitatibus cum fures ducũtur, ſolet præco ſpeciatim eorum furta populo clara voce diuulgare. Accidit, vt in ijs amiculum à ſuſpendioſo ſublatum recitaret, cuius ille ſibi non erat cõ-

ſcius. Proinde cum ad omnia reliqua tacuiſſet, ad hoc ſolum erupit in vocem: falſum eſſe, non ſurripuiſſe, iniuriam ſibi manifeſtam fieri, veritaté & Deum ſe teſtari; nolle ſe hanc ignominiam inuri poſteritati ſuæ (& erat de fæce vulgi) non poſſe ignoſcere. Quod cum illum ſacri comites hortarentur, & iudicem ab errore commiſſo excuſarent, ægrè tandem, vt veniam daret exoratus eſt. Secundus adeo pannoſus, & lacero erat veſtitu, vt cum prodire ſic ad crucem puderet vehementiſſimè. Nec tam illum laqueus inijciendus, quam corpus male tectum mouebat. Nec poterat Sacerdos, qui animam eius curabat, hanc cogitationem vllis rationibus illi excutere. Quid dicent, aiebat, ſpectatores, cum me ſeminudum viderint? Hem dicent, qualis fur iſte, qui non potuit ſaltem vnum palliolum furari, quo ſe honeſtè tegeret. O indoctum furem. Huiuſmodi ſermunculos, tantá inſcitiam ſibi exprobrantes honori ſuo per quam inimicos fore putabat (erat enim patriciæ gentis ſcilicet.) Denique non quieuit, donec illi M. Ioannes carnifex pallium daret mutuum. Ita cum honore ad patibulum eſt deductus. Ex duobus poſtremis alter petiuit nouos calceos pridie quam ſuſpenderetur. Allatis duobus paribus vtrumque diligenter inſpexit, & id quod craſſiores, & duriores habebat ſoleas elegit, quia durabilius, cum eius vita vix vnam noctem cum paucis horis eſſet duratura. Alter appoſitis quas ſemellas vocant, farinam ſollicitè

deter-

deterſit, cauſam ſubijciens; quia farina, inquit, & farinacea creant calculum. Vides miſeros hoſce in morte pæne iam ipſa magis de vita adhuc quam de morte cogitaſſe.

LIII. *Memorabile prodigium naſcituri, alterumq́; naſcentis Georgij Caſtrioti Scanderbegi. Eiuſdem* ἀειςεία.

Viſus in ſomno ſerpens, nonnunquam futuræ fælicitatis indicium fuit. Exemplum egregiũ in Georgio Caſtrioto, qui à Turcis Iſchéderbeg, vulgò autem Scanderbegus eſt dictus. Nam, vt ſcribit Barletius de vita eius, & rebus geſtis lib. 1. c. 82. quum eum mater concepiſſet, ſerpentem ſe enixam ſomniauit, eius magnitudinis, vt totam fermè operiens Epirũ, caput intra Turcarum fines protenderet: & cruentis faucibus eos abſorberet: caudã verò teneret in mari, inter Chriſtianos, & Veneti maximè imperij terminos. Hoc vbi Ioanni viro ſuo Principi Epiri mulier narrauit, cũ non eius generis res eſſet, quæ extis vllis ſcrutanda foret, vel Apollinẽ exigeret interpretẽ, ille ingenti lætitia ſolatus vxorem, naſciturum ex ea virum ominatus facile eſt clarum bello, factisq́;, qui Turcarũ ſimul hoſtis accerrimus, idemque dux fæliciſſimus, & Chriſtianæ fidei propugnator, ac Veneti cultor imperij perpetuus exiſteret. Nihil fefellit ſe, vel alios ſollicit⁹ parẽs: ſed aucta eſt magis vaticinio fides puero nato

Nam-

Namque aliud pulchrius longè, clariusque bellici decoris ſignum in dextro infantis brachio viſum: forma enſis ita expreſſa, vt manu facta videretur. Hic poſtea (quod etiam narrat in elogio eius Paulus Iouius) nunquam detrectauit pugnam: nunquam hoſti vertit terga: nullo vnquam in diſcrimine metu eſt occupatus: nunquam eſt vulneratus, niſi leui ſemel ſagitta in crure: ſupra duo hominum millia, barbarorum præſertim, diuerſis in prælijs, ſua manu, ſingulis tantum ictibus prægrandi, & ponderoſo acinace ſuo, quo peritiſſimè vtebatur, (de quo Syntag. VIII. plura) interfecit.

LIV. *In virum ſanctum peierantes, ac ſe devoventes. Eorum merces.*

CVm quidam nequam homunciones graue, ac ſeueram rationem, qua per vniuerſam vitam, tum in hominibus acriter admonendis, tum in eorum vitijs corrigendis, vti conſueuerat Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus, neutiquam ferre poſſent, præ metu, ne ipſi propter ſcelera infinita, quorum ſibi ipſis conſcij erant, iudicati ab eo pœnas luerent, cœperunt in eum conſutis dolis conſpirare, & turpem quandam criminationis calumniam conijcere: deinde quò magis auditoribus criminationis falsò obiectæ fidem facerent, eam iureiurando confirmare: atque vnus ſic deierare. Si non vera dixerim, opto, vt ignis incendio miſere diſpeream. Alter vero ſic.

Si non vera dixerim, opto & fœdo, ac ſæuo morbo corpus meum abſumatur. Tertius autem hoc modo. Si non vera dixerim, opto vt luminibus penitus orbatus ſim. Cæterùm, quamuis nemo ex fidelibus propter nobilitatam, ac teſtatã omnino inter omnes Narciſſi caſtimoniam, atque adeo ob vitæ rationem ex virtutis regula traductam, illis vel grauiſſimo iure iurando ſe obſtringentibus, animum, aut fidem adhiberet: ille ipſe tamen partim præ indignitate affićti criminis, partim præ cupiditate vitæ in ſapientiæ, ac virtutis ſtudio degendæ, quam iam diu optauerat, ab oculis vniuerſæ multitudinis ſe penitus remouit, & in ſolitudine ad multorum annorum ſpatium habitauit. Verùm ſublimis ille diuinæ iuſtitiæ, vltionisq; obtutus his ſceleribus patratis minimè acquieuit: ſed quam celerrimè impios illos, & periuros homines, qui tam diris execrationibus ſe contra ſe ipſos obligaſſent grauibus calamitatibus oppreſſit. Primus igitur illorum ſcintilla peregrina noćtu, in ædes quas habitabat, ex nulla cauſſa antegreſſa ſubitò ruente, miſere cum tota familia, & ſtirpe ſua rapido flammarum ardore penitus conflagrauit. Alterius corpus eodẽ morbo, quem ſibi tanquam mulćtam imprecatus erat, ab extremis pedum digitis ad caput vſque infećtum contabuit. Tertius ærumnoſos priorum euentus aſpiciens, & Dei, omnia intuentis ineuitabilem vltionem admodũ reformidans, palam inter omnes maleficia communiter

à ſe-

à ſe, ſuisq; ſocijs per fraudem contra Narciſſum admiſſa confeſſus eſt. Sed tamen dum pro delicto grauiſſimè condoleſceret, tantis & tam acerbis lamentis ſe afflictauit; & vſq; eo lacrymas effundere non deſtitit, quoad vtrumq; oculum ſibi penitus extinxit. Euſeb. hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 6. c. 8. Niceph. lib. 5. cap. 9.

LV. *Fraternæ cædes ex principio leviſsimo.*

EX familia Liminæa Patauina antiquiſſima fuerũt duo fratres, qui per æſtatem ruri poſt cœnam noctu, quum ambo ſub dio in atrio domus de diuerſis rebus diuerſa inter ſe loquentes ſtarent, ſtellasq; innumeras ſuſpicerent, & contẽplarentur, quæ tum forte ſereno cælo fulgebant, per iocum alter dixit ridendo, precari ſe, tot ſibi boues, quot ſtellas micare conſpiceret. Tum alter mox item per iocum reſpondit. Vtinam mihi pratum eſſet inſtar cæli latum: & ad fratrem conuerſus, vbi tum, inquit, tuos paſceres boues? Ille, in prato tuo. Rurſus alter, quid ſi nollem ego? ſubiecit ille, te quamuis inuito. Tu me inuito? Etiam, iterat, te inuito. Sic altercando in iram, ira mox in rixam, & in ſerium furorem conuerſa, dum neuter alteri cedere ſuſtinet, exertis vtrinque gladijs, ſeu pugionibus, quibus fortè ambo accincti erant, ſe inuicem transfixerunt. Et hinc vnus, illinc alter humi decidentes, moribundi in ſanguine ſuo volutati ſunt, donec

à do-

à domeſticis, qui eos altercantes audierant, delati intra domum, fatali hora properante ſpiritum exhalarunt. Bernardin. Scardeon. lib. 3. in deſcript. vrbis Patavij.

L V I. *Iuuenum ebriorum phantaſia ridicula.*

IVuenes quidam vino bene madidi, ac temulenti, eo dementiæ proceſſerunt, vt ſe in triremi nauigare & horribili tempeſtate in mari iactari crederent; adeoque de poteſtate deceſſerunt, vt omnem domus ſupellectilem vnà cum lectis foras ejicerent. Viſus enim erat nauis gubernator nauim exonerari ob tempeſtatem iuſſiſſe. Cum itaq; diriperentur, quæ proiecerant, nec finiretur tamen eorũ inſania, poſtridie acceſſerunt Prætores, vbi etiã tum laborantes nauſea iuuenes illi iacebãt. Quibus interrogantibus reſponderunt, ſe tempeſtate vexatos, nauẽ vt alleuarẽt, ſarcinas ſuperuacuas in mare abieciſſe. His tam attonitũ ſtuporẽ mirantibus, vnus ex ijs maior natu cæteris, ego, inquit, ô Tritones, metu cõſternatus ſub infimo nauis tabulato, quà maximè licuit abditus iacui. Huic mentis alienationi Iudices veniam dantes, obiurgatos, ac monitos, ne deinceps ſe vino ingurgitarent, dimiſerunt. Illi vero ſe gratiam habituros profeſſi ſunt, vbi portum attigiſſent, tanta tempeſtate defuncti, qui in tãto periculo ſibi affuiſſent, ipſosq; ſeruaſſent: & in patria inter deos alios marinos ipſis

ſtatuas

ſtatuas poſituros. Hinc domus illa triremis di-
cta eſt: fuit autem Agrigenti in Sicilia. Hæc A-
thenæus libro 2. ex Timæo, Rhodiginus libro 17.
cap. 2.

LVII. *De duobus fatuis.*

FAtuus morem hunc habebat, quoties cuipiã in via occurreret, vt eum ſcipione, quem pro claua gerebat, leuiter, ac citra dolorem tangeret, atque ita ridens præteriret. Euenit vt alius quidam de fatuorum ratione eadem præditus conſuetudine in illam vrbem adueniret. Huic vrbanus fit obuius; eum contingit, vt ſolebat. Peregrinus, vt ipſe quoq; ſolebat, idem facit. Repetit tactũ prior: repetit & poſterior, etiam tertiùm, etiam quartùm, etiam quintùm, & vltra; & ſemper quidem validiùs, dum neuter priùs ſibi à verberatione ceſſandum arbitratur. Denique plagis incutiẽdis ambo delaſſati, tuberibus pleni ſimul in publico pro mortuis iacent. Exinde obuios pulſare abſtinuerunt, declinantes de via, ſi quando in ſe inciderent: monebatq; præſentes vterque de cauendo altero, quod eſſet fatuus, & feriret obuios. Horum ſimiles cenſendi ſunt, qui leuiſſimis rebus offenſi, ad pacem, & concordiã dare ſe recuſant; ſed vltionem meditantur, & mutuùm lædere perſeuerant. Ex Germanico.

LVIII. *Quanti honores quondam ventis habiti, & de Borea ſeparatim.*

Non

NOn modo dijs, deabusque, ſed ventis quoque tanquam numinibus ſuperſtitioſiſſima gentilitas, & vota concepit, & ſacra inſtituit, & templa condidit. Circium infeſtare Galliam ſcribit Seneca Natural. 5. cap. 18. Cui ædificia quaſſanti, tamen incolæ gratias agunt, tanquam ſalubritatem cæli ſui debeant ei. D. certe Auguſtus templum illi, cum in Gallia moraretur & vouit, & fecit. Diuinis item honoribus Calabri Iapygem, Appuli Atabulum, Athenæ Scironem, Pamphylij Cagneum coluerunt. Xerxe innumerabiles copias in Græciam ducente, Delphi de ſe ipſis pariter, & de Græcia ſolliciti, Deum conſuluere. Quibus reſponſum: ventos precarentur: illos enim maximos fore Græciæ auxiliatores. Herodot. lib. 7. qui & hæc, paucis interiectis. Deinde ſtatuta ventis ara in Thyra, vbi fanũ Thyræ, Cephiſi filiæ, à qua & locus hic nomẽ habet, hoſtias illis immolauere: propter quod oraculum etiam nunc Delphi ventos propitiant. Non longè poſt Athenienſes Boream imploraſſe, illiqùe ſacrificaſſe, & delubrum ad amnem Iliſſum extruxiſſe refert. In agro quoque Sicyonio ventis aram extructam legimus: ad quam quotannis noctem vnam vota effundebant, vt lenita vis venti deſineret, cum villas, arbuſta, fruges paſſim deuaſtaret. Auctor Pauſan. in Corinthiacis. Perſæ quoq; ventis ſacra faciebant. Herodot. lib. 1. & Strabo item lib. 15. Apud Virgilium 3. Æneidos.

Nigram hyemi pecudem, Zephyris fælicibus albam.

Hactenus ex Alex.ab Alex.lib.3. cap.22. & Tiraquello. Inſuper vide Lud. noſtrum Cerdium, Cõment. in 3. Æneid. pag. 298. Nunc ſeorſum, de Borea, ſeu Aquilone ex Æliani lib.12. cap.61.

Aduerſus Thurios nauigabat Dionyſius, contraque ipſos trecentas naues militibus grauis armaturæ inſtructas agebat. Boreas vero ex aduerſo reluctans nauigia confregit, & vniuerſas eius copias nauales deleuit. Ex eo rem diuinam Boreæ faciendam Thurij inſtituerunt, & publicis decretis eum ciuitate donarunt, atque domum certam, facultatesque ei aſſignarunt, ſingulisque annis ſacrificia obtulerunt. Non igitur Athenienſes ipſum ſoli benefactorem ſuum, & fautorẽ putarunt (vt ſupra retulimus) ſed etiam Thurij auxiliatorem, amicumque ſcripſerunt. Pauſanias vero idem Megalopolitas feciſſe ſcribit.

Ventos Ouid. 1. Metam. de eorum contrarijs flatibus, vehementiſſimisque impreſſionibus agens, & ἐπιφωνήματικῶς ſubijciens, fratres vocat. *Tanta eſt diſcordia fratrum*; conuenienter Varroni, qui Phreneticos Septentrionum filios appellauit. Ipſe quoque Boreas, ſeu Aquilo lib. 6. vires ac potentiam ſuam ambitioſius efferens, ac præ ſe alios deſpiciens, *Idem ego cum fratres cælo-ſnm nactus aperto, &c.* Sed rem iucundam fecero, credo, lectori, ſi totum locum adſcripſero, & verſus ipſos attexuero, quibus repulſam paſſus ab Erechtheo Athenienſium rege, cum eius filiam Orithyiam in matrimonium peteret, conqueri,

& exaggerare vim, ac poteſtatem ſuam multiplicem ingenioſè fingitur.

Aſt vbi blanditijs agitur nihil: horridus ira,
Quæ ſolita eſt illi, nimiumq́; domeſtica vento:
Et meritò, dixi: quid enim mea tela reliqui?
Sæuitiam, & vires, iramq́; animoſq́; minaces?
Admouiq́; preces quarum me dedecet vſus?
Apta mihi vis eſt: hac triſtia nubila pello,
Hac freta concutio, nodoſaq́; robora verto,
Induroq́; niues, & terras grandine pulſo.
Idem ego cum fratres cælo ſum nactus apertò
(Nam mihi cāpus is eſt) tanto molimine luctor,
Vt medius noſtris concurſibus inſonet æther,
Exiliantq́; cauis eliſi nubibus ignes.
Idem ego cum ſubij conuexa foramina terræ:
Suppoſuiq́; ferox imis mea terga cauernis,
Sollicito manes, totumq́; tremoribus orbem:
Hac ope debueram thalamos petijſſe: ſocerq́;
Non orandus erat mihi, ſed faciēdus Erechtheus.

LIX. *Pauli IV. Pont: Max. in βιβλιογράφους & egentes commemoranda munificentia.*

Erat Paulus in nobiles quoſdam artifices tam propenſa voluntate, vt omni eos liberalitate, & gratiſſimi animi teſtificatione proſequeretur. Ita autem beneficentiā ſuam alios latere volebat, ab omni ſcilicet vanitate, & oſtentatione alieniſſimus, vt neque ipſos, quibus benefeciſſet,

gratias agentes libenter audiret, & verbis inſuper, ſæpe etiã minis deterreret, ne, quod ab ipſo percepiſſent, id vllis vnquam indicijs cuiquam patefacerent. Mitto exempla cætera, vnum narrabo dignum memoria. Ioannes quidam Græcus librarius, in peruigilio S. Petri obtulit ei ſacra Chriſti Euangelia, tam accommodata ſymmetria, elegantiq; charactere græcè deſcripta, vt admiratus Pontifex, ijſque mirificè delectatus, primum DEO gratias egerit, cuius benignitate tantam in Chriſtiano librario præſtantiam comperiſſet. Deinde præcepit vt liber ille (qui hodie in Bibliotheca Canonicorum S. Petri ſeruatur) operculo pulcherrimo, quod opere Phrygio inſignitum, margaritiſque, ac gemmis conſertum à Principe Doria, paulo antè acceperat, incluſus, in ſcabello prope capſulam, in qua pecunias ad ſelectas eleemoſynas deſtinatas ſeruabat, collocaretur. Inde vocato ad ſe Ioanne, atque extento ſupra ſcabellum ſudario prægrandi (tali enim vti ſolebat) tantum aureorum nummorum in illud impoſuit, quantum ex capſa cõiunctæ manus ambæ vnica cõpreſſione educere poterant: ſicq; in gyrum complicatum ſudarium proprijs manibus in ſinum Ioannis condidit. Ioannes qui ob alia plurima percepta prius ab eo beneficia ſe deuinctiſſimũ illi ſentiebat, de nulla re minus, quam de huiuſmodi prçmio cogitabat. Quare inopinata re perculſus, dũ orditur gratias ſaltem agere, prçuentus à Pontifice eſt: qui digito

ori admoto, ſilentium omnino illi impoſuit. Deinde ordiens ipſe loqui, Dona eiuſmodi, inquit, eſſe oportet, vt neq; is qui ea percepit inde inuidiam contrahat: neq; Princeps qui confert, charitatis præſertim intuitu, talē admittat in ſe gratiarum obligationem; maximè ab ijs, quos ex miſerijs eripere, & ſuis ſubleuare facultatibus ſtatuit. Poſtquā Pontificis cubiculo exijt Ioannes, nihil illi longius viſum, quam aurum quod acceperat inſpicere. Secedens igitur cū ſolo Pyrrho ſibi amiciſſimo in cellā propter Pontificis capellā, & ſudarium euoluens, aureos nummos quingētos inuenit. Compertiſſimū eſt, ſex aureorū millia, quæ Datarius ad eum afferre ſolebat, ſingulis menſibus, plerumq; occultis, ac priuatis eleemoſynis, in homines probos, & egentes ab eo fuiſſe collata. Scriptum in Collectan. vitæ ipſius.

LX. *Pij V. Pont. Max. creatio ciuibus eius prodigiosè indicata.*

MIchaël Gislerius Nepeſinus, ac Sutrinus, & poſtea mōtis regalis Epiſcopus, & Cardinalis, magnā integritatis, & prudentiæ opinionem habuit, dignusq; Pontificio faſtigio, quo nullum in terris altius, eſt iudicatus. Quod iudiciū Cardinalium admirabili quodā indicio Deus cōprobauit. Natus eſt in Gallia Ciſalpina, oppido peruetuſto, quod Boſchum dicitur. Galliarum regis veredarius eius creationē nuntiaturus, Roma per diſpoſitos equos in Galliā properans, cum ad op-

pidum illud perueniſſet, ignarus eam Pij patriam eſſe, diuino potius quam humano ductu, præter conſilium, ab ordinaria, qua extra loci muros rectà tranſitur, declinans via, die oppidum eſt ingreſſus: ac celeri curſu tranſire conanti, quo vehebatur equus in medio foro ante ſummum parochiæ templũ tam pertinaciter ſubſtitit, vt quibuſuis adhibitis ſtimulis progredi, quaſi alter Balaam nullo modo poſſet. Accurrentibus auxilij cauſa multis, atque equum vndiq; nequicquam exſtimulantibus, ac demum vnde, & quò pergeret, & quid noui eſſet percunctantibus, vbi Cardinalem Alexandrinum (Boſchum quippe Alexandrini agri finibus continetur; Alexandria autem ſex paſſuum millibus à Boſcho diſtans) renunciatum eſſe Pont. Max. ſeque ea de re literas ad Galliæ regem afferre ſignificauit, ſtatim equus per ſe repetito curſu cæptum iter inſiſtere; ſubindeque re diuulgata ſummis gaudijs exultare omnes; ad templa properare: immortales Deo gratias agere; atque alia multa publicæ lætitiæ ſigna edere cœperunt. Poſtero vero die ab ipſomet Pio certiores facti, planiùs intellexere, admirabundiq; prædicauere, non ſine diuino conſilio cecidiſſe, vt tantæ lætitiæ nuntio, quaſi è cælo miſſo pridie mirè dignati fuiſſent. Legitur in vita ipſius lib. 1. cap. 8. auctore Petro Gabutio Presbytero.

LXI. *De Pſittaco, & Miluio.*

Salu-

SAluti fuit Leoni Imperatori Pſittacus. Res ita geſta eſt. Baſilius Macedo Imp. filium Leonem in carcerem contruſerat, quod vitę ſuæ inſidiaretur (hoc enim crimine apud eum, ſed falſò accuſatus fuerat) ſtatueratque eidem pro ſupplicio oculos effodere. Pſittacus famulum quẽdam, Leonis ſortem deplorantem, &, ô Leo, ô Leo, ingeminantem fortè audiuit, eamque vocem ſponte ſua imitatus, ſimiliter identidem ô Leo, ô Leo cantauit, dum Imperator, & inuitati ſenatores conuiuium agitarent. Arrepta igitur ex ea auis voce occaſione, pro Leone deprecaturi de menſa ſurrexerunt; oppletique lacrymis dixerunt. Ecquid auis iſta nos negligentiæ non accuſat, qui domini noſtri captiui tãdiu mentionem omiſerimus, cùm ipſa herum ſuum toties, & dolens inclamet? Depone, Imperator, iram, & in gratiam filium recipito. Sic ira Imperatoris mitigata, Leo in priſtinum gradum eſt reſtitutus. Zonaras in Baſil. Maced. Glycas parte IV. Annal. copioſiùs autem in Annalibus ſuis Conſtantinus Manaſſes.

Nunc de Miluio, vt iniuriarum vindice hiſtoriam memorabimus. Quidam Lugdunẽſis mercator Oenopola, lucrum vt augeret, vinum aqua diluebat, nec parum inde proficiebat. Cum igitur Ararim fluuium traijceret, loculos pecunia turgidos ſecum habens, negotiatur, & nummos educit. Miluius hirſutos foris loculos illos conſpicatus, & animal propter pilos ratus,

deuolans è manibus rapit. Sed vbi in ſublime elata ſibi prædam nihil profuturam ſenſit, eam dimiſit. Quæ in profluentem decidens, amplius non apparuit. Hoc euentu edoctus Oenopola iniquus, & culpam ſuam agnoſcẽs, cum fletu dixit, Heu me, quomodo peccaui, ſic pœnas do. Per aquam pecuniam corraſi, in aquam pecunia, & omne lucrum meum dilapſum eſt. Gregor. Turonenſ. de glor. confeſſ. cap. 109.

Rapacitatis hieroglyphicum habet miluius, & in ſacrificia inuolat. Ex funerum ferculis tamen, quæ antiqui ſepulcris imponebant, nihil rapit, quod miratur Plinius. Adi Pierium libro 17. Ovid. 2. Metamorph. de huius auis rapacitate.

Vt volucris viſis rapidiſſima miluius extis,
Dum timet, & denſi circumſtant ſacra miniſtri,
Flectitur in gyrum, nec longius audet abire,
Spemq́ ſuam motis auidus circumvolat alis.

De loquacitate autem pſittaci Am. 2. eleg. 6.

Occidit ille loquax humana vocis imago
Pſittacus, extremo munus ab orbe datum.

LXII. *Mortis aſsidua memoria. Mors cuiuſdam miſerabilis; alterius inſepulta ſepultura.*

ADoleſcens per cubiculi latera mortis effigiẽ affixerat, vt quamcunq; in partem aſpiceret, ea ſibi occurreret, & animum cogitatio finiendæ aliquando huius lucis feriret. Primæ, vt virum bonum migrare potius quam mori, & deteriorem

rem

rem locum, cum meliore commutare ſecum cogitaret, hoc carmen ſubſcripſerat, *Viuens ſæpe morere, vt mortuus ſemper viuas.* Alteri, vt mortem deſpiceret, hunc verſum ſubiecerat. *Ne moriare, opus eſt mortem præcurrere morte.* Tertiæ, vt rerum humanarum curam, voluptatum, honorum, opum ſpem, ac deſiderium abijceret, hunc. *Semina nequitiæ languidiora facit.* Multi Romam petunt curioſitate, cupiditate, & ambitione ducti magis quam religione. Et dum mortem non verſant animo, accidit illis quippiam tale, quale homini Germano, Iureconſulto, artiumque liberalium magiſtro. Qui cum breui ſe Romæ ampliſſimas dignitates conſecuturū ſperaret omnino, contra euenit, vt ad inopiam ſummam redactus, in publico xenodochio diem obierit, conſcripto hoc ſibi epitaphio,

Hic iacet Iodocus, Magiſter in artibus,
Qui fuit Romæ coquus, De gratia ſpeciali,
Doctor in partibus, Mortuus in hoſpitali.

Veruntamen caruit viuus, & mortuus ignominia, dum Chriſtiano ritu eſt conditus. Secus euenit Storaci Neapolitano locupleti, delicatè viuenti, non ſine faſtu, annonę Præfecto. In quem, cum non bona fide munus ſuum exerceret, plebs famis impatiens in eum fecit impetum. Ille fugiens, in æde D. Auguſtini ſepulchro cuidā ſe ſe incluſit; ſed inuentus, & extractus lapidibus eſt appetitus, & à furioſa plebe in fruſta dilaniatus; vt eius ſanguinem quoq; non pauci lambe-

rent; nec poſtea ſcitum eſt vbi carnes, & oſſa eius iacerent. Quare hoc edidimus carmen.

Storax qui viuens ſibi ſibijt ſepulchrum,
Mirum, defunctus caruit ſepulchro.

Ex Maiolo. Sciriſſimè & Chriſtianiſſimè Seneca epiſt. CXIV. *Nihil tamen æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quidquid facies, reſpice ad mortem.* Nonne hoc ſimile illi noſtri Sapientis, *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis?*

LXIII. *De duobus adoleſcentibus, vno ſumptuoſiùs ædificante, altero abdomini nato.*

ERat Rhodi adoleſcens recens ditatus, ſed rudis penitus, atque indoctus. Is domum præclaram magnis ſumptibus in vrbe ędificabat, pictas tabulas, & marmorea ſigna ad ipſam exornandam vndique perquirens. Hunc interrogauit Apollonius, quantos pro ſe erudiendo ſumptus in Præceptoribus feciſſet. Reſpondente illo, ſe ne drachmam quidem ea de cauſſa erogaſſe: rurſus interrogauit quid pro extruenda domo impendiſſet. Ille, duodecim iam talenta expendi, atq; alia totidem videor expenſurus. Quid ergo ex hac domo tibi vis? inquit Apollonius. Splendidè, reſpondet, in ea degere. Sunt enim in ea ſpatia exercendo corpori apta: luci prætera atque horti, vt rarò in publicum prodire mihi ſit

hi ſit neceſſe. Immo etiam lubentius ſalutatum me accedent homines, cùm domum ornatam, quaſi Deorum templum ſint intraturi. Dic autem, inquit Apollonius, vtrum propter ſe ipſos, an propter illa, quæ poſſident amabiliores homines eſſe putas? Propter diuitias, inquit ille; plurimum namque diuitiæ poſſunt. Diuitiarum autem, ô adoleſcens, vter melior eſt cuſtos, rudiſné, an eruditus? Cum adhæc ille côticeſceret, tu, ait Apollonius, mihi videris non domum poſſidere, ſed ab ea potius poſſideri. Ego autem in têplum veniens, multò iucundius in illo, ſi paruum ſit, eburneũ, aut aureum ſignum aſpicio, quam in magno figlinum, & ruditer elaboratum.

Alium præterea conſpicatus adoleſcentem, vehementer pinguem, atque vni præcipuè ſtudio deditum, vt plura, & meliora quam cæteri, biberet, atq; comederet, Profectò, inquit, egregiè vêtri indulſiſti. At ille, immo pro illo etiam ſacra facio. Quid autem, ſubiecit Apollonius, ex tanta edacitate conſequeris? vt omnes, inquit ille, me aſpiciant, atque mirentur. Nunquid enim de Hercule audiſti, cibationes eius perinde, ac certamina voluptatem vidêtibus afferre ſolitas eſſe? Sed ille, ait Apollonius, Hercules erat: tibi vero quid nam virtutis ineſt, ſceleſtiſſime? Quod in te præclariſſimũ ſit, hoc ſolum reſtat, vt nimia craſſitudine quandoq; diſrumparis. Philoſtratus de vita Apollonij Tyanei, lib. 5. cap 8.

LXIV. *De vulnerario, impoſtore.*

Vul-

VVlneratius quidam habitabat N. Magiſter Seraphinus nomine; qui non modo vulnera curare, ſed inſuper crumenas purgare, & exinanire ſolertiſſimè nouerat. Ad hũc ruſticus, cui alter oculus contuſus, vt nihil planè videret; ſanationis cauſa acceſſit. Vulneratius tametſi intelligeret actum eſſe, & laborem fore inanem, nihilominus vt infælicem emungeret, & is cum oculo pecuniam quoq; ſuam amitteret, ſpem bonam facit: V. aut VI. dierum ſpatio oculum ſe reparaturum promittit: in anteceſſum ſatis magnum, ac pæne dimidium pretium numerari poſtulat: ac deinde in dies fere ſingulos aliquid amplius, adeò, vt ruſticum exhauriret, ingemiſcentem, curationem produci longiùs, nec tamen ſibi fieri meliùs. Quare conqueri cum medico iſto, teſtarique, non aliter ſibi eſſe, quàm ſi oculum non haberet. Vbi olfecit Seraphinus ruſtico ſuſpirare in fundo nummos, nec reſtare, quod emungeret, frater, inquit, vtendum eſt patientia. Vnum amiſiſti oculũ: eius recipiendi nulla ſpes. Deo gratias age, quòd alterum ſanũ retines. His auditis, ruſticus flere, Magiſtro dolum malum obiectare, pro fure reprehendere; diem illi apud Principem dicturum comminari. Ille vt cauſſæ ſuæ colorẽ adderet, iraſci, & miſerum hiſce verbis duriter aggredi. Túne domum meam gratis tamdiu, tam tetro odore cõpleueris? Egóne vulnus tuũ tam olidum gratis abſterſerim, vnxerim, obligauerim? Ego, vt alterum oculum ſanũ retineres,

tes,gratis curauerim? Quid? putas Deo placere, vt duobus oculis cernas,non ſecus quam Principes,nobiles, ciues, & viri honorati? Ne te iſta ſubeat cogitatio. Abi proinde in malam rem. Conterritus hac importunitate ruſticus recedit: querelam omittit: cauſſæ ſuæ diffidit. Ex Germanico.

LXV. *De ingenioſo ad grande furtum.*

IN aula Principis dum choris agitatis comeſſationes (Schlafftrinck) inſtituuntur, certatur poculis, & bibitur indulgentiſſimè, forte vnus de proceribus vino approbè irrigatus extra aulā ad feneſtram ſedens etiā ſomno irrigabatur largiter, famulis interea, vt fieri ſolet, etiam ſibi,ac ventribus ſuis aliquid boni indagantibus, ac dominum deſerentibus. Aduenit homo ignotus, malarum artium doctiſſimus, perſona atq; cultu non contemnendus: dormientem, & in collo eius torquem ponderoſum aſpectat. Prope ſtantes percūnctatur,ecquid diu dormierit,&,nullus ne circum illum de miniſtris? Reſpondent,nullum; nec poſſe expergefieri, nec dimoueri loco. Tum impoſtor habens ingenium in numerato, Miſer homo eſt. Potationi deditus eſt,cum vini vim ferre nequeat,vtpote infirmi capitis. Vt cognatus cognatum fideliter, & amanter centies monui, & rogaui, ſui curam ne adeo abijceret; valetudinē iſtis heluationibus ne corrumperet. Quid ſi nunc quiſpiā peregrinus huc ſe afferret, & oc-

& occaſionem tantam furandi cerneret? Manēte. Illudam homini probè. Hoc dicto de collo torquem aufert: præterea argenteo, & libras multas appendente pugione diſcingit: vtrumq; ad ſe recipit; &, quid dicet, poſtquam euigilauerit? Amabo, ſinite illum rerum amiſſarum dolore angi aliquandiu. Tandem ad ſedandum narrate, cognatum eius (nouit bene qui ſim) ſecum illa aſportaſſe. Seruabuntur, & reſtituentur, ne dubitate. Sic trifur ille è medio abit. Et certū eſt dormitatorem hunc ſuum cognatum nunquam vidiſſe nec antea, nec poſtea. Ex Germanico.

LXVI. *Poculum boni dæmonis inci- piente, ac deſinente conuiuio; & de Dionyſij ſacrilegio.*

ANtiquus conuiuarum mos fuit, poſitis mēſis in prima ſtatim potione, quam boni dæmonis poculum vocabant, vini quidem pauxillū, verùm id meracius ſemper deguſtare: veluti ſeipſos, vt inquit Theophraſtus, & Philochorus, admonentes, qualis, & quanta Dei ipſius vis, & erga genus humanū benignitas exiſteret. Hoc idem extremo etiam in conuiuio antequam ſurgerēt, aſportarenturue menſę facere non immeritò ſolebant, extremamque hanc potationem, vt priorem illam boni etiam dæmonis appellabant: vt cum grata virium, benignitatisque Liberi Patris recordatione hilare id clauderetur conuiuium. Inter hanc autem, & priorem illam, in toto ferè ſym-

ſympoſio dilutius bibere conſueuerant: quoniã ipſas etiã nymphas (nymphæ quaſi lymphæ, deæ fluminum, & fontium) Bacchum puerum educaſſe, conſtans erat fama. Quod autem menſæ omnes poſt vltimum dæmonis poculũ remoueri, aſportariq; ſolerent, vel impium Dionyſij tyranni facinus teſtari poteſt. Is enim cum Syracuſis in Æſculapij fano aureã ante ſimulacrũ menſa propoſita eſſet, patera mero repleta, propino tibi, inquit, Æſculapi, boni dæmonis calicẽ: & cum dicto aureã ſtatim menſam auferri iuſſit. De more iſto Atheneus lib. 15. Nicol. Leon. var. hiſt. lib. 1. cap. 63. Vide præterea Pet. Vict. lib. 1. cap. 1.

Hunc ἀγαθὸν δαίμονα intellexit & Horat. epulo finito ſcilicet ſecundis menſis potionem vini exquiſitiſſimi à Græcis adhiberi ſolitam, Ode 5. lib. 4. *Hinc ad vina redit lætus, & alteris te menſis adhibet deum.* Quo tamen nomine non eundem omnes, neque certum aliquem, ſed quem ſibi quiſq; propitiũ volebat, aut quem quiſq; præ cæteris colebat, intelligebant. Plura ſuper hoc Heinſius, Notis in Horat. pag. 27. Poculũ hoc etiã boni genij, bonæ fortunæ nominabãt. Euſtath. in Odyſſ. Scholia Ariſtoph. in Equit. Athenæus li. 15.

LXVII. *Contra prodigos, & aſotos.*

PRodigos, & qui ad vitam è re ſua familiari nihil compararent, Areopagitas ſolitos in ius olim vocare, punireq; Phanodem, Philochorus, & alij non pauci tradidere. Menedemũ igitur

& Aſclepiadē ætate iuuenes, philoſophos & indi-pes accitos cum interrogarēt, quo pacto dies totos philoſophis operā nauarent, & omnibus deſtituti facultatibus corporis habitu ſic eſſent valido, eos poſtulaſſe è piſtrinorum dominis aliquē accerſi. Qui cum veniſſet, ac teſtatus eſſet, ſingulis noctibus eos in piſtrinum deſcendere, moleréq; , ac laboris ſui mercedē accipere drachmas duas, miratos Areopagitas ducentas drachmas honoris ergò illis donaſſe. Democritum Abderitam, quod patria bona diſſipaſſet, accuſatum ciues ſui publicè cauſſam dicere voluerunt. At cum Magnum ornatum, &, Quæ fiunt apud inferos (tituli librorum ſunt) Iudicibus perlegiſſet, & in ea monimenta ingenij rem familiarem abſumptam illos docuiſſet, abſolutus, & dimiſſus eſt. Athenæus lib. 4.

LXVIII. *Ad memoriam inſignia de Carolo V. Imperatore.*

QVotidie tres quartas horæ partes genu flexo manè cùm ſurgeret, numen adorabat. Quotidie item rei diuinæ intererat. Leges matrimonij caſtiſſimè ſeruabat. Sæpe ipſemet feneſtram claudebat, ne fæminas formoſiores aſpiceret, cum eas eminus aduentantes, aut prętereūtes animaduertiſſet, aut prætcrituras audiuiſſet. Nūquam res lætas, aut triſtes atq; acerbas ad eū eſſe allatas ex eius vultu quiſquam potuit ſuſpicari, ex quo perennis quędā ſerenitas elucebat. Ingenio

ſupra modum fuit acuto, & perſpicaci: ita vt humanam naturam præuertere iudicij ſui diuini acrimonia crederetur. In agmine ſuo ſemper primus; nonnunquam xv. horas continuas equo inſidebat. In omnibus expeditionibus ſuis audentiſſimus fuit, ſic, vt & mortem contemnere videretur: nec vnquam ad bombardę crepitum caput inclinaret, nuſquam pedem moueret, nunquam expalleſceret. Etiam in caſtris, & in flore iuuentutis ſuæ ſæpe illud Paulinum vſurpabat, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Nouas preces in ſingulas expeditiones ipſe ſuo Marte cõcipiebat, & conſcribebat, quæ longitudine VII. pſalmos æquarent, quas quotidie, etiam in agmine, & acie legebat, aliquando, quo commodius eas perſolueret, quaſi ad rem neceſſariam diuertens. Et quoniam domi militiæque tam deditus erat precationibus ſacris, dicere multi ſolebant, Carolum ſæpius cum Deo quam cum hominibus loqui. Varijs eleemoſynis, & largitionibus per omnem vitam in omnis generis, & fortunæ homines vſus fuit adeo, vt cum puer eſſet, quadragenos aureos in loculis habens, freq̃uẽter ſeptiès vno die eos erogaret, clam ſuis Præfectis, & Oeconomis. Virili autem in ætate, ſenilique in largiendis eleemoſynis ad puellarum matrimonia, iuuenum ſtudia, ſenum vitam ſuſtentandã, & cum ad captiuos redimendos, tum ad ægrotorũ vulnera, morboſq; ſanandos, omniũ Regum Principum, Cæſarũ liberaliſſimus, ac munificẽtiſſimus

eſt habitus. In Germanos autem tam viros, qui mulieres ab hæreticis compilatos, aut diu exatos, ſacros, profanoſque homines ſua liberalitate piiſſime vſus eſt. Sed nunquam fere talibus eleemoſynas dabat ſine multis lacrymis, conteſtans numen Dei, dolere vehementer, quod non omnibus egenis poſſet ex æquo ſubuenire. Depoſito imperio non aliter ſe, quam Carolum appellabat. Dies noctéſq; in precibus conſumebat. Inutilem ſe mundo, inutilé Deo affirmabat. Ob errata ſua ingemiſcebat, & per tot annos quibus vixiſſet nec vnũ diem Deo pro eo ac debuiſſet ſeruijſſe lamentabatur. Crucifixi Chriſti demum imaginẽ per multos dies vlnis, oculis, oreq; complexus, menſe ſeptimo poſt abdicatum imperiũ, omnibus ſacramentis munitus, maximã vim lacrymarũ effundens expirauit, imperij anno quadrageſimo, vitæ octauo & quinquageſimo. Hæc ex Guliel. Zencaro, qui res eius libris V. eſt perſecutus, eumq; cum Carolo M. Iul. Cæſar. Pompeio, Scipione Africano, Fabio Maximo, Alex. M. Annib. Cyro, Pericle, Themiſt. Auguſt. Traian. & alijs heroibus comparat. Paulus quidem III. Pont. Max. ob rerum præclare geſtarum multitudinem, & magnitudinem publicato diplomate MAXIMI cognomentum illi indidit.

LXIX. *Subitum, facetúmque pro Imp. prandium.*

Caro-

CArolus IV. Aug. Theodoricum Lagelni in re œconomica induſtrium, arci cuidam, cuius tenuis prouentus, Præfectum conſtituerat. Tranſiens è vicino experiri voluit, ſi ex tempore neceſſitati conſulere poſſet. Nihil ante præmonito ſuperuenit cum regio comitatu: iubet apparare menſam. Ille ſubitò capit conſilium. Mittit ad proximam villam qui cogant omnes ſues, quarum aures, caudaſq; præciſas afferri mandat. Parum detrimenti ex eo villani capiebant; vtpote quibus numerus ſuus in pecudibus adhuc cōſtaret. Mox iubet coquum aures illas, & caudulas vario genere percoquere, & condire, & quam celerrime potuit, Auguſto accumbenti inferri. Qui vrbano hominis ingenio delectatus, cum ſe tam ridicula re cum familia acciperet ex tempore, maiore eum deinceps, & quæſtuoſiore præfectura donauit. Crantzius lib. 8. Vandal. cap. 32.

LXX. *Iuſtitiæ ſtudium in Baſilio Maced. Imp.*

TAm præclarè Baſilius imperium adminiſtrabat, tamque obſeruans erat iuſtitiæ, vt ipſemet iudices ordinaret, eoſque cauſſas cognoſcere iuberet attentè, tam in Magnaura pro tribunali ſedentes, quàm in Circo. Edictis quoq; propoſitis inſtituit, vt hi iudices acciperent è publico ſolaria: ne agitatas pro tribunali cauſſas paruī facerent, obiterq; tractarent. Itidem pauperioribus iure aduerſus alios experientibus alimenta

decreuit, ne fame contabeſcentes litibus renun-
tiarent. Præterea memoriæ proditum ſcimus, Imperatorem ad hæc loca quodam tempore de regia progreſſum, quum neminem reperiſſet de alio conquerentem, ideoq; ſuſpicatus eſſet, forte homines iniurijs affectos aliquo modo impediri, quo minus ad ipſum accederent, ſatellites per orbem miſiſſe, qui vbi reuerſi fuiſſent, neq; ſe quenquam inueniſſe dicerent, qui querelarũ aliquid haberet, præ gaudio lacrymas fudiſſe, deoque gratias egiſſe, quod ſe imperante accidiſſet, vt nemo ſe iniuſtè tractatum, oppreſſumque diceret. Ex Annalib. Glycæ, parte IV.

SYNTAGMA SECVNDVM.

APOLOGI, SEV FABELLÆ.

Præfatio.

QVæ mea eſt ſententia, mirifica Apologorum iucunditas hoc vno ſatis ſuperq; declaratur, quod audientes, legenteſvé, ad eorum pleroſq; vel renidere, vel corridere conſueuimus. Ac ſi, qui rebus humanis ſcriptura exſequendis, cum vtile dulci miſcuiſſent, omnium eruditorum aſſenſionẽ, approbationemq; meruerunt, non infimum in his locum Apologorum inuenta

mentares, & ſcriptores obtinere par eſt: quorum caput, princeps Æſopus ſcitiſſima figmentorum ſuorum breuitate diſputatores morales poſt ſe relinquit: dum non quidem operoſis voluminibus partiendo, definiendo, ratiocinando, ſed quam non veris, tam ingenioſis, ac lepidis commentationibus, & animantium colloquijs, quid in omni vita fugiendum, conſectandumvé exiguo libello, cum multa delectatione ante oculos ponit. Similia ſcribentem videſis Gellium lib. 2. cap. 29. Aſtipulantur his, quæ dicit in epigram. Agathias, Antholog. lib. 4. Tit. εἰς φιλοσόφους, εἰς εἰκόνα Αἰσώπου. *Narrat enim, Athenien. cum* VII. *Sapientibus ſtatuas ponerent, primo loco, & ante alios Æſopo, qui eorundem ſæculo vixit, à Lyſippo ſtatuario celeberrimo fabrefactam poſuiſſe. Vtrumq; ſcopum, vtilitatis, inquam, & delectationis Phædrus Auguſti libertus his verſiculis expreſſit.*

Æſopus auctor quam materiam reperit,
Hanc ego poliui verſibus ſenarijs.
Duplex libelli mos eſt: quòd riſum mouet:
Et quod prudenti vitam conſilio monet.

Ad vtilitatem referendum eſt, quod ſæculis ſimplicioribus omnium grauiſſimas legationes per Apologos fæliciter perfectas conſtat. Exemplum ſit Menenius Agrippa. Reſponſa data legatis, & caduceatoribus aliquando fuerunt meri Apologi, vt illud Ioa regis Iſraël, à quo legatio regis Iuda Amaſiæ multo lepore excepta eſt. Cyrus legatis Ionū, & Aeolenſium per apologum ſcitè reſpondit. Ac præter le-

gationes ingentia negotia per apologos ſæpius acta, & peracta ſunt. Huius exempli eſt fabula Themiſtoclis de vulpe, & muſcis, Demoſthenis de lupis & paſtoribus, Sylla de agricolis, & pediculis. Hac Carolus Paſchalius in Legato ſuo c. 55. Ne ſancta quidem ſcriptura apologos aſpernatur, vt eſt videre in libro Iudicum. Sed ad Æſopum regredior, cui (id quod Philoſtratus de vita Apollonij Tyanei lib. 5. memorat.) Mercurius μυθολογίαν donauit, λοιπὴν ἐν σοφίας οἴκῳ οὖσαν quæ vna reſtabat in domo Sapientiæ, cuius munera cæteris eius (Sapientiæ puta) cultoribus diſtribuerat. Teſtatur quoq; Auſenius præfat. ad Theodoſ. Aug. reſponſo Delphici Apollinis monitum, ridicula orſum, vt legenda firmaret: & ſub iocorum cõmunium ſpecie vitæ argumẽta complexum. Porro conſilium, de quo Phædrus, vt vidiſti, non ipſemet Æſopus, verum alij poſtea, ne quid obſcurius, aut implexius relinqueretur, eſſentq; omnia perſpicua, per ἐπιμύθια, ſiue affabulationes, Priſciano interprete (quidam moralia vocant) fabulis ſubiectas expoſuerunt. Quæ ſi illas antecedunt, προμύθια, haud ita magno diſcrimine dicuntur. Eſt etiam quando ambo ad eundem apologum vſurpantur. Quod idẽ Phædrus autumat ſeſe fabulas Æſopicas poliuiſſe verſibus ſenariis, eaſdem pro argumento delegit Gabrias, ſeu Babrias in tetraſtichis, Auien. in elegiacis, Gabriel Faërnus in Iambicis vt plurimum, interdum in hexametris. Olim & Socrates poëma ſcripturus animi cauſſa, eaſdem aſſumpſit, Auct. Plut. de audiendis poëtis.

Quid

Quid nos? accipe. Ex recenſitis, atq; inſuper ex Cælio Calcagnino, Libanio, Horatio, Gellio, & aliis fabellas deprompſimus, compluraq; paſſim noſtris verbis (προμύθια inprimis, & ἐπιμύθια) diſſeruimus: & quò ſtudioſis tam ad vtilitatis, quam ad voluptatis fructum plus commodaremus, de noſtra quoq; qualicunq; quantacunq; ſupellectile, quæ congruere viſa ſunt, adiecimus. Ab Æſopo, quoniam peruulgata ſunt, paucas petiuimus: ne tu omnes, quibus auctoris nomen præſcriptum non eſt, ad eum referendas exiſtimes. Leonis Baptiſtæ Alberti Apologorum vrbanæ grauitatis libellum, qui vel Æſopum inuentionis amœnitate vicerit, nominat Iouius in Elogiis. Sed ad meas manus non peruenit. Vtiq; delibaſſem nonnullos: & hic quoque facundi, elegantiſq; ſcriptoris opera vti non omiſiſſem: ſicut quondam in dialogis meis Architectonicis non omiſi. Viro demum cuidam doctiſſimo aſſentior, acrioris eſſe ingenii fabellas componere, quàm eruditè, ornateq; de rebus grauiſſimis diſſerere. Finio. Poterunt, ſi voluntas tulerit, lectores mei percurrere præterea Progymnaſma meum XL. prima parte tertii volum, cuius index Apologi.

Ex Iouiano Pont. de Serm. lib. IV.

FAbellas vero facetorum quodammodo proprias eſſe volumus, nam & faceti maximè comes ſunt, eorumq; familiariſſimas eas eſſe, ſuperiore libro oſtenſum eſt: Enarrantur enim ea plerumq; ſine offenſione, & (quod laudabiliſſimum eſt) cum gratia

etiam ſumma. Delectant enim: & tum riſum ſuauem quidem illum, & gratum inducunt, tum approbationem dictorum: vt, licet ficta ſint, & intelligantur, tamen ad ſeria videantur inuenta.

I. *Coruus & vulpes.*

Ex Apuleio de Deo Socratis.

CORuus & vulpes vnam offulam ſimul videbant, eamq; raptum feſtinabant pari ſtudio, impari celeritate, vulpes curſu, coruus volatu. Igitur ales beſtiam præuenit, & ſecundo flatu proſſis vtrinque pennis prolabitur, & anticipat: atque ita præda ſimul, & victoria lætus, ſublimè euectus in quadam proxima quercu, in ſummo eius cacumine tutus ſedit. Eò quoque tamen vulpes, quò lapidem nequibat, dolũ iecit. Namque eandem arborem ſucceſſit: & ſubſiſtens, cũ ſupernè raptorem ouantem præda videret, laudare aſtu adorta eſt. Næ ego inſcita, quæ cum alite Apollinis fruſtra certauerim. Quippe cui iam pridem corpus tam concinnum eſt, vt neque oppidò paruum, neque nimis grande ſit: ſed quantum ſatis ad vſum, decorumque. Iam ipſe ales oculis perſequax, vnguibus pertinax: de colore enim quid dicam? Nam cum duo colores præſtabiles forent, piceus, & niueus, quibus inter ſe nox cum die differunt, vtrumq; Apollo ſuis alitibus condonauit, candidum olori, nigrum coruo. Quod vtinam ſicut cygno candidum indul-

ſit, ita huic quoque vocem tribuiſſet, ne tam pulchra ales, quæ ex omni auitio præcellit, viduata delicia facundi Dei muta viueret, & elinguis. Id verò vt coruus audit, hoc ſolum ſibi præ cæteris deeſſe, dum vult clariſſimè clangere, vt ne id ſaltem olori concederet, oblitus offulæ, quã mordicus retinebat, totò rictu hiauit: atq; ita quod volatu pepererat, cantu amiſit. Enimverò vulpes, quod curſu amiſerat, aſtu recuperauit.

παραφραστικῶς, & ſtilo ſuo affectatiore, nec imitando tráctauit Æſopicum figmentum Apuleius. Coruus olim albus, ob loquacitatem niger euaſit, Apolline pœnam hanc exigente, 2. Metam.

Tam nuper pictis caſo pauonibus Argo,
Quam tu nuper eras, cum candidus ante fuiſſes,
Corve loquax, ſubitò nigrantes verſus in alas.
Nam fuit hæc quondam niueis argentea pennis
Ales, vt aquaret totas ſine labe columbas;
Nec ſeruaturis vigili capitolia voce
Cederet anſeribus, nec amanti flumina cygno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci
Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.

Docet autem fabula, cauendos aſſentatores, quorum blandis ſermonibus capti, & inflati permulti, quæ in poteſtate habebant bona, immò ſe ipſos, perdiderunt. Illuſtriſſimum exemplum exſtat in Actis Apoſtolicis de Herode rege, cui concionanti populus acclamabat, *Dei voces, & non hominis*, cap. 12. *Percuſſit enim illum angelus Domini, & conſumptus à vermibus exſpirauit.* A

Doctis obſeruatum eſt, apud Æſopum, vbi quippiam vafrè, verſutè, callidè, feſtiuè aut fit, aut dicitur, eas partes plerumque mandari vulpeculæ, qua animante nihil verſutius. Teſtis prouerbiũ, vulpinari cum vulpibus. Dictis accedit Philoſtrati auctoritas lib. Iconum priore. Coryphæa autem totius chori, inquit, depicta erat vulpes. Ea namque vtitur Æſopus adminiſtra in argumentis plurimis, velut Dauo comœdia.

Adducit Phædrus apologum paulo aliter, & ſanè pereleganter.

Qui ſe laudari gaudet verbis ſubdolis,
Ferè dat pœnas turpi pœnitentia.
Cum de feneſtra coruus raptum caſeum
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore:
Hunc vidit vulpes, dehinc ſic cœpit loqui.
O qui tuarum, corue, pennarum eſt nitor?
Quantum decoris corpore, & vultu geris?
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa vulpes auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corui deceptus ſtupor.
HAC RE *probatur ingenium quantum valet:*
Virtute, & ſemper prævalet ſapientia.

Potiùs probatur, vt exiſtimo, quantum valeant aduerſus ſtuporem cordis malitia, & vafrities, dum callidi, & verſipelles incautos, nimiumque ſimplices ad vtilitatem ſuam in naſſam illiciunt.

Exem-

Exemplum de 1 Off. afferamus. *Q. Fabius Labeo arbiter Nolanis, & Neapolitanis de finibus agri à ſenatu datus, cum ad locum veniſſet, cum vtriſque ſeparatim locutus eſt, ne quid cupidè agerent, nec appeterent, atq; vt regredi quam progredi mallent. Id cum vtriq; feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaq; illorum fines, ſicut ipſi dixerant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicauit.* Subijcit. *Decipere hoc quidem eſt, non iudicare. Quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia.* Similis aſtus proditur a Zenobio cent. 4. prouerb. 37. Thracium commentum. Nam Thraces cum pugna inferiores fuiſſent, pactis quinque dierum cum Bœotijs hoſtibus inducijs, nocte eos inſequentes, alios occidebant, alios viuos capiebant. Expoſtulantibus deinde Bœotijs reſponderunt, dierum, non noctium pactas inducias. Haud multum Phædro concedit Faërnus. Audi, & iudica.

Inſedit alta coruus olim querceni,
Roſtro rapaci caſei fruſtum tenens.
Quem vafra blando aggreſſa ſic vulpes dolo eſt.
Quam pulchram auem, quam ſplendidè cultam intuor,
Pennis decoris, atq; verſicoloribus?
Salue, inquit, ô generoſa. Quod ſi prædita
Cantu fuiſſes, ſummus eras ales Iouis.
His ille magna inductus in ſpem gloriæ,
Cantu indecoro raucà ſoluit guttura.
Tum verſipellis decidente caſeo

Vul-

Vulpes potita: corue, vt, inquit, omnia
Habes abunde? mente duntaxat cares.

QVI CORAM *in os te laudat, inſidias ſtruit.*
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.

II. *Leo & Rana.*

LEo ranam altiſſimè coaxantem audiens, ſuſpicatus prægrandē eſſe beſtiam: ſecutusque ſonitum, eam in crepedine lacus ſeſſitantē reperit, & accedens indignabundus, pede contriuit.

Ecquid hinc animaduertimus, minimi faciendos, quibus ſola qua ſe venditent, atq; oſtentent lingua eſt? Theocritus Chius Byzantium veniens, & ciues verborum prodigos inueniens, rectè, infit, de vobis dicitur: omnem ſupellectilem vos in ore geſtate. Stob. Eoſdem Demades Athenienſia comparare tibijs ſolebat, quibus ſi lingulam ſuſtuleris, reliquum nihil eſt. Idem. Facit huc apophthegma Demarati. Cum audiret cantorem quendam in arte ſua gloriabundum, mihi, inquit, videtur non malè nugari. Loquacē magis, quam bellacē notat Drancem Turnus 11. Æneidos. *larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi, Tum cum bella manus poſcunt.*

III. *Aſinus & Equus.*

BEatiores cenſendi, quibus licet haud magna in re familiari citra curas, ac moleſtias, cum animi tranquillitate æuum degere, quam qui in ſummis diuitijs, ſollicitudinibus quotidianis no-

ctes, & dies cruciantur, ſæpeque damnis grauioribus multantur: nec placidos inire ſomnos queunt: vt interdum cõditionem ſuam perpendentes, ſe Diogenes, quam Alexandros, & aſini illius Æſopici, quam equi fortunam malint.

Nam cum aſinus equum bene, diligenterque paſci, & in otio vivere cerneret, illum fælicem, ſe miſerum reputans, En, inquit, iſti de auena, & hordeo in dies ſupereſt; ſtramento recenti cubile inſternitur quotidie; ipſe pectitur, ſtrigili percurritur, fovetur, tractaturque officioſiſſime: cum interim totos dies ferias agat, laborum expers penitus. Ego autem, animal natum ad miſeriam, palearum in pabulum vix ſatis accipio, ferundisque oneribus aſſiduè delaſſor: nec tantillum miſeret herum mei. Quin caput, & tergum meum toties demulcet fuſtibus, & (quod à natura mihi negatum eſt) citato gradu ambulare ſub ſarcinis, ac tantum non currere compellit. Forte evenit vt equus, cui tanta bona invidebat, bello flagrante è ſtabulo eductus, ab armato milite conſcenderetur: calcaribus in hoſtem vrgeretur: ac dirè vulneratus ſanguine fœdaretur. Hæc omnia conſpiciens aſinus, ita ſecum. Profectò non eſt hæc ſolida fælicitas, in qua talia dantur præmia. Tu, aſelle, ſi ſapis, ſorte tua, quantumuis abiecta, & ærumnoſa contentus vivito: vt ab huiuſmodi tumultibus, vulneribus, præſenti morte denique procul ſis. Vide iterum de Aſino, Simio, & Talpâ fab. XLV.

Simi-

Similem ſibi conſolationem adhibeant, quibus paupertas ſua onus intolerandum, opulentorum autem vita Deûm vita exiſtimatur: cogitentque ſe illum macilentum eſſe caponẽ, quem fratres in eodem ornithoboſcio apud fortunatum dominum incluſi, & bene ſaginati irridebant. Nam dominus aliquando amicos apparato conuiuio accepturus, cocũ de his habitiores, ac pinguiores in culinam mactare cum iuberet, id illi audientes mœſtiſſimi aiebant, heu, quam præſtabat nos macritudine, non pinguitudine excellere. Aſini encomium conſcripſit ingenio, & doctrina ſuſpiciendus Ioannes Paſſeratius, libro Præfationum ſuarum; oſtendens exemplo ſuo verum dixiſſe M. Tullium Paradox. I. nihil eſſe tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. Scripſit & Cornel. Agrippa. Geſſit aſinus Ægyptijs ſapientiæ, fortitudinis, laboris indefeſſi, & frugalitatis ſymbolum. Adi Pierium lib. 12. & Claudium Mino em. in Emblem. Alciati 7.

VI. *Buxus inſida.*

Ex Calcagnino.

NAtura buxum oratricem ad Iouem miſerat, vt virorem perpetuum herbis, arboribusq; indulgere vellet. Verum non communem, ſed priuatam, & ſuam vnius cauſſam egit potius: ac poſt lõgas preces Iouem exorauit, vt ipſa æternæ

vitl-

viriditatis munere, ac prærogatiua donaretur. Reuerſa domum in maxima fuit apud omnes inuidia; Naturaq; adeo in illam exarſit, vt quoniam beneficium Iouis mutare, aut reuocare non dabatur, ſempiterna eam ſterilitate damnaret.

Hoc commento humanitas, beneficentia, amor, & charitas in homines, vt naturæ conſortes, à contrario cómendatur: quò ſciamus, neminem ſibi ſoli natum: & dandis accipiendiſq; beneficijs deuinciri hominum inter homines ſocietatem. Cyprianus, Auguſtino doctor ſuauiſſimus, Commentar. in Orat. Dominicam. *Ante omnia pacis doctor, atq; vnitatis magiſter ſigillatim noluit, & priuatim precem fieri, vt quis cùm precatur pro ſe tantum precetur.* Non enim dicimus, *pater meus qui es in cælis; nec, panem meum da mihi hodie. Publica eſt nobis, & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, ſed pro toto populo oramus: quia totus populus vnum ſumus.* D E V S *pacis, & concordiæ magiſter, qui docuit vnitatem, ſic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipſe portauit.*

V. *Vir diues & Seruus.*

CVidam opibus effluenti ſeruus erat, quem vt ingenio tardum, & bardum ſolitus eſt regem ſtultorum appellare. Is hoc conuicio toties irritatus, hero par referre conſtituit. In quẽ tandem cõuerſus, vellem, inquit, rex ſtultorũ eſſem. Toto enim terrarum orbe nullũ meo latius foret imperium: & tu quoq; in meo eſſes mancipio.

Ideo latiſſimũ hoc imperium, quia, vt aiunt diuinæ litteræ, *ſtultorum infinitus eſt numerus*. Cui cõuenienter Cic. epiſt.lib.9. ſtultorũ plena ſunt omnia. Quod niſi ſtultitiam quemuis errorẽ, aut vitium mentis interpreteris, vt ſtulti ijdem ſint, qui in re quapiam vitioſi, inconſiderati, & inſipientes (quod Stoici quoq; volebãt) à veritate alienũ erit iſtuc ἀξίωμα. Differentiam ſtultorum, & ſapientium admirans ille in Eunucho exclamat.

Dij immortales, homo homini quid præſtat?
Stulto intelligens quid intereſt?

VI. *Gallus fruſtra timens.*

GAllus à vulpe captus, non ſine multa difficultate manibus captoris elapſus aufugit. Paulo poſt viſa pelle vulpina vehementer exterritus, denuo fugam capeſſere inſtitit. Cumque à cæteris auibus, vt inani timore concuſſus, irrideretur: at ſi vos inter vulpis vngues, vt ego, inquit, fuiſſetis, ipſa quoque pedum illius veſtigia, nedum pellem timeretis.

Graui diſcrimine perfunctos, etiam minima quæque, & incerta, formidare, ac perhorreſcere certum eſt. Ouid.2.de P.eleg.7.

Da veniam quæſo, nimioq; ignoſce timori,
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus æra cibis vnca ſubeſſe putat.
Sæpe canem viſum longè fugit agna, lupumq;
Credit: & ipſa ſuam neſcia vitat opem.

Sæuus

Satius eſt nimium cauere, quam nimium audere, & præfidere. Æmilius Probus in Thraſybulo, non ſine cauſſa dicit, matrem timidi flere non ſolere. Nihil in bello oportere contemni. Quia qui timidus, conſideratus, & cautus eſt. Qui cautus, is a periculo ferme tutus eſt. Timidus hic accipiendus, non pro ignauo, ſed pro eo qui timere ſolet potius, quam confidere naturà, &c. Ita Lamb. ibidem, ad num. 20.

VII. *De vitijs hom. in duabus manticis.*

Ex Phædro.

Peras impoſuit Iupiter nobis duas,
Proprijs repletam vitijs poſt tergum dedit.
Alienis ante pectus ſuſpendit grauem.
Hac re *videre noſtra mala non poſſumus.*
Alij ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

Similiter Phædro Menander Comicus.

Οὐδεὶς ἐφ' αὑτοῦ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
Σαφῶς ἑτέρου δὲ ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Haud vllus in ſe vitia cernit, Pamphile.
At indecorè quod agit alius, perſpicit.

Varro Catullus narrat, Suffenum malum poëtam videri tamen ſibimet optimum: nec vnquã tam beatum, quam cum verſus factitet. Tam gaudebat in ſe, tamq; ſeipſum mirabatur. Claudit epigramma his verbis:

Suus cuiq; attributus eſt error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

Meminit huius fabulæ Stobæus, Seneca 2. de Ira. cap. 28. Perſius ſat. 4. *Sed precedenti ſpectatur mantica tergo.* Vbi tergum præcedens vocat pectus. Quin & Horat. ſat. 3. lib. 2. Et quos ibidem adducit in Comment. Torrentius. Adeo nobilitatam Æſopianam hanc fabellam inuenio. Thaletis γνώμη eſt. Optimè, ac iuſtiſſimè viuemus, ſi, quæ in aliis reprehendimus, ipſi non committemus. Cui geminum, quod habet Plutarch. de cohibenda iracundia. Alienis peccatis ſemper aſſonandum, nunquid ego talis? Non admodum aliena peccata execrabitur, conſiderans ſibi ipſi multa opus eſſe venia.

VIII. *Sus & Mus.*

Ex Gabria.

Σῦς εἷλκέ τις μῦν, ἔργον ὄντ' ἀσιτίας.
Ὃν χαλκέες βλέποντες, ἔστησαν γέλων.
Ὁ μῦς δ' ἔτι ζῶν εἶπε μεστὸς δακρύων,
Ὡς οὐδὲ σῦν δυνάσθε τρέφειν ἕνα;
Vrgente murem ventre ſus raptauerat.
Quod conſpicati forte riſerunt fabri.
Mus vero adhuc ſuperſtes illacrymans ait:
Nutrire non poteſtis vnicam ſuem?

NE CASVM *aliûs ſperne ſecurus tui.*

Prudentis eſt ſemper vereri, communemque ſortem metuere, cum minimè ignoret, poſſe cuiuis accidere, quod cuiquam poteſt. Seneca de Tranquillit. cap. 11. Scito omnem conditionem

neceſſarilem eſſe, & quidquid in vllum incurrit, poſſe in te quoque incurrere. Humani autem dolere malis alienis,præſtareque alteri,quidquid in ſimili infortunio præſtari optaret ſibi.

IX. *Rana & Sol.*

Ex eodem.

Γάμοις ἔχαιρον βάτραχοι τοῦ ἡλίου.
Καί τις πρὸς αὐτοὺς εἶπεν, ὦ δειλὸν γένος;
Εἰ γὰρ μόνας τρέμομεν αὐγὰς ἡλίου,
Τίς, εἴγε τεκνώσειε, τοῦτον βαστάσει;
Gaudere Solis cœperant ob nuptias
Ranæ: ſed aliquis increpat; demens genus,
Timemus, inquit, vnici ſolis iubar:
Si liberos crearit, illum quis feret?

In propriis *lætatur imprudens malis.*

Nihil tam contra naturam, quam lætari malo ſuo. Veruntamen hoc ſi ſciat, malum eſſe videlicet, nemo facit. Quis enim ſciens, & volens ſibi nocuerit? Idcirco bene addit, *imprudens.* Gaudent igitur homines interdum, ſed imprudentes, in ijs,ob quæ in lacrymas ire iuſtius erat: quinimmò & prudentes, vt Chriſtiani,qui,quod auaritiæ, libidini, cæteriſque criminibus capitalibus ſupplicium ſeruetur, non neſciunt.

X. *Leo & Capella.*

Ex Avieno.

Viderat excelſa paſcentem rupe capellam
Comminus eſuriens cum leo ferret iter:
Et prior, heus, inquit, præruptis ardua ſaxis
Linque, nec hirſutis paſcua quære iugis.
Sed cythiſi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas ſalices, & thyma grata pete.
Illa gemens: deſiſte precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis ludificare dolis.
Vera licet moneas, maiora pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis eſſe fidem.
Nam quamuis rectis conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc validus conſiliator habet.
NE CITIVS *blandis cuiusquam credito dictis,*
Sed ſi ſint fidei, reſpice quid moneant.

Prorſus huic germana fabella de leone vulpem ægrotantem viſitante, quã vir Ingenij feſtiuiſſim Thom. Morus hoc hexaſticho incluſit.

Dum iacet anguſta vulpes ægrota cauerna,
Ante fores blando conſtitit ore leo.
Ecquid amica vales? citò me lambente valebis:
Neſcis in lingua vis mihi quanta mea.
Lingua tibi medica eſt, vulpes ait, at nocet illud,
Vicinos quod habet tam bona lingua malos.

Nec illa diſſimilis eſt lepore, de vulpe lupum in morbo inuiſente. Qui interrogatus ab ea, nũ qua re egeret: potum, inquit, ſi placet, afferto: nam de cibo ipſemet mihi prouidebo. Intellexit vulpes ſtatim quorſum ſpectaret hæc petitio, & ſaluti ſuæ in tempore conſuluit.

XI. A

XI. *Anus ad amphoram vini.*

Ex Phædro.

ANus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc falerna fæce, & teſta nobili,
Odorem, quæ iucundum latè ſpargeret.
Hunc poſtquam totis auida traxit naribus,
O ſuauis anima, quam te dixerim bonam
Ante hac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ?
HOC QVO *pertineat, dicet qui me nouerit.*

In epimythio latenter, & ſenium ſuum, & φιλοινίαν ſuam ſignificat. Tritum eſt, vinum lac ſenum. Num etiam ſenum mulierum? credo equidē: eſt enim videre, & vetulas merobibulas. Terent. And. *Importunitatem ſpectate aniculæ: quia cōpotrix eius eſt.* Ouid. in Faſt. *Namq; ſenem potum pota trahebat anus.* Locum ex Curculione attexere iuuat, vbi perlepidè anus lena hunc in modum eſt garriens.

Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt.
Eius amor cupidam huc me per tenebras prolicit.
Vbi vbi eſt? prope me eſt. euax, habeo. Salue anime
Liberi lepos. vt veteris vetuſti cupida ſum? (mi,
Nam omnium odor vnguentûm præ tuo nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamum, tu roſa,
Tu crocum, & caſia es, tu bdelium. nam vbi
Tu profuſus, ibi ego me peruelim ſepultam.
Sed quàm adhuc naſo odos obſecutus eſt meo,
Da viciſſim gutturi meo gaudium.
Nihil ago tecum, vbi eſt ipſus? ipſum exſpecto

gationes ingentia negotia per apologos ſæpius acta, & peracta ſunt. Huius exempli eſt fabula Themiſtoclis de vulpe, & muſcis, Demoſthenis de lupis & paſtoribus, Sylla de agricolis, & pediculis. Hæc Carolus Paſchalius in Legato ſuo c. 55. Ne ſancta quidem ſcriptura apologos aſpernatur, vt eſt videre in libro Iudicum. Sed ad Æſopum iregredior, cui (id quod Philoſtratus de vita Apollonij Tyanei lib. 5. memorat.) Mercurius μυθολογίαν donauit, κοινὴν ἐν σοφίας οἴκῳ οὖσαν quæ vna reſtabat in domo Sapiẽtiæ, cuius munera cæteris eius (Sapientiæ puta) cultoribus diſtribuerat. Teſtatur quoq; Auienus præfat. ad Theodoſ. Aug. reſponſo Delphici Apollinis monitum, ridicula orſum, vt legenda firmaret: & ſub iocorum cõmunium ſpecie vitæ argumẽta complexum. Porro conſilium, de quo Phædrus, vt vidiſti, non ipſemet Æſopus, verum alij poſtea, ne quid obſcurius, aut implexius relinqueretur, eſſentq; omnia perſpicua, per ἐπιμύθια, ſiue affabulationes, Priſciano interprete (quidam moralia vocant) fabulis ſubiectas expoſuerunt. Quæ ſi illas antecedunt, προμύθια, haud ita magno diſcrimine dicuntur. Eſt etiam quando ambo ad eundem apologum vſurpantur. Quod idẽ Phædrus autumat. ſeſe fabulas Æſopicas poliuiſſe verſibus ſenariis, eaſdem pro argumento delegit Gabrias, ſeu Babrias in tetraſtichis, Auien. in elegiacis, Gabriel Faërnus in Iambicis vt plurimum, interdum in hexametris. Olim & Socrates poëma ſcripturus animi cauſſa, eaſdem aſſumpſit. Auct. Plut. de audiendis poëtis.

Quid

Quid nos? accipe. Ex recenſitis, atq; inſuper ex Cælio Calcagnino, Libanio, Horatio, Gellio, & aliis fabellas deprompſimus, compluraq; paſſim noſtris verbis (προμύθια imprimis, & ἐπιμύθια) diſſeruimus: & quò ſtudioſis tam ad vtilitatis, quam ad voluptatis fructum plus commodaremus, de noſtra quoq; qualicunq; quantacunq; ſupellectile, quæ congruere viſa ſunt, adiecimus. Ab Æſopo, quoniam peruulgata ſunt, paucas petiuimus: ne tu omnes, quibus auctoris nomen præſcriptum non eſt, ad eum referendas exiſtimes. Leonis Baptiſtæ Alberti Apologorum vrbanæ grauitatis libellum, quo vel Æſopum inuentionis amœnitate vicerit, nominat Iouius in Elogiis. Sed ad meas manus non peruenit. Vtiq; delibaſſem nonnullos: & hic quoque facundi, elegantiſq; ſcriptoris opera vti non omiſiſſem: ſicut quondam in dialogis meis Architectonicis non omiſi. Viro demum cuidam doctiſſimo aſſentior, acrioris eſſe ingenii fabellas componere, quàm eruditè, ornateq; de rebus grauiſſimis diſſerere. Finio. Poterunt, ſi voluntas tulerit, lectores mei percurrere præterea Progymnaſma meum XL. prima parte tertii volum, cuius index Apologi.

Ex Iouiano Pont. de Serm. lib. IV.

Fabellas vero facetorum quodammodo proprias eſſe volumus, nam & faceti maximè comes ſunt, eorumq; familiariſſimas eas eſſe, ſuperiore libro oſtenſum eſt. Enarrantur enim ea plerunq; ſine offenſione, & (quod laudabiliſſimum eſt) cum gratia

etiam ſumma. Delectant enim: & tum riſum ſuaſuem quidem illum, & gratum inducunt, tum approbationem dictorum: vt, licet ficta ſint, & intelligantur, tamen ad ſeria videantur inuenta.

I. *Coruus & vulpes.*

Ex Apuleio de Deo Socratis.

COruus & vulpes vnam offulam ſimul viderant, eamq; raptum feſtinabant pari ſtudio, impari celeritate, vulpes curſu, coruus volatu. Igitur ales beſtiam præuenit, & ſecundo flatu pro paſſis vtrinque pennis prolabitur, & anticipat: atque ita præda ſimul, & victoria lætus, ſublimè euectus in quadam proxima quercu, in ſummo eius cacumine tutus ſedit. Eò quoque tamen vulpes, quò lapidem nequibat, dolũ iecit. Namque eandem arborem ſucceſſit: & ſubſiſtens, cũ ſupernè raptorem ouantem præda videret, laudare aſtu adorta eſt. Næ ego inſcita, quæ cum alite Apollinis fruſtra certauerim. Quippe cui iam pridem corpus tam concinnum eſt, vt neque oppidò paruum, neque nimis grande ſit: ſed quantum ſatis ad vſum, decorumque. Iam ipſe ales oculis perſequax, vnguibus pertinax: de colore enim quid dicam? Nam cum duo colores præſtabiles forent, piceus, & niueus, quibus inter ſe nox cum die differunt, vtrumq; Apollo ſuis alitibus condonauit, candidum olori, nigrum coruo. Quod vtinam ſicut cygno candidum indul-

ſit, ita huic quoque vocem tribuiſſet, ne tam pulchra ales, quæ ex omni auitio præcellit, viduata delicia facundi Dei muta viueret, & elinguis. Id verò vt coruus audit, hoc ſolum ſibi præ cæteris deeſſe, dum vult clariſſimè clangere, vt ne id ſaltem olori concederet, oblitus offulæ, quá mordicus retinebat, toto rictu hiauit: atq; ita quod volatu pepererat, cantu amiſit. Enimverò vulpes, quod curſu amiſerat, aſtu recuperauit.

παρεκφραστικῶς, & ſtilo ſuo affectatiore, nec imitando tractauit Æſopicum figmentum Apuleius. Coruus olim albus, ob loquacitatem niger euaſit, Apolline pœnam hanc exigente, 2. Metam.

Tam nuper pictis caſo pauonibus Argo,
Quam tu nuper eras, cum candidus ante fuiſſes,
Corve loquax, ſubitò nigrantes verſus in alas.
Nam fuit hac quondam niueis argentea pennis
Ales, vt aquaret totas ſine labe columbas,
Nec ſeruaturis vigili capitolia voce
Cederet anſeribus, nec amanti flumina cygno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci
Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.

Docet autem fabula, cauendos aſſentatores, quorum blandis ſermonibus capti, & inflati permulti, quæ in poteſtate habebant bona, immò ſe ipſos, perdiderunt. Illuſtriſſimum exemplum exſtat in Actis Apoſtolicis de Herode rege, cui concionanti populus acclamabat, *Dei voces, & non hominis*, cap. 12. *Percuſſit enim illum angelus Domini, & conſumptus à vermibus exſpirauit.* A

Doctis obſeruatum eſt, apud Æſopum, vbi quippiam vafrè, verſutè, callidè, feſtiuè aut fit, aut dicitur, eas partes plerumque mandari vulpeculæ, qua animante nihil verſutius. Teſtis prouerbiũ, vulpinari cum vulpibus. Dictis accedit Philoſtrati auctoritas lib. Iconum priore. Coryphæa autem totius chori, inquit, depicta erat vulpes. Ea namque vtitur Æſopus adminiſtra in argumentis plurimis, velut Dauo comœdia.

Adducit Phædrus apologum paulo aliter, & ſanè perelegranter.

Qui ſe laudari gaudet verbis ſubdolis,
Ferè dat pœnas turpi pœnitentia.
Cum de feneſtra coruus raptum caſeum
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore:
Hunc vidit vulpes, dehinc ſic cœpit loqui.
O qui tuarum, corue, pennarum eſt nitor?
Quantum decoris corpore, & vultu geris?
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa vulpes auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corui deceptus ſtupor.
HAC RE *probatur ingenium quantum valet:*
Virtute, & ſemper præualet ſapientia.

Potiùs probatur, vt exiſtimo, quantum valeant aduerſus ſtuporem cordis malitia, & vafrities, dum callidi, & verſipelles incautos, nimiumque ſimplices ad vtilitatem ſuam in naſſam illiciunt.

Exem-

Exemplum de 1 Off. afferamus. *Q. Fabius Labeo arbiter Nolanis, & Neapolitanis de finibus agri à ſenatu datus, cum ad locum veniſſet, cum vtriſque ſeparatim locutus eſt, ne quid cupidè agerent, nec appeterent, atq; vt ingredi quam progredi mallent. Id cum vtriq; feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaq; illorum fines, ſicut ipſi dixerant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicauit.* Subijcit. *Decipere hoc quidem eſt, non iudicare. Quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia.* Similis aſtus proditur a Zenobio cent. 4. prouerb. 37. Thracium commentum. Nam Thraces cum pugna inferiores fuiſſent, pactis quinque dierum cum Bœotijs hoſtibus inducijs, nocte eos inſequentes, alios occidebant, alios viuos capiebant. Expoſtulantibus deinde Bœotijs reſponderunt, dierum, non noctium pactas inducias. Haud multum Phædro concedit Faërnus. Audi, & iudica.

Inſedit alta coruus olim querc ui,
Roſtro rapaci caſei fruſtum tenens.
Quem vafra blando aggreſſa ſic vulpes dolo eſt.
Quam pulchram auem, quam ſplendidè cultam intuor,
Pennis decoris, atq; verſicoloribus?
Salue, inquit, ô generoſa. Quod ſi prædita
Cantu fuiſſes, ſummus eras ales Iouis.
His ille magna inductus in ſpem gloriæ,
Cantu indecoro rauca ſoluit guttura.
Tum verſipellis decidente caſeo

Vul-

Vulpes potita: corue, vt, inquit, omnia
Habes abunde? mente duntaxat cares.

QVI CORAM *in os te laudat, inſidias ſtruit.*
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.

II. *Leo & Rana.*

LEo ranam altiſſimè coaxantem audiens, ſuſpicatus prægrandé eſſe beſtiam: ſecutuſque ſonitum, eam in crepedine lacus ſeſſitanté reperit, & accedens indignabundus, pede contrivit.

Ecquid hinc animadvertimus, minimi faciendos, quibus ſola qua ſe venditent, atq; oſtentent lingua eſt? Theocritus Chius Byzantium veniens, & ciues verborum prodigos inueniens, rectè, infit, de vobis dicitur: omnem ſupellectilem vos in ore geſtare. Stob. Eoſdem Demades Athenienſis comparare tibijs ſolebat, quibus ſi lingulam ſuſtuleris, reliquum nihil eſt. Idem. Facit huc apophthegma Demarati. Cum audiret cantorem quendam in arte ſua gloriabundum, mihi, inquit, videtur non malè nugari. Loquacé magis, quam bellacé notat Drancem Turnus 11. Æneidos. *larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi, Tum cum bella manus poſcunt.*

III. *Aſinus & Equus.*

BEatiores cenſendi, quibus licet haud magna in re familiari citra curas, ac moleſtias, cum animi tranquillitate ævum degere, quam qui in ſummis diuitijs, ſollicitudinibus quotidianis no-

ctes,

ctes, & dies cruciantur, ſæpeque damnis grauioribus multantur: nec placidos inire ſomnos queunt: vt interdum cōditionem ſuam perpendentes, ſe Diogenes, quam Alexandros, & aſini illius Æſopici, quam equi fortunam malint.

Nam cum aſinus equum bene, diligenterque paſci, & in otio vivere cerneret, illum fælicem, ſe miſerum reputans, En, inquit, iſti de auena, & hordeo in dies ſupereſt; ſtramento recenti cubile inſternitur quotidie; ipſe pectitur, ſtrigili percurritur, fovetur, tractaturque officioſiſſime; cum interim totos dies ferias agat, laborum expers penitus. Ego autem, animal natum ad miſeriam, palearum in pabulum vix ſatis accipio, ferundiſque oneribus aſſiduè delaſſor: nec tantillum miſeret herum mei. Quin caput, & tergum meum toties demulcet fuſtibus, & (quod à natura mihi negatum eſt) citato gradu ambulare ſub ſarcinis, ac tantum non currere compellit. Forte evenit vt equus, cui tanta bona invidebat, bello flagrante è ſtabulo eductus, ab armato milite conſcenderetur: calcaribus in hoſtem vrgeretur: ac dirè vulneratus ſanguine fœdaretur. Hæc omnia conſpiciens aſinus, ita ſecum. Profectò non eſt hæc ſolida fælicitas, in qua talia dantur præmia. Tu, aſelle, ſi ſapis, ſorte tua, quantumuis abiecta, & ærumnoſa contentus vivito: vt ab huiuſmodi tumultibus, vulneribus, præſenti morte denique procul ſis. Vide iterum de Aſino, Simio, & Talpâ fab. XLV.

Similem ſibi conſolationem adhibeant, quibus paupertas ſua onus intolerandum, opulentorum autem vita Deûm vita exiſtimatur: cogitentque ſe illum macilentum eſſe caponẽ, quem fratres in eodem ornithoboſcio apud fortunatum dominum incluſi, & bene ſaginati irridebant. Nam dominus aliquando amicos apparato conuiuio accepturus, cocũ de his habitiores, ac pinguiores in culinam mactare cum iuberet, id illi audientes mœſtiſſimi aiebant, heu, quam præſtabat nos macritudine, non pinguitudine excellere. Aſini encomium conſcripſit ingenio, & doctrina ſuſpiciendus Ioannes Paſſeratius, libro Præfationum ſuarum; oſtendens exemplo ſuo verum dixiſſe M. Tullium Paradox. I. nihil eſſe tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tanquam excolatur. Scripſit & Cornel. Agrippa. Geſſit aſinus Ægyptijs ſapientiæ, fortitudinis, laboris indefeſſi, & frugalitatis ſymbolum. Adi Pierium lib. 12. & Claudium Mino em. in Emblem. Alciati 7.

VI. *Buxus infida.*

Ex Calcagnino.

NAtura buxum oratricem ad Iouem miſerat, vt virorem perpetuum herbis, arboribusq; indulgere vellet. Verum non communem, ſed priuatam, & ſuam vnius cauſſam egit potius: ac poſt lõgas preces Iouem exorauit, vt ipſa æternæ vitiL

viriditatis munere, ac prærogatiua donaretur. Reuerſa domum in maxima fuit apud omnes inuidia; Naturaq; adeo in illam exarſit, vt quoniam beneficium Iouis mutare, aut reuocare non dabatur, ſempiterna eam ſterilitate damnaret.

Hoc commento humanitas, beneficentia, amor, & charitas in homines, vt naturæ conformes, à contrario cõmendatur: quò ſciamus, neminem ſibi ſoli natum: & dandis accipiendiſq; beneficijs deuinciri hominum inter homines ſocietatem. Cyprianus, Auguſtino doctor ſuauiſſimus, Commentar. in Orat. Dominicam. *Ante omnia pacis doctor, atq; vnitatis magiſter ſigillatim noluit, & priuatim precem fieri, vt quis cum precatur pro ſe tantum precetur.* Non enim dicimus, *pater meus qui es in cælis*; *nec, panem meum da mihi hodie. Publica eſt nobis, & communis oratio: & quando oramus, non pro vno, ſed pro toto populo oramus: quia totus populus vnum ſumus.* D*EVS* *pacis, & concordiæ magiſter, qui docuit vnitatem, ſic orare vnum pro omnibus voluit, quemodo in vno omnes ipſe portauit.*

V. *Vir diues & Seruus.*

CVidam opibus affluenti ſeruus erat, quem vt ingenio tardum, & bardum ſolitus eſt regem ſtultorum appellare. Is hoc conuicio toties irritatus, hero par referre conſtituit. In quẽ tandem cõuerſus, vellem, inquit, rex ſtultorũ eſſem. Toto enim terrarum orbe nullũ meo latius foret imperium: & tu quoq; in meo eſſes mancipio.

Ideo latiſſimũ hoc imperium, quia, vt aiunt diuinæ litteræ, *ſtultorum infinitus eſt numerus.* Cui cõuenienter Cic. epiſt. lib. 9. ſtultorũ plena ſunt omnia. Quod niſi ſtultitiam quemuis errorẽ, aut vitium mentis interpreteris, vt ſtulti ijdem ſint, qui in re quapiam vitioſi, inconſiderati, & inſipientes (quod Stoici quoq; volebãt) à veritate alienũ erit iſtuc ἀξίωμα. Differentiam ſtultorum, & ſapientium admirans ille in Eunucho exclamat.

Dij immortales, homo homini quid præſtat?
Stulto intelligens quid intereſt?

VI. *Gallus fruſtra timens.*

GAllus à vulpe captus, non ſine multa difficultate manibus captoris elapſus aufugit. Paulo poſt viſa pelle vulpina vehementer exterritus, denuo fugam capeſſere inſtitit. Cumque à cæteris auibus, vt inani timore concuſſus, irrideretur: at ſi vos inter vulpis vngues, vt ego, inquit, fuiſſetis, ipſa quoque pedum illius veſtigia, nedum pellem timeretis.

Gravi diſcrimine perfunctos, etiam minima quæque, & incerta, formidare, ac perhorreſcere certum eſt. Ouid. 2. de P. eleg. 7.

Da veniam quæſo, nimioq; ignoſce timori,
Tranquillas etiam naufragus horret aquas;
Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus æra cibis vnca ſubeſſe putat.
Sæpe canem viſum longè fugit agna, lupumq;
Credit: & ipſa ſuam neſcia vitat opem.

Satius eſt nimium cauere, quam nimium audere, & præfidere. Æmilius Probus in Thraſybulo, non ſine cauſſa dicit, matrem timidi flere non ſolere. Nihil in bello oportere contemni. Quia qui timidus, conſideratus, & cautus eſt. Qui cautus, is à periculo ferme tutus eſt. Timidus hic accipiendus, non pro ignauo, ſed pro eo qui timere ſolet potius, quam confidere naturà, &c. Ita Lamb. ibidem, ad num, 20.

VII. *De vitijs hom. in duabus manticis.*

Ex Phædro.

Peras impoſuit Iupiter nobis duas,
Proprijs repletam vitijs poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit grauem.
HAC RE *videre noſtra mala non poſſumus.*
Alij ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

Similiter Phædro Menander Comicus.

Οὐδεὶς ἐφ' αὑτοῦ κακὰ συνορᾷ, πάμφιλε,
Σαφῶς ἑτέρου δὲ ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
Haud vllus in ſe vitia cernit, Pamphile.
At indecorè quod agit alius, perſpicit.

Varro Catullus narrat, Suffenum malum poëtam videri tamen ſibimet optimum: nec vnquã tam beatum, quam cum verſus facitet. Tam gaudebat in ſe, tamq; ſeipſum mirabatur. Claudit epigramma his verbis:

Suus cuiq; attributus eſt error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

Meminit huius fabulæ Stobæus, Seneca 2. de Ira.cap.28. Perſius ſat.4. *Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.* Vbi tergum præcedens vocat pectus. Quin & Horat.ſat.3. lib. 2. Et quos ibidem adducit in Comment. Torrentius. Adeo nobilitatam Æſopianam hanc fabellam inuenio. Thaletis γνώμη eſt. Optimè, ac iuſtiſſimè viuemus, ſi, quæ in alijs reprehendimus, ipſi non committemus. Cui geminum, quod habet Plutarch. de cohibenda iracundia. Alienis peccatis ſemper aſſonandum, nunquid ego talis? Non admodum aliena peccata execrabitur, conſiderans ſibi ipſi multa opus eſſe venia.

VIII. *Sus & Mus,*

Ex Gabria.

Σῦς εἷλκέ τις μῦν, ἔργον ὄντ᾽ ἀσιτίας.
ὃν χαλκέες βλέποντες, ἔστησαν γέλων.
Ὁ μῦς δ᾽ ἔτι ζῶν εἶπε μεστὸς δακρύων,
Ὡς οὐδὲ σῦν δυνάσθε τρέφειν ἕνα;
Vrgente murem ventre ſus raptauerat.
Quod conſpicati forte riſerunt fabri.
Mus vero adhuc ſuperſtes illacrymans ait:
Nutrire non poteſtis vnicam ſuem?
NE CASVM *aliûs ſperne ſecurus tui.*

Prudentis eſt ſemper vereri, communemque ſortem metuere, cum minimè ignoret, poſſe cuiuis accidere, quod cuiquam poteſt. Seneca de Tranquillit. cap.11. Scito omnem conditionem

verſatilem eſſe, & quidquid in vllum incurrit, poſſe in te quoque incurrere. Humani autem dolere malis alienis, præſtareque alteri, quidquid in ſimili infortunio præſtari optaret ſibi.

IX. *Ranæ & Sol.*

Ex eodem.

ΓΑ'μοις ἔχαιρον βάτραχοι τοῦ ἡλίου.
Καί τις πρὸς αὐτοὺς εἶπεν, ὦ δειλὸν γένος;
Εἰ γὰρ μόνας τρέμομεν αὐγὰς ἡλίου,
Τίς, εἴγε τεκνώσειε, τοῦτον βαστάσει;
Gaudere Solis cœperant ob nuptias
Ranæ: ſed aliquis increpat; demens genus,
Timemus, inquit, vnici ſolis iubar:
Si liberos crearit, illum quis feret?

IN PROPRIIS *lætatur imprudens malis.*

Nihil tam contra naturam, quam lætari malo ſuo. Veruntamen hoc ſi ſciat, malum eſſe videlicet, nemo facit. Quis enim ſciens, & volens ſibi nocuerit? Idcirco bene addit, *imprudens.* Gaudent igitur homines interdum, ſed imprudentes, in ijs, ob quæ in lacrymas ire iuſtius erat: quinimmò & prudentes, vt Chriſtiani, qui, quod auaritiæ, libidini, cæteriſque criminibus capitalibus ſupplicium ſeruetur, non neſciunt.

X. *Leo & Capella.*

Ex Avieno.

VIderat excelſa paſcentem rupe capellam
Comminus eſuriens cum leo ferret iter.
Et prior, heus, inquit, præruptis ardua ſaxis
Linque, nec hirſutis paſcua quære iugis.
Sed cythiſi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas ſalices, & thyma grata pete.
Illa gemens: deſiſte precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis ludificare dolis.
Vera licet moneas, maiora pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis eſſe fidem.
Nam quamuis rectis conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc validus conſiliator habet.
NE CITIVS *blandis cuiusquam credito dictis,*
Sed ſi ſint fidei, reſpice quid moneant.

Prorſus huic germana fabella de leone vulpem ægrotantem viſitante, quã vir ingenij feſtiuiſſimi Thom. Morus hoc hexaſticho incluſit.

Dum iacet anguſta vulpes ægrota cauerna,
Ante fores blando conſtitit ore leo.
Ecquid amica vales? citò me lambente valebis:
Neſcis in lingua vis mihi quanta mea.
Lingua tibi medica eſt, vulpes ait, at nocet illud,
Vicinos quod habet tam bona lingua malos.

Nec illa diſſimilis eſt lepore, de vulpe lupum in morbo inuiſente. Qui interrogatus ab ea, nũ qua re egeret: potum, inquit, ſi placet, afferto: nam de cibo ipſemet mihi prouidebo. Intellexit vulpes ſtatim quorſum ſpectaret hæc petitio, & ſaluti ſuæ in tempore conſuluit.

XI. A

XI. *Anus ad amphoram vini.*

Ex Phædro.

A*Nus iacere vidit epotam amphoram,*
Adhuc falerna fæce, & teſta nobili,
Odorem, quæ iucundum latè ſpargeret.
Hunc poſtquam totis auida traxit naribus,
O ſuauis anima, quam te dixerim bonam
Ante hac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ?
HOC QVO *pertineat, dicet qui me nouerit.*

In epimythio latenter, & ſenium ſuum, & φιλοινίαν ſuam ſignificat. Tritum eſt, vinum lac ſenum. Num etiam ſenum mulierum? credo equidē: eſt enim videre, & vetulas merobibulas. Terent. And. *Importunitatem ſpectate aniculæ: quia cōpotrix eius eſt.* Ouid. in Faſt. *Namq; ſenem potum pota trahebat anus.* Locum ex Curculione attexere iuuat, vbi perlepidè anus lena hunc in modum eſt garriens.

Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt.
Eius amor cupidam huc me per tenebras prolicit.
Vbi vbi eſt? prope me eſt euax, habeo. Salue anime
Liberi lepos. vt veteris vetuſti cupida ſum? (mi,
Nam omnium odor vnguentûm præ tuo nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamum, tu roſa,
Tu crocum, & caſia es, tu bdelium. nam vbi
Tu profuſus, ibi ego me peruelim ſepultam.
Sed quàm adhuc naſo odos obſecutus eſt meo,
Da viciſſim gutturi meo gaudium.
Nihil ago tecum, vbi eſt ipſus? ipſum exſpecto

Tangere, inuergere in me liquores tuos
Sino ductim. Sed hac abijt hac perſequar.

Salſa ſunt, quæ Phædromus adoleſcens, & Palinurus ſeruus hęc auſcultantes fabulantur. Quãobrem, quæ dicunt ſubijciam.

PH. *Sitit hac anus.* PA. *Quantulũ ſitit?* PH. *medica eſt,*
Capit quadrantal. PA. *Pol, vt prædicas,*
Vindemia hac huic anni non ſatis eſt ſoli.
Canem eſſe hanc quidem magis par fuit, ſagax
Naſum habet.

Vini vſus olim Romanis fæminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberẽtur: quia proxim⁹ à Libero patre intẽperãtię gradus ad inconceſſam venerẽ eſſe conſueuit. Valer. lib. 2. c. 1.

XXII. *Simia & Vulpes.*

ORabat vulpeculã ſimia, vt partẽ caudæ ſuæ ſibi donare ne grauaretur, quò partẽ corporis, qua ciborum reliquiæ egeruntur, nudam poſſet contegere: illi enim eſſe oneri, quod ſibi foret honori. Hic vulpes, nihil ſe habere ſuperuacuum, malleque humum ſua cauda verri, quam ea ſimiæ nates operiri.

Sunt quibus deeſt, ſunt quibus ſupereſt. Paucorum tamen diuitũ hic mos, ſecundùm Apoſtolum de abundantia ſua aliorũ ſupplere inopiam. De epulone, & mendico Lazaro legitur apud S. Lucam, & meminiſti diuerſiſſimi exitus. Tiberius Conſtantinus Aug. à liberalitate in egentes

mirè

mirè commendatur. *Si vis mercator eſſe*, inquit Auguſtin. *aut fœnerator optimus, da quod non potes retinere, vt recipias quod non potes amittere. Da modicum, vt recipias centuplum: da temporariam poſſeſſionem, vt conſequaris hæreditatem æternam.*

XIII. *Caßita Gelliana.*

Ex lib.2.c.29.

AVicula eſt parua, nomen eſt Caſſita, habitat, nidulaturque in ſegetibus, id fermè temporis, vt appetat meſſis, pullis iam iam plumantibus. Ea caſſita in ſementes forte conceſſerat tẽpeſtiuiores. Præterea frumentis flaueſcentibus pulli etiã tum involucres erant. Cum igitur ipſa iret pullis cibum quæſitum monet eos, vt ſi quid ibi rei nouæ fieret, diceretur vé, animaduerterẽt, idq́; vti ſibi, vbi rediret, renuntiarent. Dominus poſtea ſegetum illarum filium adoleſcentem vocat, &, videſné, inquit, hæc maturuiſſe, & manus iam poſtulare? Idcirco die craſtini, vbi primum diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant, operamq́; mutuam dent, & hanc meſſem nobis adiuvent. Hæc ille vbi dixit, diſceſſit. Atque vbi rediijt Caſſita, pulli trepiduli circumſtrepere, orareq́ue matrem, vt ſtatim iam properet, atq; alium in locum ſe aſportet: nam Dominus, inquiunt, miſit qui amicos rogaret, vti luce oriente veniant, & metãt. Mater iubet eos à metu otioſos eſſe. Si enim dominus, inquit, meſſem ad amicos reiicit, craſtino ſeges non metetur:

neq; neceſſe eſt hodie vti vos auferam. Die igitur poſtero mater in pabulum volat: dominus, quos rogauerat, operitur, & fit nihil, & amici nulli erant. Tunc ille rurſum ad filium: amici iſti, inquit, magnam partem ceſſatores ſunt. Quin potius imus, & cognatos, affines, vicinosq; noſtros oramus, vt adſint cras tempori ad metendũ? Ibidem hoc pulli pauefacti matri nuntiant. Mater hortatur, vt tũ quoq; ſine metu ac ſine cura ſint, cognatos nullos ferme tam eſſe obſequibiles, vt ad laborem capeſſendum nihil cunctetur, & ſtatim dicto obediant. Vos modò, inquit, aduertite ſi modò quid denuo dicetur. Alia luce orta, auis in paſtum profecta eſt, cognati, & affines operá, quam dare rogati ſunt, ſuperſedent. Ad poſtremum igitur dominus filio, valeant, inquit, amici cum propinquis: afferes prima luce falces duas, vnam egomet mihi, tu tibi capies alterá, & frumẽtũ noſmet ipſi manibus noſtris cras metemus. Id vbi ex pullis dixiſſe dominũ mater audiuit: tempus, inquit, eſt cedendi, & abeundi: fiet nunc dubio procul quod futurum dixit. In ipſo enim iam vertitur, cuia res eſt, nõ in alio, vnde petitur. Atq; ita Caſſita nidum migrauit, & ſeges demeſſa eſt.

Hoc quidem commentum Æſopicum eſt, de amicorùm, propinquorumq; leui, & inani fiducia, à qua nos dehortatur in Satyra Ennius.

Hoc erit tibi argumentũ ſemper in promptu ſitum,
Ne quid exſpectes amicos, quod tu agere poſſis.

Sed quid aliud ſanctiores libri Philoſopho-

rum

rum monent, quam vt nobis ipſis tantùm nitamur: alia omnia, quæ extra nos, extraq; animum noſtrum ſunt neq; pro noſtris, neque pro nobis ducamus? Amicus germanus ſtudebit amici cōmodis quam maximè, dicetque idem quod in Capt. ſeruus (quem ſe ſimulabat) hero ſuo,

Philocrates, vt adhuc locorum feci ſedulò,
Vt potiſſimùm quod in rem rectè conducat tuam,
Id petã, idq; perſequar corde, & animo, atq; viribus.

XIV. *Cornix & Canis.*

Ex Faërno.

Cornix Mineruæ ſacrificans, epulis canem
Conuiuam adhibuit. Ille amicè eam monet;
O bona, quid opus eſt tam tibi irata Dea
Te ſacra facere? perdis, inquit, victimas.
Abiecit illa te, & peculiaribus
Omnem fidem abrogauit auguriis tuis.
Tu cætera ex hoc coniice, & diiudica.
Tum magnum ab alto corde agens ſuſpirium
Cornix, ſcio, inquit, quæ refers de odio Deæ:
Ego tamen neutiquam animum deſpondeo.
Quin potius id ago, vt ſacrificando, & munera
Crebrò offerendo mitigem iratam Deam,
Offenſionemq; obſequela leniam

Qui vincere *aduerſarium ex toto cupit,*
Beneficiis, & gratia certet bona.

Probum & ſanctum Pauli conſiliũ ad Roman. 12.
Scriptum eſt, mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba

illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens: carbones congeres ſuper caput eius: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malũ. Beneficentiæ aduerſus inimicos, illuſtriſſimum præbet exemplum Dauid erga Saulum regem, ab eo toties ad necem quæſitus. Veſpaſian. Aug. Vitellij hoſtis ſui filiam in matrimonio ſplendidiſſimo locauit, dotatamq́ue muliebri mundo inſtruxit, offenſarum, inimicitiarumq́ue minimè memor, executorvé. Auctor Sueton. cap. 14. Cur autem Minerua Cornicem à tutela ſua reiecerit, & in eius locum Noctuam aſciuerit, 2. Metamorph. Ouidius exſequitur.

XV. *Capræ barbatæ & Hirci.*

Ex Phædro.

BArbam capellæ cum impetraſſent à Ioue,
Hirci mœrentes indignari cœperant,
Quod dignitatem fœminæ æquaſſent ſuam,
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et vſurpare veſtri ornatum muneris,
Pares dum non ſint veſtræ fortitudini.
HOC ARGVM. *monet vt ſuſtineas tibi*
Habitu eſſe ſimiles, qui ſunt virtute impares.

Germana, propria, ἀναφαίρετα homini decora, & ornamenta bonæ artes, & virtutes ſunt. Hæc ſi poſſederis, patiare tecum veſtibus tegi ſericis, & vnà florere opibus, qui mentes gerunt plumbeas, & ſunt contaminati vitijs. Cum quidam milites inter ſpolia veſtes pretioſas mirarentur, præſtabat, inquit dux Pauſanias, ipſos eſſe multi pretij, quam poſſidere pretioſa.

XVI. *Boues geſtientes & Ruſticus.*

RVſticus ingreſſus ſtabulum, boues gaudio exultantes aſpiciens, rogavit cauſſam huius inſolitæ lætitiæ. Cui illi, quia nos diem hunc vacantes à labore in paſcuis vberrimis tranſacturos confidimus. Quid vobis ita perſuaſit? præſagium, aiunt, ſomnium. Et ruſticus, parcite fidem habere iſtis ſomnijs. Ego enim contra ſomniavi, vos hodie ſtrenuè araturos. Atqui hominum quam beſtiarum ſomnia certius ſolent euenire.

Somniorum vanitatem arguit hæc fictio. Sane iſta quoq; vox *Somnium* ob id rem futilem, incertam, inanē, & nihil ſæpius declarat. Terēt. Adelp. *De argento. ſomnium.* Lucian. ὀνείρατά μοι λέγεις, ſomnia mihi narras. Zenonis Stoici doctrinam puta reponendam in animo. Dicebat è ſuis quēque inſomnijs deprehendere poſſe, quantum in philoſophia (in moribus, & virtute, cuius magiſtra eſt philoſophia ἠθικὴ) profeciſſet, ſi nihil illic vel appeteret, vel faceret nefariæ rei. Tum enim animus in profunda tranquillitate cōſtitutus, veros affectus prodit. Contra, quæ vigilantes non audent profari, aut agere, ea noctu occurrunt in ſomnis.

XVII. *Rana & Vulpes.*

Ex Avieno.

EDita gurgitibus, olimq; immerſa profundo,
Et luteis tantum ſemper amica vadis,

Ad

Ad ſuperos colles, herboſaq́ prata recurrens,
Mulcebat miſeras turgida rana feras,
Callida, quòd poſſet grauibus ſuccurrere morbis,
Et vitam ingenio continuare ſuo.
Nec ſe Pæonio iactat ceſſiſſe magiſtro,
Quamuis perpetuos curet in orbe Deos.
Tunc vulpes pecudum ridens aſtuta quietem,
Verborum vacuam prodidit eſſe fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina mēbris,
Pallida cæruleus cui notat ora color?
NE SIBIMET *quuquam de rebus inaniter vllis*
Quas nequit imponat, iſta fabella monet.

Geminum eſt apologi huius ἐπιμύθιον. Docet namque vitandam aſſentationem, & arrogantiā in eo quod didicimus, aut præſtare poſſumus. Præterea ſua cuiq; curāda, ac prouidenda potius quam aliena: cum naturæ conuenienter plus ſemet quiſque, quam alium diligat. Vide adagium, Aliorum medicus, ipſe vulneribus ſcatens.

Illud diſtichon, *Nec ſe Pæonio*, &c. quia obſcurum, libet illuſtrare. Homer. 5. Iliad. ſcribit, cū Pluto ab Hercule vulneratus in cælū ad Iouis domicilium profugiſſet, Pæonem medicū eum mitigatorijs pharmacis adhibitis curauiſſe. Pro cælo autem ſicut mundum, ita & orbem dictum inuenias alicubi.

XIIX. *Camelus & Iupiter.*

Ex eodem.

GON-

CONTENTVM propriis ſapientem viuere rebus,
Nec cupere alterius noſtra fabella monet.
Indignata cito ne ſtes fortuna recurſu,
Atq; eadem minuat, quæ dedit ante rota.
Corporis immenſi fertur pecus iſſe per auras,
Et magnum precibus ſollicitaſſe Iouem.
Turpe nimis, cunctis irridendumq; videri,
Inſignes geminis cornibus ire boues.
Et ſolum nulla munitum parte camelum,
Obiectum cunctis, expoſitumq; feris.
Iuppiter arridens poſtquam ſperata negauit,
Inſuper & magnæ ſuſtulit auris onus.
Viue minax merito. cui ſors non ſufficit, inquit:
Et tua perpetuum, liuide, damna geme.

EX GABRIA EADEM.

Κυρτὴ θεὸν κάμηλος ἐζήτει κέρα,
ἣν ἐξεμυκτήρισε τῆς ἀβουλίας.
Ζημοῖ γὰρ αὐτὴν λοιπὸν ὦτα καὶ κάρον,
Ὡς ἄγαν παντάπασιν αἰσχίστη πέλῃ.
A Ioue Camelus flagitabat cornua
Incurua; riſit ille ſtultitiam feræ:
Quin minuit ipſi cætera, aures. & caput,
Vt vndequaq; ſic foret turpiſſimus.
DEOS *rogare dedecet. quæ non decent.*

Ad fugiendam inuidiam vult eſſe confectam hanc fabulam Auienus, vt quæ ſors, & natura nobis dederit, ijs contenti ſimus, àlijs ſua relinquamus. Vide fab.43.de pauone, & Iunone. Ad preces ſtultas Gabrias. Probè vterque. Poteſt inſu-

inſuper valere in eos, quos conditionis, ac functionis ſuæ pænitet, aliamq́; cui idonei non ſunt, tamen expetunt. Sicut *ſi optet ephippia bos, piger optet arare caballus.* Horat. ep. 14. lib. 1.

XIX. *Ouis & Paſtor.*

CONuiciabatur paſtori ouis, quod non contentus lacte in vſum ſuum, filiorumque emulcto, inſuper lana ipſam denudaret. Tum paſtor iratus, filium eius ad necem trahebat. Ecquid, inquit ouis, peius tractare me potes? Vt te, reſpondet paſtor, occidam, & lupis, canibusque deuorandam proijciam. Ouis, maiora adhuc mala formidans, obmutuit.

Non iraſcendum Deo, ſi rem partam, ſi vxorem, liberos auferri permittat, cum etiam grauioribus ſupplicijs & viuentes, & mortuos mactare poſſit. Aut, dum vitam modò retineamus, omnia quantumuis grauia detrimenta, & incōmoda patienter perferenda. Et hoc ex opinione vulgi. Nam viri fortes, & ſapientes magis ſunt φιλόδοξοι quam φιλόζωοι.

XX. *Pauo & Monedula.*

AVibus regem creaturis, orabat pauo, ſeſe crearent, vtpote pulcherrimum. Omnibus ei ſuffragium ferentibus: ſed ſi te regnante, inquit monedula, nos aquila perſecuta fuerit, tu nobis auxilium præſtabis ſcilicet.

Nec formam ſolùm, nec potiſſimùm in Principe

eſpe deligendo, ſed virtutem quoque, & inprimis ſpectandam eſſe hinc admonemur, & quod dubium non eſt, ſapientiam quoque. Iuſtinus de amicis Alexandri M. poſt eius obitum, lib. 13. *Sed amici Alexandri fruſtra regnum ſpectabant. Nam eius virtutis, ac venerationis erant, vt ſingulos reges putares. Quippe ea forma pulchritudo, & proceritas corporis, & virium, ac ſapientia magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente, ſed ex toto terrarum orbe electos iudicaret: neque enim vnquam ante Macedonia, vel vlla gens alia tam clarorum virorum prouentu floruit: quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, vt non tam ad ſocietatem belli, quam in ſucceſſionem regni electi viderentur. Quis igitur miretur, talibus miniſtris orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum tot, non ducibus, ſed regibus regeretur?* De forma autem, & habitu, cultuque regio doctè, prudenterque diſſerit libello aureolo de rege, & regno Ioan. Anton. Viperan. cap. 8.

Vide diſputata à Dione. Chryſoſt. orat. 2. de regno ſuper regum, atque ducum cultu, pag. 28. & ſeq. Xenophon. 8. Pædiæ Cyrum ait exiſtimaſſe non ſolum decere Principes ſubditis præſtare quòd meliores eſſent: ſed etiam opus eſſe vt ornatu corporis eos allicerent. Itaque elegit ſtolam Medicam & ipſe ferre, & vt familiares ea induerentur perſuaſit. Plura ibidem de eius ornatu. Hunc eundem apologum ſic Faërnus explicuit.

Regi

Regi creando cum comitia auium forent,
Blando petebat pauo praſens ambitu,
Suas opes, ſuamq; pulchritudinem
Iactans, & admirandum honorem corporis.
Et iam prope vna mente centuria alitum
In gratiam pauonis inclinauerant:
Suffragia inhibens cum monedula, heus tu, ait,
Formoſe, ſi, te rege nos aquila impetat,
Quo pacto opem ferre, aut tueri nos potes?
IN DELIGENDO *rege multo impenſius*
Animorum bona ſpectanda ſunt, quam corporum.

XXI. *Lupi & Oues.*

CVm Æſopum à Crœſo Legati Samios, quibus cum rege inimicitię intercedebant, bona fide popoſciſſent, ille, quò eos à fide hoſti cōmodanda, & ſe ad illum mittendo deterreret, commentum hoc recitauit, quo docuit, vel vnū virum ſapientem totius ciuitatis ſalutem, & incolumitatem eſſe: ac proinde inſtar theſauri aſſeruandum diligentiſſimè.

Quo tempore animalia eadem lingua vtebantur, lupi ouibus bellum intulerunt. Cum porrò canes ouibus ſuccurrentes lupos abigerent, illi miſſa legatione canes ſibi tradi petiuere, alioqui pacem non facturos. Oues, vt ſimplices, & incautæ poſtulata facere, canes tradere: lupi eos mox dilaniare, atque in o͂es deinceps nullo impediente graſſari effuſiſſimè.

Verbis pluribus narrat hanc fabulam in Præ-

Iudijs Oratorijs Libanius. Fertur & Demoſthenes eandem protuliſſe, cum Alexãder M. oratores ſibi ab Athenienſibus, & in his Demoſthenẽ ipſum, miſſis ſeu decẽ, ſeu octo Legatis dedi petiuiſſet: ſeque & ſocios canibus pro populo propugnantibus, Alexandrum μονολύκῳ, id eſt, lupo ſolitario comparaſſe. Meminit Iuſtinus lib. 11.

XXII. *Vulpes & Vua.*

Ex Phædro.

F*Ame coacta vulpes alta in vinea*
Vuam appetebat ſummis ſaliens viribus.
Quam tangere vt non potuit,
Nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere.
QVI FACERE, *quæ non poſſunt verbis eleuant,*
Adſcribere debebunt hoc exemplum ſibi.

A natura inditus eſt homini ex dictis, & factis laudis appetitus, & probri metus. Quare ne probro ſit voluiſſe, nec potuiſſe, malumus præ nobis ferre noluiſſe, & tamen potuiſſe, ac ſimulatione conſilij neceſſitatem obtegere; vt mendacio ſaltem honori noſtro conſultũ eamus, quando aliter nequimus. Vide fabulam 38.

XXIII. *Canis, Aſinus, Lupus.*

CAnis moloſſus lupo, cum quo inimicitias exercebat, imparem ſe viribus perſpiciens, ſocium ſibi aſciſcere ſtatuit, cuius ope lupum ſuperaret. Cernens igitur aſinum lupo vocaliorẽ, maiorem, & clitellis velut thorace armatum: au-

dienſque cum fragore oppedentem, fore idoneum commilitionem ratus, cum eo ſocietatem pepigit, lupumque ad pugnam prouocauit. Verùm vbi ad primum lupi conſpectum fugientem aſinum vidit, & nihil aliud quam inconditùm rudere, crepitusque ſonoros emittere, ipſe quoque in fugam ſe tradens, ſocium in ipſa pugna lupo, & vulturibus pabulum deſtituit.

Hac fictione erudimur, ſtultè facere qui verborum ampullis, proceritate corporis, alijſvé eiuſdem dotibus animi virtutem metiuntur. Ab animo ipſo quiſq; noſtrum verè laudatur, verè reprehenditur. In ſacro quoque euangelio ſecundum faciem vetamur iudicare.

XXIV. *Vulpes & Muſtela.*

Ex Horat. ep. 7. lib. 1.

FOrte per anguſtam tenuis vulpecula rimam
Repſerat in cumeram frumẽti: paſtaq́ rurſus,
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.
Cui muſtela procul: ſi vis, ait, effugere iſtinc,
Macra cauũ repetas arctum, quem macra ſubiſti.
HAC EGO *ſi compellar imagine, cuncta reſigno,*
Nec ſomnum plebis laudo ſatur altilium: nec
Otia diuitijs Arabum liberrima muto.

Ex Commentarijs Lambini huius epimythij paraphraſin tibi adſcribam. Hæc ergo Horatij mens, & ſenſus hic eſt. Non recuſo exemplo vulpis ſaturæ omnia tibi, Mæcenas, reddere, ſi me nuſquam à te recedere velis, &, ſi iubeas me etiã

valetudinis incommodo ſemper apud te hærere. Nec animi tranquillitatem,& ſecuram quietem plebeiorum hominum ideo laudo, quod epularum exquiſitarum, & lautarum ceperit me ſatietas, & quod lautus ſim iam, & copioſus: aliter ſenſurus, ſi egerem, &, ſi amicitias Principũ expertus non eſſem: immò vero, & ſi non eſſem huiuſmodi dapibus, & cœnis expletus, animi ſecuritatem,& ſomnum quietum,ac facilem nihilominus optabilem, atque expetẽdum putarem: nec libertatem otioſam cum ampliſſimis diuitijs commutare vellem. Hactenus ille. Cumeram Feſtus ait eſſe pauperum, graniarum diuitũ. Vas vel ſparteum, vel vimineum, aut fictile, ad vſum populorum aſſeruando frumento vel maximè idoneum. Ex Faërno haud ita diſpar figmentum de vulpe vota mutante adducemus.

Initura vulpes cortem opimam diuitis,
Pingui refertam genere gallinaceo,
Foramen id, qua tranſeundum erat ſibi,
Cupiebat in penetrando dilatarier.
Rurſum inde ſurreptam ore gallinam efferens,
Cum iam imminentem horreret à tergo canem,
Ne ſe ille poſſet inſequi, orabat Deos
Vti foramen redderent, quam anguſtiſſimum.
PRO COMMODIS *mutare vota homines ſolent,*
Sententiam alternante nunc ſpe, nunc metu.

XXV. *Mulier vapulans.*

HOmo iracundo ingenio merulas ab ſe coë-ptas vxori aſſandas cũ daret, aſſa, inquit, nobis hoſce turdos. Cui vxor, merulas apellas turdos? Pertendit maritus eſſe turdos: illa reſponſat, eſſe merulas. Hic eam pugnis operit. Anno vertente cum rediret dies ille, memor verberum mulier, en, ait, hic eſt dies anniuerſarius, quo me ob maledictas merulas pugnis obſeuiſti. Tũ vir, & adhuc negare audes fuiſſe turdos? nondũque cedentem pulſauit iterũ. Ita quotannis eodẽ die cũ ſimiliter loqueretur, ſimiliter vapulabat.

Cum maioribus, & prævalentibus quamuis paruis in rebus non eſt contendendum, ne male prætérea multati abeamus, cum nihil effecerimus. Huc accommodatum illud Eccleſiaſtici c. 4. *Noli reſiſtere contra faciem potentis: nec coneris contra ictum fluuij.* Et rurſum cap. 8. *non litiges cũ homine potente, ne forte incidas in manus illius.*

XXVI. *Canities & Caluitium,* *Ex Calcagnino.*

CAnities, & caluitium in ſenili capite magna altercatione priores ſibi vendicabant. Et canities quidem ſe candidi coloris, qui ſolet eſſe oculis gratiſſimus, prædicabat. Tum hominiafferre exiſtimationem: nec alia de cauſa Numam Regem tam gratum pop. Romano extitiſſe, quã quod in adoleſcentia canuiſſet. Quin vulgò canis ſapientiam tribui. At caluitium ſe terſæ, & lęuigatæ cutis, ſe acuminis, & acrimoniæ teſtem

Idcir-

Idcirco Ludouicum Sfortiam Inſubrum Ducem, virum ſapientiſſimum caluos vndiq; ad obeundā prouinciæ munera collegiſſe. Se Iulio Cæſari vel à prima iuuentute familiarem fuiſſe Tandem caput rancidæ huius contentionis impatiens, apagete, inquit, deliria. Nam plane vterq; veſtrûm inuiſus mihi, dum tu fateris tibi ſupereſſe, quod huic deeſt: tu deeſſe tibi, quod ſupereſt illi (nam canities alumna humoris, cuius indigum eſt caluitium.) Quid vero intereſt, deſit an ſuperfluat mihi, cui ęque vtrumq; dehoneſtamēto eſt?

Curæ, mœrores, metus canitiem accerſunt, & augent. Caneſcere hominum, & equorum eſt propriū, Ariſtotele, & Plinio auctoribus. De canitie diſputat doctiſſimè Hadrian. Iun. de Coma. c. 10. vbi & memorabilis hiſtoria refertur de Hiſpano iuuene, qui capitis dānatus, vna nocte ſupplicij acerba meditatione conſenuit, & prorſus incanuit. Qua re à carcerario ad ſe delata, Rex Ferrandus Catholicus eum abſoluit; dictitans, pœnarum ſatis dediſſe, qui præmaturā ſenectutem florēte adhuc iuuenta induiſſet. Ludouicus Palatin. Rheni, & Bauariæ Dux Mariā Brabantiæ Ducis filiā vxorem de adulterio falsò ſuſpectā, apud Danovverdā præcipiti ira abreptus, obtruncandam dedit; quo facto ſic poſtea doluit, vt vna nocte capillus eius canitiem indueric. Geminum his extat apud Krantz. Metrop. lib. 9. c. 47. de Viperto Racenburgenſi Epiſcopo. Qui cum Romā profectus diſpenſationis cauſſa ſuper ætate,

(erat enim iuuenis) à Pontif. contemptus eſſet, nocte ſequenti totus incanuit. Quo viſo miraculo Pontif. confirmauit eum, & conſecrari iuſſit, quem euidenti ſigno deus à ſe comprobaſſet electum. Encomium caluitij conſcripſit Syneſius, ipſe caluus. Inter alia, Quodcunq; tu accuratè depilatum caput animaduerteris, inquit, ſic habeto, illud vt prudentiæ domicilium, & diuinitatis eſſe templum. Et in calce. Nam ſi quis mœchum, aut cinœdum in tabella fingendum locauerit, crinitum aliquem, aut cincinnatum accipiens, habet quod præceperat. Si philoſophum, aut ſacerdotem locaueris, caluus in tabella ſtabit, auctoritatis, ac grauitatis aliquid præſeferẽs. Verticem calui non illepida tralatione aream Petronius, Martialis, Celſus appellarunt.

XXVII. *Agricola & Ciconia.*

Ex Gabria.

Ἔθνει γεράνων πῆξε τις σπορεὺς πάγην,
Μεθ' ὧν πελαργὸν εἷλεν, ὃς θρηνεῖ μέγα.
Ἔφη δ' ἀρότρευς· ὡς φίλος μὲν εἶ σύ μοι.
Ἀλλ' ἡ πάγη λαβοῦσα σὺν κακοῖς ἔχει.
Gruibus tetendit ruſticus laquei dolum.
Ciconia hoc detenta lugebat graue.
Agricola capta. Amica tu quidem es mihi.
Sed te quoq; iſte cum malis laqueus tenet.

IN AMICVM *amici qui fauebit hoſtibus.*

Habet nonnihil obſcuritatis hoc ἐπιμύθιον. Dicã planius. Amicos adulterinos notat, qui ſuis commodis cum amicorum incommodis dum con-

conſulunt, hoc ſe non poſſe non facere fraudulenter ſimulant.

XXIIX. *Serpens & Agricola.*

Ex eodem.

Ἔθαλπέ τις γεωργὸς ἐν κόλποις ὄφιν
Ὥρᾳ κρύους. ἐπεὶ δὲ θέρμης ᾔσθετο,
Ἔπληξε τὸν θάλψαντα, καὶ κτεῖνε τάχος.
Οὕτω κακοὶ ποιοῦσι τοὺς εὐεργέτας.

Anguem rigentem frigore in ſinu diu
Agricola fouit. is refectis viribus
Calore, vita pupugit auctorem ſua.
HÆC IN *beneficum gratitudo eſt improbi.*

Cum homine ingrato, qui nimirum non reddit beneficium, ſi poteſt, nec gratias agit, nihil ſit deteſtabilius, de eo qui compenſat beneficium maleficio ſentiendum quid erit? M. Tullius subornante M. Antonio Triumuiro interfectus eſt à Popilio Lenate, quem parricidij reum defenderat. Valer. lib. 5. cap. 3. Tales aliquando diuinitus puniri, fabula de ceruo & vite, cui frondes ille depaſtus, à venatoribus viſus & captus eſt, cum antea ſub ea tutus latuiſſet, nos, monet. Prouerb. Serpentem fouet, de eo qui educat improbum filium, & paterna bona dilapidaturum. Aut qui amat ſcortum in exitium ſuum. Aut qui dogma impium, præſentem animæ perniciem fouet, atq; amplectitur. Clytæmeſtra apud Æſchylũ in Agamemnone, intentante ſibi necẽ Oreſte filio. οἲ ἐγὼ τεκοῦσα τόνδ᾽ ὄφιν ἐθρεψάμην, id eſt, Miſera parens ego, iſtunc anguem enutriui. Iun. Cent. 5.

 XXIX. Fe-

XXIX. *Felis caſeum deuorans.*

ELectum caſeum habebat quidam in ciſta reconditum, quem muſculus arrodebat. Ex conſilio igitur amici felem μυολετῆρα, id eſt, murium perniciem, ibi concluſit. Ea muſculo perempto caſeum totum abſumpſit.

Scopus fabulæ, non adhibendos cuſtodes, qui ipſimet egeant cuſtodibus, quique non minus quam hoſtes obeſſe nobis queant. Irridens Cic. M. Antonium, qui ſe vrbis cuſtodem fore dixerat, Terentianum illud in hominem iactat, *O præclarum cuſtodem ouium, vt aiunt, lupum.* Vide Victorium lib.1.cap.21.

XXX. *Canis & Venator.*

Ex Phædro.

ADuerſus omnes fortis veloces feras
Canis, cum domino ſemper feciſſet ſatis,
Languere cœpit annis ingrauantibus.
Aliquando obiectus hiſpidi pugnæ ſuis,
Arripuit aurem, ſed carioſis dentibus
Prædam dimiſit. hic tunc venator dolens
Canem obiurgabat, cui ſenex contra latrans:
Non te deſtituit animus, ſed vires mea;
Quod fuimus laudas, iam damnas quod non ſumus.

HOC CVR, *Filite, ſcripſerim, pulchre vides.*

Ne à iumentis quidem ſeneſcentibus, nedum à bonis, impigris, fidelibusq; ſeruis, iam cum ætate viribus defectis par exigenda opera, cuius ma-

gnam partem bona, & prompta voluntas explere putanda eſt. Gnauiter, ac perdiu laboraſſe in quocunque honeſto laboris genere, ad gratiam cuiq; & præmium, non ad ignominiam, aut pœnam prodeſſe debet. Onerari autem ſupra vires iam fractas, & exhauſtas pœna eſt, immanitas eſt, carnificina eſt. In epimythio Phædrus ſenem ſe iam factum, & ideò labores ſibi minuendos ſubindicat. Equos laboribus exhauſtos, & canes vetulos alere humanitatis eſt. Plutarch. in Catone, legibus, & iuſtitia tantum erga homines vtimur: beneficia, & gratiæ nonnunquam etiam brutis dantur. M. Cato reprehenſus eſt, quod ſenio debilitatos ex familia ſeruos, ne dum boues venundari præceperit, quaſi cõmoditate ſublata, nihil amplius humanitatis ipſis hominibus debeamus: quodque equum, quo conſularis vſus fuerat in Hiſpania, dimiſerit. Humaniter itaque & manſuetè fecerunt, qui iumenta, quorum opera, & labore plurimo, ac diuturno in ædificationibus vſi fuiſſent, libertate donata in paſcua dimiſerunt.

XXXI. *Senex & Mors.*

SEnex quidam mortem, illius rapiendi aduenientẽ rogabat differre paululum, donec teſtamentum conderet, & reliqua ad iter neceſſaria compararet. Cui Mors, cur hactenus toties à ſe admonitus non comparaſſet? Tum ille, nunquam amplius ad id tempus vſque à ſe viſam di-

Contrà Mors. Cum non æquales modò tuos, quorum iam nulli fere reſtant, verum etiam infantes, pueros, iuuenes quotidie rapiebam, nunquid te mortalis tuæ conditionis non admonebam? Cum oculorum aciem hebeſcere, & eos lippire, auditum minui, cæteroſque ſenſus in dies deficere, corpus fatiſcere ſentiebas, nonne tibi me propinquam eſſe ſignificabam? & te admonitum inficiari potes?

Indicat fabula, ſic viuendum, vt lethi memoriam nunquam deponamus, præſertim ſenio confecti. Tum quippe mors ante fores eſt, quæ etiã non ſenes à tergo inſequitur, eoſq; nec opinantes ſæpe cõprehendit. Horatius. Ode 2. lib. 3.

Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoq; tergo.

Audi Plin. lib. 7. cap. 50. Natura verò nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius. Hebeſcũt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam, ac ciborum inſtrumẽta, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur.

Perutile præceptum Senecæ epiſt. 26. *egregia res eſt, mortem condiſcere. Meditare mortem. Qui hoc didicit, ſeruire dedidicit. Supra omnem potentiam eſt: certè extra omnem. Quid ad illum carcer, & cuſtodia, & clauſtra? Liberum oſtium habet. Vna eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ: qui, vt non abijciendus, ita minuendus eſt, vt, ſi quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat,*

diat, quò minus parati ſimus, quod quandoq; faciendum eſt, ſtatim facere.

XXXII. *Pardus & Vulpes.*

Ex Avieno.

DIſtinctus maculis, & pulchro pectore pardus,
Inter conſimiles ibat in arma feras.
Et quod nulla graues variarent terga leones,
Protinus hic miſerum reddidit eſſe genus:
Cætera ſordenti damnans animalia vultu,
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta nouo gaudentem vulpis amictu
Corripit, & vanas approbat eſſe notas.
Vade ait, & picta nimium confide iuuenta,
Dùm mihi conſilium pulchrius eſſe queat.

Plutarchus in conuiuio VII. Sap. retulit hanc fabulam. Nil tam optandum homini, quam vt eo ſit ornatiſſimus, & hominib⁹ ipſis antecellat, quo beſtias antegreditur, id eſt, ratione, mente, cõſilio. Quæ corporis ſunt, in ijs nos ab animãtibus quibuſdã ſuperari, vt perſpicacitate viſus ab aquila, pedũ celeritate à ceruo, robore à boue, pulchritudine à pauone, odoratu à vulture, auditu à talpa, terra obruta, tam denſo atq; ſurdo naturæ elemento, vt ait Plin. lib. 10. cap. 69. ne doleamus. ¶

XXXIII. *Mulier pro viro ſe obituram mentita.*

PVdica mulier, maritiq; amãtiſſima, eius morbo lethali angebatur plurimũ, vt pre illo, & pro illo

illo mori optaret, & hoc eidem polliceretur ſanctè. In hoc ſermone adeſt mors, aſpectu horribili. Ea perterrita, votique pœnitens infit: non ſum ego quem occiſura huc veniſti, non ſum. Ecce tibi, in lectulo cubat quem quæris.

Quis non malit ſibi melius eſſe quam alteri? Terent. Adelph.

Quemquam ne hominem in animo inſtituere, aut
Parare, quod ſit charius, quam ipſe ſibi?

Sat noſti quis fuerit, qui ſe cum magiſtro paratũ eſſe in carcerem, & in mortem ire audacter profitebatur. Cuius tamen ſpiritus vnius ancillulæ interrogatiuncula cõpreſſit, & infregit penitus.

XXXIV. *Ceruus & Equus.*

Ex Horat. ep.10.lib.1.

CEruus equũ pugna melior cõmunibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis, frænumq́; recepit.
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frænum depulit ore.
SIC QVI *pauperiem veritus, potiore metallo*
Libertate caret, dominum vehet improbus, atq;
Seruiet æternùm, quia paruo neſciat vti.

Steſichorum huius fabulæ inuentorem tradit Ariſtoteles 2. Rhetor. Eò fortaſſis L. Scipio Aſiaticus reſpexit. Nam cum aduerſus Antiochum in Aſiam Romani copias traieciſſent, isq; Legatos de pace miſiſſet, reſpondit Scipio, id prius factum oportuiſſe, non poſtquam frænum & ſeſſo-

rem

rem accepiſſet. Videndum cui fidendum. Quomodo Piſiſtratus mira calliditate cuſtodibus corporis ab Athenienſi populo impetratis tyrannidē occupauerit, litteris prodidit Herodotus lib.1. Plutarchus in Solone, Laërt. in eodem, Iuſtinus lib.2. Idem Iuſtinus exponens originē vrbis Maſſiliæ lib. 43. de cane, & catulis eius ſimilem producit apologum. Pretium eſt auſcultare. Mortuo Nanno rege Segobrigiorum, à quo locus acceptus condendæ vrbis fuerat, cum regno filius eius Comanus ſucceſſiſſet, affirmans regulus quidam, quondam finitimis populis Maſſiliam exitio futuram, opprimendamque in ipſo ortu, ne mox validior ipſum obrueret, ſubiecit & hanc fabulam. Canem aliquando fœtu grauidam locum à paſtore precariò petiuiſſe, in quo pareret: quo obtento, iteratò petiuiſſe, vt ſibi educare eodem loco catulos liceret. Ad extremum, adultis catulis fultam domeſtico præſidio proprietatem loci ſibi vindicaſſe.

XXXV. *Coruus ægrotus & Mater.*

SÆpe mihi cogitanti de Antiocho rege Syriæ, qui, vt eſt legere in libris Machab. Iudæos immaniſſimè vexauit; & de Maximino Imperatore, qui Chriſtianos, vt ab Euſebio, & Niceph. relatū eſt, crudeliſſimis edictis, & atrociſſimis cruciatibus funditus delere ſtuduit; quorū vterq; tandē diuina ſe exerente iuſtitia in morbum teterrimū lapſus, cum aliunde nulla ſe auxilij ſpes oſtenderet,

ſtenderet, ille Iudæos, hic Chriſtianos enixiſſimè rogauit, vt pro ſalute ipſorum ſupplicare Deo ſuo ne grauarentur; cogitanti inquam, mihi de his duobus tyrannis ſceleſtiſſimis, in mentem venire ſolet corui illius Æſopici.

Hic cum ægrotaret ad mortem, matrem aſſidentem monebat, ne opploraret ſibi: quin potius ſanitatem ſuam precibus Dijs commendaret. Cui illa (vide quam appoſitè.) O fili, quem Deorum tibi propitium fore confidis, cum nullus ſit, è cuius ara tu de victima non ſis furatus? Audiamus & Faërnum.

Deſtitutus coruus æger mortis in periculo
Anxius matrem rogabat, vt ſalute pro ſua
Vota Dijs concepta ſupplex, & preces effunderet.
Nate mi, quid vota pro te, mater inquit, proderunt,
Qui tibi omnes reddidiſti ſemper infenſos Deos?
Nam quis obſecro eſt eorum, cuius ex altaribus
Exta tu non inuolaris, ſacra non turbaueris?
IMPOTENTER *nocere cæteris qui aſſueuerit,*
Nullus illum ſubleuatum in rebus aduerſis volet.

XXXVI. *Ranæ Taurorum prælia metuentes.*

Ex Phædro.

HVMILES *laborant, vbi potentes diſsident.*
Rana in palude pugnam taurorum intuens,
Heu quanta nobis inſtat pernicies, ait.
Interrogata ab alia cur hoc diceret,

De

De principatu cum illi certarent gregis,
Longeq́; ab illis degerent vitam boues.
Ratio eſt ſeparata, ait, ac diuerſum genus.
Expulſus regno nemorum qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

Diſcordiæ, inimicitiæ, & bella Principum, calamitates ſubditorum ſunt. Antiſthenes cum audiſſet quempiam dicentem, pauperes in bello interire, reſpondit vrbanè, immò plures tunc fiunt. Plin. lib 8. c. 12. ſcribit dracones inſidiari elephãtis, eorumq́; totum ſanguinẽ ebibere. Qui ſiccati concidunt, & dracones inebriati opprimũtur, cõmoriunturq́;. Ita ſæpenumero in bello pars vtraq; & perimit, & perit: damnum dat, & accipit.

XXXVII. *Vulpes, & Gallina, ouis incubans.*

Vlpes ruſtici caſam ingreſſa, gallinam ouis inſidentem reperit; quæ rogabat, ne ſe tũc, vtpote emaciatam planè, occideret: exſpectaret paulum dum pulli prodirent: quos vt teneros abſque labore dentium deuorare poſſet. At ego, inquit vulpes, non eſſem vulpes, ſi nunc eſuriens, ſpe pullorum, qui nondum nati ſunt, paratam eſcam relinquerem. Dentes mihi ſunt validi, & quamuis duriſſimis carnibus commolendis aſſueti. Hæc dicens gallinam deuorauit.

Intellige riſum debere, qui incerta ſpe rerū meliorum, aut maiorum præſentes amittunt. Eodem reſpicit figmētum de cane,& lupo. Dormiebat forte canis ante ædes heri ſui, cum lupus tranſiens in eum inuaſit. Hìc ille deprecari, ac dicere, mi domine lupe, nūc parce quæſo me interimere. Vides certè quam ſim macer: oſſa atque pellis tantùm. Poſt diem tertium herus meus agitabit nuptias. Tum ego egregiè farctus, tibi me hoc eodem loco ſiſtam ad cœnam, multò quam nunc foret, iucundiorem & lautiorem. Credidit lupus,& exacto tempore eodem rediens, canem in editiore loco ædium conſiſtentem aſpiciens monuit, vt ad promiſſa præſtanda deſcenderet. Canis in cachinnum erumpens, tu vero, lupe, inquit, ſi poſthac me ante domum dormiētem offenderis, nuptias ne exſpectes. Docet item aliud: cauendum ſcilicet ſedulò, ne in idem periculum denuò incidamus.

XXXIIX. *Eques & Agricola.*

Ex Gabria.

Ἤτει λαβεῖν ἀγροῖκον ἱππότης λαγών.
Λαβὼν δὲ χερσὶ τοῦτον, ἠρώτα πόσου;
Καὶ πῶλον ἐξήλαυνεν. ἀγροῖκος δ᾽ ἔφη,
Μὴ σπεῦδε, δώρημα τοῦτο προσφέρω.

Leporem petenti militi agricola exhibet:
Attollit ille, luſtrat, & pretium rogat.
Poſt incitato equo fugit. tum ruſticus,
Properare noli: munus hoc dono tibi.

SERVARE *quod nequis, vel vltro abnue.*

Aſtu-

Aſtutæ mentis, animique ſub vulpe latentis eſt, velle exiſtimari neceſſitatem beneficium; & quod vel non retinere, vel recuperare non potueris, id gratis dediſſe. Nequitiæ autem magnæ, pati etiam ob id gratias ſibi vel agi, vel referri. Vide fab. 22. paris propemodum argumenti.

XXXIX: *Capra & furens Leo.*

Ex eodem.

Λέοντα δορκὰς ὡς ἴδεν μεμηνότα,
Ὦ μοῖρα θηρῶν, εἶπεν, ἀθλιωτάτη.
Εἰ σωφρονῶν γε δυσκάθεκτος εἶ λέων,
Πῶς νῦν μανεὶς οὐ μετὰ δακρύων δράσεις;

Vidit furentem cum leonem capra,
Heu quanta clades nunc feras, inquit, manet,
Si nemo ſanum ſuſtinere te queat,
Non mente captus luctuoſa perpetres?

IRAM *refrena plurimum, quantũ potes.*

Homines naturâ, & ingenio ſuo ferociores, & inhumani, ſi irritentur, prorſus intolerandi, & hominis nomine indigni euadunt. Ergo furioſo gladium ne demus. Primum verſiculum vna ſyllaba breuiorem obſerua, & pro eo comicum iſtum accipe. *Furentem cum leonem vidiſſet capra.*

XL: *Coruus & Serpens.*

Ex Fabrno.

N Serpent

SErpentem aprico conſpicatus in loco
Somno grauatum coruus eſcam quaritans
Allapſus, vncis occuparat vnguibus.
Cumq; ille vertens ſe, in q; gyrum colligens
Hunc dente percuſſiſſet irritabili,
Moribundus, & flens coruus, en cuiusmodi
Reperi lucrum, inquit, quo miſer me perdidi.
INFAVSTA *multis ſunt ſua ipſorum lucra.*

Et quidem in primis fœneratoribus, qui dum alios quibus fœnerantur, iuxta Catonis verbum, occidunt, eodem telo animas ſuas iugulant. Multos lucrum reddidiſſe nō luculentos, ſed lutulentos, ait Plautus in Capt. Fabula generatim docet, multos ex cōmodis ſuis percepiſſe ingentia incōmoda: & ex magna fælicitate redactos ad ſummam miſeriam. Exemplo de ſacris ſit vnus Aman in libro Eſther. de profanis Dionyſius Iunior, Syracuſarum tyrannus; qui regno priuatus, Corinthi ludum aperuit, puerosq; litteras, ac muſicam mercede docuit. Iuſtinus libro 21. & prouerb. Dionyſius Corinthi. Seneca lib. de Tranquillitate potentes, & honoratos nominat, quorum beatiſſimus ſtatus cum miſerabili commutatus eſt. Adijcit hoc προφυλακτικόν. In tanta rerum, ſurſum ac deorſum euntium verſatione, ſi non quidquid fieri poteſt, pro futuro habes, das in te vires rebus aduerſis: quas infregit, quiſquis prior vidit. Appoſitè captiuus ille Plautinus.

Sed viden? fortuna humana fingit, artatq; vt lubet.

Me,

Me, qui liber fueram, ſeruum fecit, è ſummo infimum.

Qui imperare inſueram, nunc alterius imperio obſequor.

Ex eadem hac fabula adagium eſt 60. Centuriæ 4. apud Zenobium, Cornix ſcorpium; & epigramma Archiæ 1. Antholog. titulo εἰς Δίκην. Recitat, & interpretatur Auctor Chiliadum, & fabellæ propoſitæ hanc affabulationem tradit, Quadrat in illos, qui parant eos lædere, vnde tantundem mali ſint viciſſim accepturi.

XLII. *Aranea & Hirundo.*

IRaſcebatur aranea hirundini vehementer, quod muſcas alimoniam ſuam ſibi interciperet. Retia igitur in foribus, per quas volitabat, eius capiundæ, ſuſpendebat. Tum hirundo aduolans, retia rapta cum ipſa textrice per aëra ferre. Aranea in aëre pendens, & iam iam ſe perituram videns, exclamare: meritò hoc mihi euenit, quę cum inſecta minuta vix capere ſufficiam, aues magnas arbitrata ſum me poſſe comprehendere.

Metiri ſe quemq; ſuo modulo ac pede verum eſt, inquit Horat. epiſt. 7. lib. 1. Ne viribus noſtris nimium fidamus: neúe vltra conditionem noſtram nos efferamus: aut adulatorum vocibus creduli, nobis ſtulte tribuamus quæ non habemus. Phaethontis, & Icari recordemur, quorum alter cur-

rum Solis conſcendere, ac regere: alter cera iun-
ctis pennis mare transuolare auſus cum eſſet,
vterque vitam in vndis, è ſublimi decidens per-
didit. Metam. 2. & 8.

XLII. *Pauo & Iuno.*

Ex Phædro.

PAuo ad Iunonem venit, indignè ferens
Cantus Luſciniæ quod ſibi non tribueret:
Illam eſſe cunctis auibus admirabilem:
Se derideri ſimul ac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine.
Nitor ſmaragdi præfulget collo tuo,
Pictisq; plumis gemmeam caudam explicas.
Quò mî, inquit, mutam ſpeciem, ſi vincor ſono?
Fatorum arbitrio partes vobis ſunt datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, luſciniæ melos,
Augurium coruo, læua cornici omina,
Omnes quæ propriis ſunt contentæ vocibus.
NOLI *affectare quod tibi non eſt datum,*
Deluſa ne ſpes ad querelam recidat.

Germanæ fabulæ hæc, & 18. de camelo, &
Ioue. In bonis quæ nobis vel à Deo, vel à natura
obueniunt, cum gratiarum actione, & citra inul-
dentiam aduerſus alios acquieſcendum eſt. Sal-
uianus de vero iudicio, & prouidentia lib. 1. Ge-
nerale fermè eſt omni homini, vt Deo ingratus
ſit: inſitoque hoc, & quaſi natiuo malo ſe cuncti
inuicem vincant, vt beneficijs Dei derogant, ne
debitores ſe eſſe cognoſcant.

XLIII. *Aſinus & herus.*

ASinus fugitiuus in ſyluam veniens, illic leonis exuuias reperit, quibus coopertus in paſcua procedit, greges & armenta territat, & fugat. Quærit aſinum ſuum dominus. Cui indaganti occurrens, cum rugitu ementito in illum incurrit. Tum herus prehenſis quæ extabant auribus, alios licet, inquit, fallas, ego te, aſelle, noui optimè.

Narratur fuſius ab Adagiographo ex Luciani Piſcatore, Prouerb. Leonis exuuium me induitis. Vide apud eundem. Simia in purpura. Haud omnes qui ſe poëtas laureatos appellant ſunt poëtæ. Non omnes qui geſtant torques aureos ſunt nobiles. Non omnes virgines, quæ ſerta gerunt, & paſſo ſunt capillo. Non omnes doctores, quibus imponitur epomis. Non omnes Imperatores, qui lauro redimiti incedunt. Non omnes Epiſcopi qui mitrati. Virtutis, & excellentiæ inſignia multi etiam ſine virtute, & excellentia, & immeritò conſequuntur.

XLIV. *Aſinus, Simius, Talpa.*

Ex Faerno.

ASinum querentem quod careret cornibus,
Et ſimium quod cauda honore, hoc arguit
Sermone talpa. Qui poteſtis hanc meam
Miſeriam intuentes cæcitatem conqueri?
ALIENA *ſi æſtimaris infortunia,*

Tunc æquiore mente perferes tua.

Facit & huc apologus de aſino, & equo productus antea num. 3. Seneca 3. de ira. Æquiore animo filium in angulo fleuit, qui vidit acerba funera etiam ex regia duci. Duo ſunt enim, quæ in malis minuunt ægritudinem; eadem, aut ſimilia patientium ſocietas: & grauiora patientium conſideratio. Qui autem non ſit in parte aliqua miſer, nemo reperitur. Et minus dolet ſpoliari pecunia, ſi videas alios ſpoliari vita. Thales Mileſius interrogatur quo pacto quis facillimè ferret infortunium: ſi quis, inquit, videat hoſtes maioribus malis obnoxios.

XLV. *Tubicen & hoſtes:*

PVniendi ſunt vtique, & grauius etiam, qui cum ipſi iniuriam nō inferant, nec ſcelus perpetrent, alijs tamen ad iniuriam inferendam, & ſcelus deſignandum hortatores, fautores, auctoreſque ſeſe præbere nō metuunt. Tales ſunt item qui in Eccleſia profana, & impia dogmata diſſeminarunt: ac foris pugnas, & funera, domi rixas, odia mutua, & diſſidia implacabilia inter ciues, amicos, fratres, propinquos induxerunt. Cui rei quadrat hic apologus, quem attexo.

Tubicen ære ſuo viros ciebat, cantuq; Martem accendebat, vt ſcripſit de Miſeno Virgil. Captus igitur ab hoſtibus obſecrabat, ne vitam ſibi adimerent, cum pugnare non conſueſſet, prætérque tubam aliud nihil poſſideret. Tum il-

li, tanto magis te mactabimus, peſſime, quod cum ipſe prælio abſtineas, alios nihilominus ad prœliandum contra nos excitas.

Confecit ex hoc apologo Alciat. Emblema cum CLXXIII. vt ex alijs item alia. Quorſum ſpectet, eius inquam ἐπιμύθιον. Claud. Minos docte & copioſe diſſerit.

XLVI. *Apes & Fuci, Veſpa iudice.*

Ex Phædro.

Apes in alta quercu fecerant fauos.
Hos fuci inertes eſſe dicebant ſuos.
Lis ad forum deducta eſt Veſpa iudice,
Quæ genus vtrumq; noſſet cum pulcherrime,
Legem duabus hanc propoſuit partibus.
Non inconueniens corpus, & par eſt color,
In dubium plane res vt meritò venerit.
Sed ne relligio peccet imprudens mea,
Alueos accipite, & ceris opus infundite,
Vt ex ſapore mellis, & forma faui,
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recuſant: apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit ſententiam,
Apertum eſt quis non poſſit, aut quis fecerit.
Quapropter apibus fructum reſtituo ſuum.]
HANC *præteriſſem fabulam ſilentio,*
Si pactam fuci non recuſaſſent fidem.

Ignauum pecus fuci alieno labore paſcuntur. Quod faciunt quodammodo, qui inertes ipſi alienorum factorum gloriam ad ſe transferre

nituntur, ſimulantes ſe ſcire quæ non didicerũt, & poſſe quæ non poſſunt. Vide Prouerb. Hic Rhodus, hic ſaltus. Facta dictis ad fidem potiora.

XLVII. *Mulier virum diuerberans.*

VIrilis animi fœmina maritum imbellem, & meticuloſum plagis affecerat, quod vnum de pullis gallinaceis, quos abiens ei ſeruandos commendauerat, miluius abſtuliſſet. Quamobrem abſente rurſus vxore, ne quem pullum auis rapaciſſima poſſet abripere, vniuerſos eodem filo colligatos diligentius ſeruabat. Sed cum improuiſò miluius irruens vnum vnguibus correptum auferre conaretur, factum vt omnes ſimul per aërem portaret. Homo infœlix, recordatus ob vnicum pullum ſe à coniuge male habitum, longè grauiora permetuere. Quare mori, quam mulieris ſuæ iram denuo experiri prœoptauit. Ficus melle, & aromatibus optimè conditas vaſculo illa indiderat, marito, à cuius gula formidabat, præmonito, ne quid inde lingeret, quia præſens illic venenum lateret. Is mortis cupiens, ficus abligurriuit vniuerſas. Regreſſa domum vxor, cum pullos omnes à miluio ablatos audiuiſſet, virum, vt cuſtodem negligentiſſimum fuſtibus coronare decernebat, iamque fuſtem manu tenebat. Cui fatuus, ah noli, vxor mea, noli me iam moriturum verberare; quandoquidem quantum quantum erat in vaſculo veneni, id comedi,

medi, vt tanti delicti pœnas tibi perſoluerem. Hìc mulier in riſum effuſa, ſtupido ignouit.

Inſipientes, & ſtolidi nec verbis, nec verberibus ad ſanitatem mentis reducuntur. *Et plus proficit vna correptio apud ſapientem, quam centum plagæ apud ſtultum.* Prouerb.17. Notantur item hac fabella, qui contra naturæ morem ſubſunt mulieri, cuius caput eſſe debét. Democritus, ὑπὸ γυναικὸς ἄρχεσθαι, ὕβρις ἀνδρὶ ἐσχάτη. Imperium muliebre viro ſummo eſt dedecori. *Perque illam* (ait in Aſinaria hero ſeruus) *quam tu metuis vxorem tuam.* Sed faciunt pleriq;, quod de ſe ibidem confitetur ſenex, *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Sic item Menander.

ὅταν πένης ὤν, καὶ γαμεῖν τις ἑλόμενος
τὰ μετὰ γυναικὸς ἐπιδέχεται χρήματα,
αὑτὸν δίδωσι, οὐκ ἐκείνην λαμβάνει.

Quum pauper aliquis contrahendo nuptias,
Quas vxor affert, accipit pecunias,
Se ſe dat ipſe potius, illam quam accipit.

XLVIII. *Ruſticus & Hercules.*

Ex Faerno.

Via in lutoſa pregraue hæſerat plauſtrum
Merſis ad vſque axem rotis.
Nihil hìc bubulcus prouidere, nec ſeſe
Opi ferendæ accingere.
Tandem ſedens, ſuamq; conquerens ſortem,
Magnum inuocabat Herculem.

Cui nube ſubtus candida Deus præſto
Fuit, & monere hac inſtitit.
Age, inquit, & tu enitere ipſe per te,
Atq; id quod in te eſt expedi.
Stimulo boues, humeriſq; promone planſtrum,
Tum demum agentem gnauiter
Vocatus adiuuabo, viq; cæleſti
Humana vota proſequar.
VIGILANDO, *agendo, prouidendo quod poſſis.*
Paratur è cælo fauor.

Adagium eſt, Manum admouenti, fortuna eſt imploranda. Eo erudimur, ita diuino fidendum auxilio, vt officium noſtrum non prætermittamus: ſed etiam ipſi noſmet iuuare pro virili noſtra annitamur. Æſchylus in Perſis.

Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός.

Adeſſe gaudet, ſed laboranti, Deus.

Apud Zenob. Cent. 5. prouerb. eſt 93. σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. Minerua auxiliante manum etiam admoue. Ductum à fœminis, quæ occupatæ lanificio, cui etiam præſidebat, Mineruæ opem implorabant, &c. Lege cætera, & annotat. Schotti noſtri.

XLIX. *Aſinus & Aper.*

Ex eodem.

MAgnanimū cum ſegnis aprum rideret aſellus,
Ille premens iram, & ſedata mente renidens.
Perge, inquit, nam te tua tutum ignauia præſtat.
Nec tu vnquā tantū potis es me inceſſere probris

Tam

Tam vili vt digner generoſum ſanguine dētem,
Nam quãuis noxam meritus, dignusq́; malo tu,
Noſtra indigna tamē ſe ſe huc demittere virtus.
Virtutem *ne forte tuam contemptior hoſtis*
Inquinet, vltrices moderare potentior iras.

Seneca 2. de Ira, cap. 32. Dulce eſt dolorem reddere. Minimè. Non enim vt in beneficijs honeſtum eſt merita meritis repenſare: ita iniurias iniurijs. Illic vinci turpe eſt, hìc vincere. Qui dolorem regerit, tantùm excuſatius peccat. M. Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens: quis enim illi ſciens faceret iniuriam? Poſtea ſatisfacienti Cato, non memini, inquit, percuſſum me. Melius putauit non agnoſcere, quam vindicare. Magni animi eſt iniurias deſpicere. Vltionis contumelioſiſſimũ genus eſt, non eſſe viſum dignum ex quo peteretur vltio. Sic ille. Adrianus Imperator quos in priuata vita inimicos habuit. Imperator tantùm neglexit, vt vni, quem capitalem habuerat, diceret, euaſiſti. Spartian. Chriſtiani beneficia iubemur pro maleficijs rependere.

L. *Aſinus per feneſtram introſpiciens.*

In adagio περὶ ὄνου παρακύψεως, De aſini proſpectu, Scriptor Chiliadum profert narratiunculam fabellæ ſimilem, & torquendam in eos, qui pudēdo titulo quempiam calumniantur: aut de rebus priuatis in ius vocant. In quos etiam qua-

drabunt illa, De aſini vmbra, De lana caprina, De fumo diſceptantes,&c.

Figulus quidam varias auium formas finxerat, easque in officina collocatas, & diſpoſitas habebat. At aſinus quidam, inobſeruantius agaſone ſequente, inſerto per officinæ feneſtellam capite pariter & aues, & reliqua vaſa deiecit, comminuitque. Is cuius erat officina agaſoni diem dicit. Rogatus qua nam de cauſa litem moueret, de aſini proſpectu inquit.

LI. *Vulpes, Leo, Aſinus.*

LEoni famulabatur vulpes, ac de prædæ illius reliquijs victitabat. Cuius corpus cum annorum pondere iam fatiſceret, ac marceret, victum pro eo vulpes quærebat. Aliquando familiariter, & blandè ex eo quęſiuit, vnde illi tanta macies, & imbecillitas membrorum? Ex intimis doloribus, inquit, qui niſi per cor, & auriculas aſininas curari nequeant. Cœpit vulpes hac de re cogitare diligentius. Iuxta aquam inambulans videt pannificem, qui aſinum pannis, quos lauaret, adhuc onuſtum, in proxima ſylua paſcẽtem reliquerat. Ad eum vulpes accedens, amicè ſalutat, &, mi frater, vt te macrum, & laſſum, & debilem viribus, atque tergo inuenio? Hic aſinus importunitatem, & tenacitatem heri ſui accuſare, qui pabulum præbeat tenuiſſime, cum onera imponat grauiſſima. Equidem ego, ait vulpes, tantæ fami, tantiſq; laboribus penitus ſuc-

cum-

cumberem. Tum aſinus, quid agam miſer? locum mutare poſſim, ſtatum & conditionem nũquam. Aſinum enim ſemper oportet eſſe aſinum, hoc eſt, laboriferum animal. Si meo conſilio parens me ſequare, vulpes ſuſcipit, faxo bonam herbam, aquam fluentem reperias, vbi prę-ter genus tuum nemo verſatur. Lætiſſimus hoc promiſſo aſinus, vulpem cupidè ſequitur. Vt ventum eſt ad leonem, inuaſiſſet ille mox hoſpitem, ni imbecillitas obſtitiſſet. Fugit repente perculſus aſinus. Irata vulpes ſciſcitatur ex leone, volens, an nolens quod offerebat dimiſerit. Hic ſecum dubitare leo quid reſpondeat. Si dicat præ infirmitate inuolare non potuiſſe, vulpem famulatui ſuo nuntium remiſſuram, ac diſceſſuram: ſin aſinum ſponte ſua fugiſſe, mendacem ſe habitum iri intelligebat. Ergo, ſi aſinum mihi reduxeris, inquit, reſponſum dabo. Illa, perdifficile negotium, quandoquidem fraudem meam ſemel eſt expertus. Tamen tentabo. Deonerauerat interea pannifex aſinum, & in ſyluam ad paſtum remiſerat. Qui vulpem accedentem cernens, in malam crucem, exclamat, quid iterum venis? Venio me tibi purgatum. Quidquid tibi factum paulo ante, bona mente factum ſcito, ſecus quam exiſtimas. Si paululum manſiſſes, impenſius ab aſinis tuis honorari te vidiſſes. Idque adhuc fiet, ſi eos mecum adire dignaberis. Itaque aſinus, qui antea leonem non viderat, ſed neſcio quid olfecerat mali, credulus impoſtricē

ſequi-

ſequitur. Conſpicit accedentem leo: irruit, latus eius dilacerat, vulpique mandat, vt mortuum cuſtodiat, dum ſe viuo in flumine abluerit. Interim vulpes cor, & aures occiſi depaſcitur. Redit leo: vbi ea ſint quærit. Arridens vulpes, cogitare potes, mi domine, ſi hic aſellus cor, & aures habuiſſet quas debuit, technam meam animaduertens, ad diſcrimen, quod vix euaſerat, ſtultus non rediſſet. Ex Germanico.

Facilè vbique viam reperit aſtutia, & ex impeditis ſe ſe expedire nouit expeditiſſimè.

LII. *Noctua & Aues.*

CVm noctua tempore longo auibus pro Aquila ſumma cura, & diligentia præfuiſſet, cœperunt illæ imperium eius ob mores reconditos, vitamque triſtiorem indignari, & reginam de comitijs indicendis, vicariaque noua deligẽda rogare ſuppliciter. Verba in conuentu fecit regulus, ſuperbè ſanè, & arroganter, melancholiam noctuæ, & in conſilijs capiundis, rebusque decernendis tarditatem vehementius exagitans, & præfectum expoſcens, qui & reginæ ipſi, & toti Reipub. honori potius, quam infamiæ, & vtilitati quam detrimento eſſet. Audita ſuorum querimonia Aquila de ſententia conſiliariorum, qui erant pauones, aliæque volucres grandiores, accipitrem vt robuſto pectore, valentem viſu, acutis vnguibus, egregia demum perſona, & ingenti animo præcellentem vicarium creat;

&

& huncilli, eiusque poſteritati magiſtratum ſeriò mandat. Aues gaudio exilire, inter ſe gratulari, dona offerre : contrà Noctuam conuicijs inſectari, eamque, vbi obuia fieret, auerſari, ac perſequi infeſtis animis. Cæterùm gaudia iſta, gratulationesque de nouo magiſtratu paulo poſt in gemitus, maledicta, & odia conuerſa ſunt, & expetita rurſus magnopere præfectura Noctuæ. Accipiter enim non ſolum minorũ auium querelas aduerſus cuculum, & niſum, earum oua corrumpentes, & pullos deuorantes contemnebat; ſed ipſe quoque eaſdem ipſas crudeliter deuorabat. Quocirca vel procul viſus, vel nominatus duntaxat, horrorem illis incutiebat. Et quanquam grandiores alites tyrannidis eius expertes viuebant, tamen vnà cum minoribus, abdicari eum honore iſtoc, & ad priuatorum conditionem redigi nimiopere cupiebant. Verùm id iam ſerum erat, & fieri amplius non poterat. Ex German.

In regnis ac rebusp. adminiſtrandis nonnunquam honoribus nullis funguntur, qui ad functiones propter conſilium, quo valent, prudentiamque aptiſſimi eſſent. Aſſumuntur autẽ quos vel nobilitas, vel diuitiæ, vel propinquitas, vel clandeſtinæ largitiones, vel quorundam fauor commendat, etiam rudes, imperiti, ac ſimplices. Verè Plaut. in Capt, *Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent!* Cui conſonat ꝙ ex Cæcilio in Tuſc. affert Cic. Sæpe etiam ſub ſordido pallio eſt ſapientia.

LIII. *Muris Ruſtici, & Vrbani inuitationes mutuæ.*

Ex Horat. Sat. 6. lib. 2.

Vitam in te tenui, ſed liberam, omniq; timore, ac ſollicitudine vacantem, delicatæ, ac ſollicitæ in magnis diuitijs, & abundatia voluptatum anteponendam eſſe. Quod genus argumenti familiare eſt poëtis. Nam cum Horatius in eo ſæpius, tùm præterea Virgilius, Ouidius, & alij verſati ſunt. Nunc verſibus attende ſis animum, & quam vterque mus hoſpitem ſuum pro copia benignè, pro animo beneuolè, & amicè tractet, conſidera, eorumq; exemplo hoſpitalitatem diſce: ſicut ab alijs animantibus μυθολογικῶς multa laudabilia hactenus ſi voluiſti, diſcere potuiſti.

Ruſticus vrbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cauo, veterem vetus hoſpes amicum,
Aſper, & attentus quæſitis, vt tamen arctum
Solueret hoſpitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepoſiti ciceris, nec longæ inuidit auenæ:
Aridum & ore ferens acinum, ſemeſaq; lardi
Fruſta dedit, cupiens varia faſtidia cœna
Vincere tangentis malè ſingula dente ſuperbo,
Cum pater ipſe domus, palea porrectus in horna,
Eſſet ador, loliumq;, dapis meliora relinquens.
Tandem vrbanus ad hunc, quid te iuuat, inquit, amice

Prærupti

Prærupti nemoris patientem viuere dorſo ?
Vis tu homines, vrbemq́; feris præponere ſyluis ?
Carpe viam, mihi crede, comes: terreſtria quando
Mortales animas viuunt ſortita: neq; vlla eſt
Aut magno, aut paruo lethi fuga. Quò, bone, circa
Dum licet, in rebus iucundis viue beatus:
Viue memor quam ſis æui breuis. Hæc vbi dicta
Agreſtem pepulere, domo leuis exilit, inde
Ambo propoſitum peragunt iter, vrbis auentes
Mœnia nocturni ſubrepere, iamq́; tenebat
Nox medium cæli ſpatium, cum ponit vterq;
In locuplete domo veſtigia: rubro vbi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos:
Multáq; de magna ſupereſſent fercula cœna,
Quæ procul extructis inerant heſterna caniſtris.
Ergo vbi purpurea porrectum in veſte locauit
Agreſtem: veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,
Continuatq́; dapes: nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata ſorte, boniſq́;
Rebus agit lætum conuiuam: cum ſubitò ingens
Valuarum ſtrepitus lectis excuſſit vtrumq;.
Currere per totum pauidi conclaue, magisq́;
Exanimes trepidare, ſimul domus alta moloſſis
Perſonuit canibus. Tum ruſticus, Haud mihi vita
Eſt opus hac, ait: &, valeas, me ſylua cauusq́;
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur eruo.

LIV. *Duo Fratres, alter profuſus nepos, alter cupidus literarum.*

Ex Iouiano Pontano de Serm. lib. 5.

NArrare quoque ſolita eſt mihi puero Chriſtiana mater, cum noctu adoleſcentulus ad lumen lectitarē; extitiſſe patremfamilias, cui gemini eſſent filij; morientemq; illum tum ſuppellectilem multā ipſis reliquiſſe, tum olei non mediocrem copiam, quo nocturna vterentur ad opera, tenebrasq; euigilandas. Alterum itaque ex ijs, conuiuijs ac cœnis oleum conſumpſiſſe, ex eoq; breui ad inopiam redactum: alterum verò dediſſe operam literis, oleoq; in nocturnis lectionibus vſus quod eſſet, perueniſſe ex eo ad ſummas diuitias. Cœptum igitur cantari per vrbem de vtroque huiuſcemodi carmen. Hic oleum, & ſe perdit, dum ad candelam cœnitat. Ille oleum, & ſe ditat, dum ad lucernam lectitat.

Reducit mihi perelegans hæc fabella in memoriam, quod de Demoſthene ſcriptum extat. Interrogatum quo pacto tantā ſibi eloquentiam comparaſſet, reſpondiſſe, plus olei, quam vini conſumpſi. Quanquam à Deo eſt omnis ſapientia, maioribus tamen vigilijs, ac laboribus humana, quam diuina acquiritur. *Si quis autem veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Iacobi. cap. 1.*

LV. *Auarus, & Mus.*

HOmo auarus in ædibus ſuis protepentem conſpicatus muſculum, veritusq; ne magna ſcilicet impenſa tam grande animal, nullo ſuo emo-

emolumento alere cogeretur, quid tu bone mus hîc agis? inquit. Tum tenacitatis, & ſordiũ eius conſcius ſubridens, mitte timorẽ: nam ego domicilium hîc tantummodo, non cibum quæro.

Fabella iſta eſt ex epigrammate Lucillij græcè ſumpta eſt, habeturq; Antholog. lib. 2. Ecce tibi verſus.

Μῦν ἀσκληπιάδης ὁ φιλάργυρος εἶδεν ἐν οἴκῳ,
Καὶ τί ποιεῖς φησιν, φίλτατε μῦ, παρ' ἐμοί;
ἡδὺ δὲ μῦς γελάσας, μηδὲν φίλε, φησὶ, φοβηθῇς,
οὐχὶ τροφῆς παρὰ σοὶ χρήζομεν, ἀλλὰ μόνης.

Nos ſic vertebamus:

Parco Aſclepiadæ mus eſt vbi viſus in æde,
Mox ait, hic bone mus quid tibi quæſo rei?
Cum mus ſubridens, pone, inquit, amice timorẽ:
Hoſpitium quæro hic, non alimenta mihi.

Quam ſit ſollicita hominis auari vita, luculentiſſime demõſtrat in Euclione ſuo Plautus Aulularia. Iuuenal. Sat. 14.

Tantis parta malis cura maiore, metuq;
Seruantur; miſera eſt magni cuſtodia cenſus.

LVI. *Vulpes, & Gallus.*

Ex Poggio Florentino.

Forte gallo auctore, atque duce arborem excelſam gallinæ conſcenderant, cum famelica vulpes accedens, gallum placidè ſalutat, & quid tu in ſublimi agis? an tu hæc noua, & ſalutifera à nobis nondum accepiſti? Neutiquam, inquit gallus. Sed tu quæ ſint agedum expone,

Volo te participem facere magnæ lætitię, ait vulpes. Actus eſt conuentus omnium animantium, in eoque factum decretum de concordia, & pace inter ea ſempiterna: ita vt deinceps nihil cuiquam ab alio inſidiarum, iniuriarumque timendum ſit. Quamobrem cum vxoribus, & filiabus tuis deſcendas licet, vt hoc gaudium communiter agitemus. Senſit fraudem gallus, & artem arte ludens, lætum, ait, ac mihi acceptum affers nuntium. Quibus dictis ſurrigens collum, ac ſe ſe altius in pedes extollens, proſpectumq; longiorem cum admiratione petens, quærenti quid videret, duos inquit canes bene magnos, patulo rictu aduentantes conſpicio. Hîc vulpes, valete vos: mihi à fuga petenda eſt ſalus antequam adſint. Ac mox ſe in pedes conijcit. Tum gallus, cur hinc fugitas? aut in ſumma pace quid metuis? conuerſa vulpes, aſt mihi non conſtat, vtrum iſti canes præſentes affuerint, & ſenatus conſultum audiuerint.

LVII. *Pica.*

PIcam alebat ciuis honeſtus, doctam voces humanas imitari. Ea cum frequenter audiſſet famulũ domini vinum quatuor denarijs vendibile promulgantem, ſimiliter proclamare cõſueuerat. Accidit vt nocte perfrigida vites parturientes à pruina grauiter læderentur, ita, vt luce ſequenti duobus denarijs vini pretium creſceret. Aſt pica, vt añtea, quatuor denarios duntaxat

xat nominabat. Vnde frequens ad ædes domini, vinum quatuor denarijs empturientium cõcurſus, quod alibi ſex denarijs veniret: cœperunq; iurgijs laceſſere cauponem, qui venundare vinum recuſaret, quo pretio pica indicaſſet. Iratus ille picam in viam publicam, atque in lutum medium proijcit. Ea cum ſe ſuſtuliſſet, porcum cœno inquinatiſſimum videt obuium. Mox eum compellans, tu ne etiam, inquit, vinum quatuor denarijs promulgaſti?

Non homo homini tantum, verum etiam animantes cuiusq; generis interdum iucundam ridendi materiam præbent.

LVIII. *Podagræ hoſpitium conueniens,*

VErbis Iouianis referam fabellam de podagra ſcitiſſimam, ſi prius quæ præcedunt in medium attulero, ex libro 5. de Serm. Fabellarum vero enarrationes, inquit, vniuerſaq, eorum expoſitio, res ipſa, cuius gratia fabellæ ſunt inuentæ, hortari nos debet, vt cultæ ſint, elegantes, venuſtæ, concinnæ, verbis maximè accommodatis, tum voce, ac vultu per quam cõuenientib9.

Narrare ſolebat auia mea Leonarda, Podagram aliquando ſub mulierculæ ſpecie peregrinanté in ruſculum diuertiſſe, eamq; vbi vidiſſet caſulas inertiſſimè ædificatas, obſitas araneis, ſqualidas ſitu, atque illuuie marcidas, conuerſam ad pediſequas dixiſſe, apagete à me hoſpitium

hoc ſentum, informe, fœtidum, fumoſum, tetrũ; apagete diuerſorium, in quo quod intuearis præter marras, bidentes, raſtros, aggreſtiumq; ferramentorũ diuerſa genera, aut boum, aſinorumq; ſtercoramenta, ſiue ſuum excrementa atque capellarum nihil eſt. Itaq; valere vos iubeo, & villas, & ſegetes tam ſordentes. Vrbs nobis, & otia ſunt quærenda: vrbs quæ otium foueat: otia quę vrbana ſint, atq; delicioſa; illatamq; ad primum vrbis ingreſſum in fabri ferrarij officinam dixiſſe. Nil mihi cum incude & malleo. In domum inde aliquanto ab ea remotiorem, cuius ante veſtibulum choreæ agitabantur, atque conuiuia, ibique interrogaſſe, cuius nam ædes eæ eſſent. Reſponſum illico, otij eſſe, inhabitarique ab hominibus deſidioſis, ſomnoque, & vino marcentibus. E veſtigio itaque domum ingreſſam, vultuque quam maximè hilari dixiſſe, hæc domus, hæc patria eſt. Cumque ſollicitudinem, ac laborem ante fores videret ſatagentes, iuſſiſſe procul eos abigi, & curas inde exulare, cumpriſque ſobrietatem, atque abſtinentiam. Hæc auia ipſa nobis pueris referebat, & vultu, & voce, & membrorum aſſenſu, qualis fabulantem deceret, ad puerilem animum ad bonos mores, ad negotia, laboresque inuitandum.

LIX. *Simiæ.*

EX Hermogene auctore nobili hæc profertur fabula. Viderant ſimię vrbes, & vtilitatem

tem animaduerterant, quod tecta arcerent pluuias, & frigora, parietes excluderent fures, mœnia feras, & hoſtes. Quædam igitur ſimię, quibus vrbana vita placuerat, conuocari ſui generis cœtum iubent. Ibique in conuentu, vt natura ſimiarum eſt ineptè imitatrix, ſuadent vrbem cõdi humano more, & vtilitates commemorant. Tutas ſe fore aduerſus leones, & lupos mœnib', & aduerſus imbres, & frigora tectis, & parietibus. Facturas ſe etiam hortos in vrbibus, quorũ fructibus victitent: ac habituras ſe narrant hominum more quotidianos congreſſus, theatra, ludos: hanc vitæ vrbanæ vtilitatem hortantur transferri etiam ad ſuum genus. Placet nouum conſilium magnæ parti ſimiarum. Quanquam autem commemoratio facilis erat, tamen cum materia cædenda eſſet ad domos ædificandas, & ſaltus magna frequentia ingrediendi, hic primum animaduerterunt multis modis impediri nouum conſilium.

Hac fabella vti concionator quiſpiã poterit, cum illa Chriſti Saluatoris, explanabit, *Quis ex vobis volens turrim ædificare, &c*, & quod proximè ſequitur. *Aut quis rex iturus cõmittere bellũ aduerſus aliũ regem, &c.* Item qui locum illũ Horatij ex arte poëtica tractandum aſſumet de argumento pro ingenio, & facultate deligendo.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunq; recepit Apollo:
Me, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus.

Gabrias interprete Lambino ſic.

Plumis alienis olim amictus graculus
Præſtare ſe iactabat aliis volucribus.
Sed prima hirundo quod dederat illi abſtulit:
Quam omnes ſecutæ, ſicq; nudus reſtitit.

LXI. *Luna & mater eius.*

PLutarchus in conuiuio VII. Sapientum volens clarius oſtendere hominibus inconſtantibus, mutabilibus, deniq; inſipientibus, & ineptis à lege certam menſurā actionum, atque operum præſcribi non poſſe, Cleobulum hunc apologū commemorantem introducit. Luna aliquãdo à matre petijt, vt ſibi tunicula congruentem texeret. Reſpondit mater. Quî poſſim verò, cum te iam plenam, mox in cornua attenuatam, rurſum dimidio orbe videam? Sic etiam homini fatuo, & vitioſo nulla menſura opus eſt. Neceſſitates enim eius ſubiude cupiditatibus, & fortuitis caſibus mutantur, ſuntq; ſimiles Æſopico cani, quem is ait hieme ſe ſe contrahentem ob frigus, ac conuoluentem cogitare de domo ſibi paranda: æſtate autem, quum porrectus dormiat, magnum ſibi videri, & putare neq; ſibi neceſſariā, & magni laboris opus eſſe tantā conſtruere domum.

quit, ibi ſcio multos paſcere anſeres: vt antequam moriar, ocelos meos eorum ſaltem aſpectu delectare queam.

Epimythion fabellæ huius hôc habet. Mortales non paucos cum ad finem venitur vitæ, pro eo vt deplorent ſcelera ſua, & à Deo veniam flagitent, cogitare de his, quę viuentes non vt debuerunt dilexerunt. Huic ſaccos auri plenos in conſpectû ponere oportet. Illi amores ſuos adducere. Alij demum voluptatem aliam, & conſuetam exhibere, vt cum gaudio ſcilicet emigrēt in loca pallida, horrida, tenebris obſita.

LXIV. *Deus natura beneficentiſſimus.*

Ex Philone.

FAbulam quandam nec inſulſam, nec inutilem affert Hebræorum doctiſſimus, & eloquentiſſimus Philo. lib. de plant. Noe. Abſoluto iam mundi opificio Deus quæſiuit ex Propheta quodam, an deſideraret quippiam in terra, aqua, aere, cælo denique nondum conditum. Reſpondit ille, eſſe quidem perfecta, & plena omnia: vnum tamen ſe requirere, laudatorē horum ſermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum, obſcuriſſimumque videtur non tam laudet, quam enarret. Ipſam enim enarrationē operum Dei, eſſe laudem ſufficientiſſimam, nullo egentem auctario, quando ipſa infucata veritas ſit pro laude cumulatiſſima. Placuit reſponſio.

Nec

Nec multo poſt exorta eſt virgo, canora, & muſica, nomine Mnemoſyne (memoria.) Eſt autem hoc ibidem ἐπιμύθιον.

Nihil Deo tam proprium, quam benefacere: nihil item creaturæ tam proprium eſſe oportere, quam meminiſſe, & gratias agere, cum præterea rependere nihil valeat.

LXV. *Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra.*

Virtus cum ſeſe cælo tenus remigio alarum extuliſſet, veſtemque minus tenaci fibula colligaſſet, defluxit ea, & in terram decidit. Eam in rem intentum vitium, & iſtius prædæ potiundæ percupidum, extemplò illam, vt ſibi miſſam excepit, eamque induit. Quare iam paſſim hoc tam ſcito, & eleganti indumento coopertum prodit, ſuperbit, & inſultat, & fallit mortales innumeros, quibus oculi tam perſpicaces non ſunt, vt curuo rectum dignoſcant. *Decipimur ſpecie recti.* Vide Orat. Catonis apud Salluſt. in Coniurat. Catilin.

SYNTAGMA TERTIVM.

APOPHTHEGMATA.

Præfa-

Præfatio.

APOPHTHEGMATA *eruditi ſic definiunt: breuiter, & ſententioſè dictũ: ſeu, quod eodem recidit, paucis verbis comprehẽſa ſententia. Huic definitioni addendum putarim:* ex occaſione quapiam pronunciatã. *Nempe vt hiſtoricum quippiam adiunctum habeat, aut ſubintellectum plerumque. Alioqui γνῶμαι multorum, Noſce teipſum: Neſcis quid veſper ſerus vehat, &c. erunt apophthegmata. Quis hoc dixerit? Roterodamus falsò affirmat, ea non eſſe cuiuslibet: ſed Oratorum, Ducum, Legatorum, Imperatorum, virorum denique illuſtrium. Nam quæ huius rei cauſa, amabo, quæ ratio? Refellitur exemplis ſexcentis in his, quæ innumera aliunde ipſe congeſſit, & per libros digeſſit; quæque adhuc hodie congeri, & digeri ex auctoribus poſſunt: quorum permulta ignobilium, obſcuriorumq́ perſonarum; non pauca quoque fœminarum ſunt, quibus (vti nec claris viris) non ſua nobilitas, ſed ingenium, & ſollertia dedit ἀποφθέγγεσθαι, ſiue ſententias loqui. Euripid. in Supplicibus, Ὡς πολλάγ' ἐστὶ κἀπὸ θηλειῶν σοφά. Nam multa ſunt etiam à mulieribus ſapienter dicta. An non & Plutarchus Lacænarum apophthegmata ſeparatim vno libello conſcripſit? Erit ergo eius proprium apophthegma, qui pro eo, quod eſſe apophthegma docuimus, iuxta aliquam illius ſpeciem (plurimæ quippe ſunt, vt iamiã videbimus, accuratè à nobis notatæ) aliquid enuntiat. Cõmendantur enim alia vt prolata grauiter*

ter, alia vt ſolerter, alia vt argutè, alia vt facetè, alia ut moderatè, alia vt ſapienter, alia vt iuſtè, alia ut clementer, alia vt humaniter, alia ut ſeuerè, alia ut modeſtè, alia ut caſtè, alia ut candidè, alia ut ſalsè, & quæ prætereà ſunt eorum diſcrimina. Plutarchus ex Principum, excellentiumq́ hominum vitis, quas deſcripſerat, in volumina primus omnium collegit, ac ſeparauit, laudemq́ promeruit.

Non prætereundum & hoc, plerumq́ perſonarũ, & nationum conditiones, ſtudia, mores, ingenia ſolere apophthegmata ante oculos poni; vt ſint militarium militaria, glorioſorum ſuperba, regum regalia, magiſtratuum politica, aſtutorum callida, ſenum ſenilia, facetorum lepida, religioſorum religioſa, &c. Iterum, hæc Scytharũ, & barbarorum fortia, & crudelia: iſta Romanorum diſciplinæ, illa Laconum fortitudini, alia Athenienſium elegãtiæ, ac ſapientiæ congruentia. Laudabile autẽ præ aliis Collector poſt Plutarchum illud genus exiſtimat, quod paucis vocibus ſenſum neutiquã vulgarem exhibet, & innuit potius, quam exprimit; quale nemo queat facile excogitare: quodq́ quò propitius, ac diutius contemplere, hoc magis magisq́ admirere, ac delectere.

Nos ex toto illo opere, quæ arriſerunt amplius, tranſcripſimus, & inſuper alia quædam aliunde accerſiuimus, & Chriſtiana nonnulla interiecimus. Diſtinguere enim ab externis tanti momenti non eſt viſum (id quod nec in hiſtoriolis Syntag. primo faciendum rati ſumus) ut nec ſcriptorẽ ſemper ap-

ponere.

ponere, cum ἀμαρτύρως ſint credibilia. Adhæc ſuã cuiq; & materiã & ſpeciẽ, ſeu genus prætexuimus. Multa demum ad explicationẽ & illuſtrationem propemodum ſingulorũ facientia, ceu cõmentariolos aut ſcholia, aut emblẽmata, aut corollaria ſubiunximus.

I. *Poëtæ honorandi* φιλοποιητικῶς.

NIcolao V. Pont. Max. nuntiabatur, Romæ inueniri, qui bonos verſus pangerent. Negauit eſſe bonos. *Cur enim*, inquit, *ad me non veniunt, qui poëtis etiam malis patere ſoleo?* Hermol. Barb.

VOCEM præclariſſimã. Hoc vult. Se in poëtaſtros quoq; eſſe liberalem conſueuiſſe, & paratũ honorare artem bonã, quanquã in malis artificibus: ſicuti ſacerdotiũ venerari nos oportet etiã in ſacerdotibus improbis. In orat. pro Archia cùm poëtas & poëſin celebraret laudibus Cicero, narrauit de L. Lucullo, vel gregario, & non bono poëtæ ob epigrammã in ſe ſcriptũ, præmium tribuiſſe, ſub ea conditione, ne quid poſtea ſcriberet. Addit Orator, quod in Nicolaum quoq; eſt idoneum. Qui ſedulitatem mali poëtę duxerit aliquo tamẽ præmio dignam, huius (Archiæ) ingenium, & virtutẽ in ſcribendo, & copiam nõ expetiſſet? Laudat hunc Pontif. multis Laur. Valla epiſt. ad Ioann. Tortellium in limine Elegantiarũ. Quis hodie de viris ſummatibus excellentes poëtas curat? Atqui,

Cura ducum quondam fuerant, regumq́; poetæ,
Præmiaq́; antiqui magna tulere chori.

Aptiſſimè huic loco Plin. epiſt. 21. lib. 3. Fuit moris antiqui, eos qui vel ſingulorum laudes, vel vrbium ſcripſerant; aut honoribus, aut pecunia ornare: noſtris vero temporibus, vt alia ſpecioſa, & egregia, ita hoc inprimis exoleuit. Nam poſtquam deſijmus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.

II. *Amor in litteratos.*

Sapienter.

A Suida proditū eſt memoriç, Leonem Imp. qui Martianum excepit, dicentê quodam de Eunuchis, quod Elogio philoſopho teſſeram frumētariam dari mandauiſſet, militibus potius huiuſcemodi largitionem faciendam fuiſſe, hæc verba ſubieciſſe, *Vtinam is ſemper ſit meorum temporum ſtatus, vt mihi liceat militum ſtipendia in litterarum magiſtros transferre.*

De largitione frumentaria Lipſ. Elect. libr. 1. cap. 8. A curatoribus teſſeras frumentarias accipiebant ligneas, aut plumbeas, & ad horrea publica frumentum petitum ibant. Beatius ſanè multos alere eruditos, quàm milites: illud enim pacis, hoc belli ſignum. At pax bello prô quanto optabilior? *Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.* Solem è mundo tollere, ſcribitur in Lælio, qui amicitias tollunt. Ego non minus verè de litteris hoc, & vel iuratus affirmauerim.

Diffi-

Diſſimillimus Leonis Licinius Cæſar, earum hoſtis teterrimus: quas & reipub. peſtem appellabat, ipſe immanis bellua, peſtisq́;, & exitium reip. adeoque ἀγράμματος, vt nec nomen ſuum decretis poſſet ſubſcribere. At Veſpaſianus ingenia, & artes vel maximè fouit: primus è fiſco Latinis, Græcisque rhetoribus annua centena cōſtituit. Præſtantes poëtas, nec non & artifices coëmit. Sueton. cap. 18. Item Alex. Seuerus auctor Lamprid. Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Mathematicis, Mechanicis, Architectis ſalaria inſtituit, & auditoria decreuit: & diſcipulos cum annonis pauperum filios, modò ingenuos, dari iuſſit.

III. *Chryſopœi impoſtores.*

Iocosè.

AD Leonem X. Pont. Max. adiuit aliquando qui factitabat artem chimicam (quam & hoc ſæculo exercent multi; qui dum aurũ quæritant, etiam argentum amittunt) libellum porrigens, quem de auro è quauis propemodum materia conficiendo, non ſine ingenio conſcripſerat. Pontifex inſigne munus ſibi ſperantem vacua crumena donat, additque *Ego quidem auro te donarem: ſed cum tu eius efficiendi certam ſcientiam pollicere, ſat erit ſi habeas, vbi aurum abs te confectum reponas.*

Satin' tetigit? Fuit hic Aurelius Augurellus, poëta non improbandus, cuius Odæ, elegiæ, &

iambi extant. Chryſopœiam carmine conſcriptam ad Leonem attulit, vt, quemadmodum ſcripſit Iouius in Elogijs, prodige vtendi ad alenda ingenia, feſtoſq; & planè regios ſumptus *inexhauſtæ* opes ſine generis humani iniuria abundè ſuppeterent. Annis ſuperioribus iſtorum pollicitatorum vni caput præciſum; alter ſuſpendio necatus eſt in Germania. Res vulgatiſſima. Vtinam argenti eſſet nobis magna copia, auro fortaſſe non egeremus. Pretium eſt noſſe quæ aduerſus Alchimiam, ſeu aurifactoriam diſputat Ioannes Pineda noſter, de rebus Salomonis lib. 4. cap. 21, De auro quærendo ſcitè Caſſiod. variar. lib. 9. ep. 3. Aurum per bella quærere *nefas* eſt; per maria periculum: per falſitates opprobrium; in ſua vero natura iuſtitia.

IV. *Ornatus ſuperuacuus.*

Salsè.

CRœſus Lydorum rex, auctore Laërtio, cùm ſe exquiſitiſſimè exornaſſet, ſublimi in ſolio conſidens, percunctatus eſt Solonem, vnquam ne pulchrius ſpectaculum vidiſſet? Reſpondit Sapiens, *gallos gallinaceos. phaſianos. pauones. Naturali .n. eos nitore, & incredibili venuſtate veſtiri.*

Videantur, ſi libet, quæ olim ſcripſi in Hortulis Ouidianis, ſuper illo:

Sint procul à nobis iuuenes, vt fæmina, compti,
Fine coli modico forma virilis amat:

Mediocritas in veſtitu, præſertim virili, laudabilis

lis eſt. S. Hieron. ad Euſtoch. Non affectatæ ſordes, nec exquiſitæ mundiciæ conueniunt Chriſtiano. Idem epiſtol. x i i. de educat. Pacatulæ infantulæ. φιλόκοσμον genus fœmineum eſt, multasque etiam inſignis pudicitiæ, quamuis nulli virorum, tamen ſibimet ſcimus libenter ornari. Lege cohortationem Tertulliani egregiam, in calce libri de Habitu muliebri, ad vera, & Chriſtiana ornamenta captanda fœminis. De fucis porrò mulierum audi S. Hieronymum epiſt. 10. ad Furiam. *Quid facit in facie Chriſtiana purpuriſſus, & ceruſſa? quorum alterum ruborem genarum, labiorumq́ mentitur: alterum candorem oris, & colli, ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia.* Audi & Nazianzenum orat. in Gorgoniam ſororem. *Vnus illi rubor placebat, quem gignit pudor, vnus candor, quem parit abſtinentia. Nam picturas, & oculorum fucos, viuasq́ tabulas, & fluxam atque caducam formæ venuſtatem iis relinquebat, quæ theatra, & triuia conſectantur, qualibusq́ pudori & probro eſt erubeſcere.*

V. *Stulti ſapientibus proſunt.*

Prudenter.

CAto maior dicere ſolitus eſt. *Stultos prudentibus afferre plus utilitatis, quàm prudentes ſtultis.* Etenim illos dum errata ſtultorum facilè perſpiciunt, eaq; fugiunt, fieri cautiores; at hos non perinde rectè facta prudentiorũ poſſe imitari,

tarit; quia non vident. Cognata ſunt dicto huic illa. Sapiens ex alieno periculo emendat ſuum. *Felix quem faciunt aliena pericula cautũ.* Nec ex ſtultis modò, verùm etiam ex inimicis proficiunt prudentes, quod oſtendit Plutarch. lib. ſingulari. De vtilitate capienda ex inimicis. Deniq; da occaſionem ſapienti, & addetur ei ſapientia. Prouerb. 9.

VI. *Contra mulieroſum.*

Caſtè.

CVm quidam ſtolidus audiente Phythagora diceret: malle ſe cum mulieribus eſſe, quã cum philoſophis conuerſari: Et ſues, inquit *Pythagoras*, libentius in cœno quam in aqua verſantur. Laertius.

VII. *Placere bonis.*

Integrè.

ANtigonus ſecundus Zenone defuncto, quẽ vnum de philoſophis maximè ſuſpiciebat, dicere conſueuit, *actionũ ſuarum theatrum ſublatum eſſe.* Ad illius ſiquidem viri iudicium potiſſimùm quæ ageret dirigebat; & vnum hunc pro mille ducebat.

Appoſitè ad hanc ſententiam Seneca epiſt. 7. Democritus, ait, vnus mihi pro populo, & populus pro vno. Rectè & ille, quiſquis fuit, cũ quęreretur ab eo, quò tanta diligentia artis ſpectaret, ad pauciſſimos peruenturæ? Satis ſunt, inquit,

quit, mihi pauci; ſatis eſt vnus: ſatis eſt nullus. Egregiè hoc tertium. Epicurus cùm vni, ex conſortibus ſtudiorum ſuorum ſcriberet, hæc ego, inquit, non multis, ſed tibi. Satis enim magnum alter alteri theatrum ſumus. Defendens ſe aduerſus calumniatorẽ Terent. prolog. Eunuchi.

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis, & minimè multos lædere,
In his poëta hic nomen profitetur ſuum.

Et Adelph.

Eam laudem hic ducit maximã, cum illis placet
Qui vobis vniuerſis, & populo placent.

VIII. *Conuiciorum tolerantia.*

Grauiter.

DEmoſthenes cùm à quodam probris inceſſeretur, committor, ait, in certamen, *in quo qui ſuperior euaſerit, inferior eſt; & qui vicerit, victus eſt.*

Duæ ſunt victoriæ omnium pulcherrimæ, iniuriam vincere patientia, & beneficium beneficentia. Priorem adeò probat Chriſtianiſmus, vt non tantùm non iniuriam pro iniuria, ſed etiam pro iniuria rependere beneficium, ac meritum iubeat. Memorabile, & Principibus inprimis imitabile, quod Rufino Præf. præt. Theodoſius, Arcadius, & Honorius Auggg. reſcripſerũt. *Nolle ſe quenquam de populo, qui procaci lingua, aut maledicto in ipſos peccaſſet, pœna multari. Quoniam ſi probrũ ex leuitate proceſſerit, negligendum:*

ſi ex furore, aut inſania condolendum; ſi deniq; ab iniuria, remittendũ ſit. Appono auctarium ex Seneca de Ira lib. 2. cap. 34. *Ira abſtinendum ſiue par eſt, qui laceſſendus eſt, ſiue ſuperior, ſiue inferior. Nam cum pari cõtendere, anceps eſt: cum ſuperiore furioſum: cum inferiore ſordidum. Puſilli hominis, & miſeri eſt repetere mordentem. Mures, & formicæ, ſi manum admoueris, ora conuertunt: imbecillia ſe lædi putant, ſi tanguntur.*

IX. *Fuga voluptatum.*

Continenter.

ARiſtoteles admonebat, *voluptates non venientes, ſed abeuntes contẽplandas:* non à fronte ſcilicet, verùm à tergo. Nam dum veniunt, fucoſa ſpecie animis blandiuntur: abſcedentes autem pœnitudinem ac dolorem relinquunt.

Vetus eſt adagium, *ἐκ τοῦ φιληδονεῖν γίγνεσθαι τὸ δυστυχεῖν.* Miſeriam amat, qui voluptates amat. Horat. epiſt. 12. lib. 1. *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Sed quia virtutibus amaritudo permiſta eſt, inquit Lactant. libro 1. cap. 1. vitia verò voluptate condita ſunt, illa offenſi, hac deliniti homines feruntur in præceps, ac bonorum ſpecie falſi, mala pro bonis amplectuntur. Max. Tyrius Diſſert. x. Plena blanditiarum eſt, & quiduis facile perſuadet voluptas. Veruntamẽ quamuis ſapienti non omnis ſpernenda, & vitanda eſt voluptas: ſed, vt Dionyſius Sophiſta familiaribus dictitabat, *mel ſummo digito, non*

caua manu guſtandum. Parciſſimè admittendam ſignificauit hac imagine. Demonax interroganti, ecquid philoſophi quoque placentis veſcerentur, facetè, *an putas tu apes tantùm ſtultis mellificare?* melle enim placentæ tum, ante vſum, ſaccari condiebantur. Nullum vnquam fuiſſe veriorem amatorem voluptatis Diogene, demonſtrat, per inductionem Max. Tyrius, Diſſert. 33.

X. *Vtilia potius quam multa.*

Docte.

ARiſtippus glorianti quod multa legiſſet, ita occurrit. *Sicut non qui plurima comedunt, & exercentur, melius valent, quàm qui ſumunt neceſſaria: ita non qui plurima, ſed qui vtilia legerunt ſtudioſi habendi ſunt, & eruditi. Laert.*

Multorum auctorum, & omnis generis voluminum lectionem diſuadet Seneca. Diſtrahit, inquit, animum librorum multitudo. Namque cùm legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. ep. 2. quam totã legere conduxerit. Rurſum ep. 45. dat vtile conſiliũ. *Librorum iſtic inopiam eſſe quereris. Non refert quàm multos, ſed quàm bonos habeas. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui quò deſtinauit peruenire vult, vnam ſequatur viam, non per multas vagetur. Non ire iſtuc, ſed errare eſt.* Audiant, & ſapiant lectores iſti vagabundi, qui multa ingerũt, pauca digerunt: multas quaſi vrbes viſunt, in nulla habitant: vbiq; ſunt, & nuſquam ſunt.

XI. *Luxus piſcium.*

Temperanter.

CAto ſenior mirari ſe autumabat, quomodò ſeruari poſſit ciuitas, *in qua pluris veneat piſcis, quàm bos.*

Quantus fuerit luxus, & deliciæ in piſcibus apud Romanos, in mullo præcipuè, conſule Meurſium de luxu eorundem, cap. 14. Octauius emit florenis ducentis quinquaginta. Alius florenis trecentis. Habebantur lautiores, & apparatiores menſæ piſcibus, quàm carnibus extructę. Horat. ſat. 2. lib. 2.

Ac mihi ſeu longum poſt tempus venerat hoſpes;
Siue operum vacuo gratus conuiua per imbrem
Vicinus, bene erat, non piſcibus vrbe petitis,
Sed pullo, atque hœdo.

Piſcis ganeæ, & epularum delicatiorum eſt hieroglyphicum. Pierius lib. 31. vbi Eraſmum Chriſtianiſmi mores ſuper eſca piſcium, & ieiunijs mordentem, grauiter, & doctè refellit. pag. 221. Quamobrem Homerus non apponat piſces in cibum, & cur Pythagorei eorum eſum aueriſarentur, docet Plutarchus Sympoſ. lib. 8. quæſt. 8. Athenæus lib. 1. obſeruat, Homerum tantum aſſas, & quidem bubulas, nunquam elixas, nec piſces, nec fructus heroibus ſuis, & alijs item apponere. Vide adag. A piſcibus abſtineto, & Dionem Chryſoſt. orat. 2. de Regno.

XII. *Filij degeneres.*

Feſtiuè.

QVerebatur neſcio quis de alio, qui filium minus probum penitus deſpiciens, quaſi non ex ſe natum abdicaret. Huic Antiſthenes, *an verò ignoramus & pituitam, & pediculos ex nobis generari? quæ tamen ceu inutilia contemnimus, & proiicimus.*

De ortu liberorum lætandum, an dolendum ſit magis parentibus, diſceptari poteſt. Quibus ſimul fons curarum oritur; nec licet amplius ſine metu, atque angoribus vitam ducere. Satæ iam arbores inexhauſto percolendæ ſtudio, quarum nullos fortaſſe, aut ſeros fructus legent. Si boni fuerint, iugis timor: ſi mali, ſempiternus dolor. Interim ſolamen ambiguum, certa cura. Ex Petrarch. de Remed. vtriusque fort. dial. LXX. lib. I. Terent. Adelph.

Duxi uxorem, quam ibi miſeriam non vidi? nati filii.
Alia cura. Porrò autem dum ſtudeo, illis vt quàm plurimum.
Facerem, contriui in quærendo vitam, atque ætatem meam;
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero;
Odium.

Spartianus in Seuero pluribus exemplis docet, ita ferè vſuveniſſe, vt viri ſeu virtute, ſeu lit-

teris, ſeu fortunæ indulgentia inſignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, vt præſtiterit eis abſque liberis decedere. De tribus filijs Conſtantini M. Sigon. de Imp. occid. lib. 5. Qui tantum à paterna animi indole in omni genere laudis atque officij receſſerunt, quantum ille ſuperiores Principes omnes pietate, atque animi magnitudine ſuperauit. Neq; enim Conſtantino filio quiſquam ad vitam incautior: Conſtante ad indecoras voluptates procliuior: Conſtantio aut leuior, aut ad arrogantiam intolerabilior fuit. Tertullian. ad vxorem lib. 1. *liberorum amariſsima voluptas.*

XIII. *Dierum feſtorum cultus.*

Piè.

THomas Morus ſanctus martyr, quanquam carceri incluſus, diebus religioni conſecratis ornatum elegantiorem capeſſebat. Mirantibus cur id faceret, cum ſolus eſſet, & careret publico, hæc reddebat, *Non ad conſpectũ populi, ſed ad Dei honorem feſtos colo dies.* Beyerlinck Canon. Antuerp. in Apophtheg. Chriſtianis.

Veſtes mundiores, ac ſplendiores, ludi, epulationes, ſaltationes, cantus muſici, ſumptuoſa ſacrificia, ſingulares cærimoniæ, templorum ornatus præcipuus, &c. omnia hæc lætantium animorum argumenta ſunt: ſed apud Chriſtianos in Domino lætantium, illiq;, & ſanctis eius diebus feſtis gratulantium. Hoc autem ſæculo veren-

tendum, ne apud pleroſque potius vanitati, ventriq; ſtudentium videantur.

XIV. *Vindicta.*

Ridiculè.

HOmo iratus agaſoni, volebat eum pugnis malè accipere. Eo clamante, Athenienſis ſum, conuerſus ad aſinum, *At tu*, inquit, *Athenienſis non es*: miſerumque plagis impleuit. Plutarch. de cohibenda iracundia.

Qui ſe vlciſci de domino ipſo nequeunt, operam dant, vt quippiam de peculio domini lædant, quod illi ægrè ſit. En habe tibi pertutilem, planeque Chriſtianam de vltione doctrinam ex Tertulliano, libro de Patientia. Eſt & alius ſummus impatientiæ motus, vltionis libido, negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed & gloria vbique vana, & malitia nunquam non domino odioſa, hoc quidem loco maximè, quum ab alterius malitia prouocata, ſuperiorem ſe in exſequenda vltione conſtituit, & remunerans nequam, duplicat quod factum eſt. Vltio penes errorem ſolatium videtur doloris; penes veritatem certam, redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter prouocantem, & prouocatum, niſi quod ille prior in maleficio deprehenditur, iſte poſterior? tamen vterque laſi hominis domino reus eſt, qui omne nequam & prohibet, & damnat. Miram aduerſus iniurioſum patientiam C. Caligulæ narrat Sueton. c. 3.

Vide

Vide etiam lenitatem Titi erga duos patricios, conuictos in affectatione imperij: & fratrem inſidiantem, cap. 9.

XV. *Facilis deſcenſus auerni.*

Argutè.

CVm Calliſto meretrice fortè in colloquium venit Socrates. Ex ea poſtquam audiuit: ego quidem, ô Socrates, multum te ſupero: nam cùm tu de meis neminem ab alienare à me, & abducere poſſis, ego contra plurimos de tuis auoco, tale reſponſum ſubiecit. *Nil mirum. Tu ſiquidem ad decliuem tramitem omnes rapis: ego ad virtutem cogo, ad quam via eſt ardua, & plerúmq; difficilis aſcenſus.* Ælian. lib. 13. cap. 32.

Sunt & nobis propoſitæ duæ viæ, quarũ quæ deorſum ducit ad tartara, ſpatioſa & amœna eſt: quæ ad ſuperos, anguſta & ſentibus obſita. Verum ſanè, quod ad Celantiam ſcripſit Hieronymus, *aſperam nobis, & inſuauem virtutis viam nimia vitiorum conſuetudo facit.*

XVI. *Vites αὐςηρολόχοι.*

Lepidè.

CYneas Pyrrhi Epirotarũ regis Legatus Romam pergens Ariciam diuertit. Cœnanti hoſpes vinum auſterũ præbuit. Roganti mitius, reſpondit, toto oppido melius non inueniri. Tulit rem modicè Legatus, ortáque luce diſcedens, cùm proceriſſimas arbores conſpicaretur,

quibus

quibus vites erant religatæ, Aricinos laudauit, *qui matres peſſimorum filiorum tam altis crucibus ſuſpendiſſent.*

Plautus quoque Amphit. ita loquentem fingit Mercurium.

Cadus erat vini: inde impleui hirneam.

Eam ego, ut matre fuerat natũ, vini eduxi meri.

Res in animas, aut etiam brutas animantes propinquitatis, & cognationis vocabulis afficere, καταχρηστικώτερόν καὶ ποιητικώτερόν eſt, nec lepore caret. Porrò apud Libanium in Progymnaſmatis habes ſcitam vituperationem vitis, & vini; ex eius ſcilicet incommodis, vt mos eſt rhetoribus, reprehendere, ſubticentibus bona, & commoda, è quibus laudari quippiam poteſt.

XVII. *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam.*

Salsè.

Ephræm Diaconus, cum Edeſſæ cibum ſibi coqueret, à muliercula probroſa, ſeu ſcorto de feneſtella proſpiciente irriſus eſt, cùm impudenter clamaret; Benedic Abba, adijceretq́; petulanter, quid deeſt tibi? *Tres lateres*, inquit, *ac parum luti, vt hac feneſtra obſtruatur.*

Thales quoque, niſi erro, ſtulto percunctanti, nox an dies fuiſſet prior, reſpondit, vt decuit, nox vno die prior. Et Narſes Eunuchus, qui pro Iuſtino Aug. Italiam procurabat, Sophiæ Auguſtæ, cum illa per ludibrium ſcripſiſſet, rediret

Con-

Conſtantinopolim, ſe ſuum illi penſum inter ancillulas diſperticuram, reſcripſit; talem ſe illi telam exorſurum, quam nec illa, nec maritus, eius foret retexturus. Quod fecit, Lombardis in eam partem Italiæ, quæ hodie Lombardia, poſſidendā vocatis. Paul. Diacon. de geſt. Lombard. lib. 2. cap. 9. Sigonius de regno Italiæ lib. 1. Crinit, lib. 10 cap. 2.

XVIII. *Famulitium non neceſſarium.*

Seuerè.

IVlian. Imper. eunuchos, coquos, tonſores è palatio eiecit. Cauſam rogatus, *negauit ſibi opus eſſe eunuchis, quum uxor iam deceſſiſſet: nec opus videri coquis, quod ſimpliciſſimis cibis veſceretur; & vnus ſufficeret: ſicut item vnus tonſor.*

Sanè in victu adeò temperantem fuiſſe tradit Zonaras Tomo III. vt & naturalia illa, ructus, & ſputa ferè vitaret. Aulicorum turbam, & illos numeroſos Principum comitatus, Licinius Cæſar ſorices palatij conſueuit nominare. Talibus Antoninus Pius vt ignauis, & otio marcentibus nec in Rempub. quidquam ſtudij, curæq́; , ac laboris conferentibus, ſalaria ſuſtulit. Capitolin. De frequenti famulatu exultanti, quo pacto occurrendum, vide Petrarcham lib. 1. dial. 33. Romani ciues ſeruorum greges poſſederunt, alij decem, alij viginti millia, non in compedibus, vt Greci, metalliſúe effodiendis damnatos: ſed ex illis plurimos ſecum degentes; & qui, quo proficiſce-

ficiſcebatur dominus, aſſiduè ſubſequerentur. Nicol. Leon. lib. 3. cap. 4. De luxu exercitus Antiochi regis Syriæ Iuſtin. lib. 38. Quippe LXXX, millia armatorũ ſecuta ſunt CCC. millia lixarum: ex quibus coquorum, piſtorum, ſcenciorumq; maior numerus. Pro CCC. reſcribendum opinor III. Nam ille alter numerus eſt prorſus incredibilis. Tria millia ferri poteſt.

XIX. *Vxor mala.*

Vrbanè.

ALphonſus rex Aragoniæ aiebat, *ſibi videri plurimum inſanire, qui vxorem fugitiuam perquireret.*

Quæ alia mens dicti huius, niſi, beatum eſſe, qui ab vxore mala liber euaſerit? Non agnoſcere autem fęlicitatem ſuam, & eam reputare miſeriam, inſani eſt profectò. Super amiſſa vxore qualicunque quomodo ratio dolorem conſolari poſſit, diſcas ex dial. Petrarchę 18. lib. 2. Seu Menander, ſeu alius quiſpiam.

Οὐ πάντες οὔτε δυστυχοῦσιν ἐν γάμοις,
Οὔτ' εὐτυχοῦσι. σομφορὰ δ' ὃς ἂν τύχῃ
Κακῆς γυναικὸς, εὐτυχεῖ δ' ἐσθλῆς τυχών.
Non coniugali ſemper infælicitas,
Fælicitásue ſemper eſt comes toro:
Sed prout vxor obtigit proba, aut ſecus.

Nullam bona vxore poſſeſſionem meliorem viro obuenire poſſe, nec rurſus pernicioſiorem improba, dixit Heſiod. & profert. Nazian. orat. in funere patris.

XX

XX. *Beneuolentia ciuium.*

Prudenter.

IDem rex interrogatus, quos ciuium haberet chariſſimos. *Qui magis*, inquit, *metuunt pro me, quàm me.* Sentiens illos ex animo eſſe amicos, qui Principem magis amant, quàm timent.

Hoc efficiendum omni ratione Pittacus Principi præſcripſit. ἐμοὶ δοκεῖ μάλιστα ἂν ἔνδοξος γίνεσθαι καὶ βασιλεὺς καὶ τύραννος, εἰ τοὺς ὑπηκόους ὁ ἄρχων παρασκευάσει φοβεῖσθαι μὴ αὐτὸν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ αὐτοῦ. Timeri non eſſe tutum docet Cic. 1. Off. Qui ſe metui volunt, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt. Eod. lib. Rerum omnium nil aptius eſt quidquã ad opes tuendas, ac retinendas, quàm diligi; nec alienius quàm timeri. Probus in Dione. Ex quo intelligi poteſt, nullum eſſe imperium tutum, niſi beneuolentia munitum.

Eberhardus Barbatus, primus Wirtembergiæ Dux, Vormatiæ in conuiuio Principum à Principe Saxoniæ iuſſus etiam aliquid de ſua ipſe prouincia quod laudaretur proferre, modeſtè reſpondit: ſcire ſe, ipſorum familias, potentia, & auctoritate excellentiores eſſe. Attamen Deo pro ſuis rebus gratias agere. Verè enim affirmare poſſe, ſe in gremio cuiusuis ſubditorum ſuorum in medio campo tutum ac ſecretum cubare poſſe. Hoc ita exceperunt Principes, vt talem erga Ducem ſuum beneuolentiam ſuis quæ prædicarant comoditatibus longe anteferrent.

Ex

Ex Annalib. Sneuicis. Vide inſuper Claud. Minoem in Emblema Alciati X.

XXI. *Legum vis.*

Sapienter.

HEracliti eſt, *ciues non minus oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus.* Quod abſque legibus nullo modo poſſit eſſe ciuitas incolumis, abſque mœnibus poſſit.

Pythagoras eam ciuitatem florentiſſimam futuram pronunciauit, in qua ciues obedirent magiſtratui, & magiſtratus legibus. Cuſtodiam honeſtarũ legum Plato omnibus triumphis anteponit. Lex autem omnis (Quintil. lib. 7.) aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut iubet, aut vetat, aut permittit. Priuilegium porrò non eſt, quod ſemidocti putant, prærogatiua, aut peculiaris facultas, ſeu poteſtas à mag ſtratu cuipiam conceſſa, & indulta; ſed lex aduerſus priuatũ lata.

XXII. *In Deo faciemus virtutem.*

Modeſtè.

OCcupata Hieroſolyma, cum finitæ gentes Tito, Veſpaſiani F. Imp. & victori coronas mitterent, tali ſe honore indignum profeſſus eſt. *Haud enim ſe tanti operis auctorem eſſe: ſed Deo Iudæis irato manus ſuas prò miniſtris commodaſſe.* Hoc ad aures Apollonij Tyanæi perlato, per epiſtolam virum de animi modeſtia prędicauit. Philoſtrat. lib. 6. cap. 14.

Attila Hunnorum, Tamerlanes Scytharum rex, cum vterque Chriſtianos populos bello, cędibusq́ue vexaſſet, ille ſe flagellum, hic ſe iram Dei nuncupabat. Teſtatur Laertius, Biantem quoque vnum de VII. Sapientibus dixiſſe. Quidquid boni egeris, in deos refer. Nihil valere per ſe, & ſolos conatus hominum, bello præſertim, multis & ſacris, & non ſacris ſcriptorum dictis confirmare liceret. Euripides in Bacchis.

-------- ἀρετὴ δ᾽ οὐδὲν φέρει
βροτοῖσιν, εἰ μὴ τὸν θεὸν χρήζοντ᾽ ἔχει.
Prodeſſe virtus non poteſt mortalibus,
Si non opitulator deus ſit maximus.

Prouerb. 21. *Paratur ad pugnæ diem equus, ſed à Deo eſt victoria*: nec eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi Deus noſter, vt Eccleſia ſancta canit.

XXIII. *Bonus dux, regis dextera.*

Militariter.

VAlentinianus III. Occidentis Imper. cum Etium, ſeu Aetium belli ducem eximium, & innocentem morte affeciſſet, ex ciue quodam Romano quæſiuit, iure ne cæſum arbitraretur? Tum ille, iure ne, an iniuria hominem occideris Imp. equidem neſcio; illud ſcio, *quòd ſiniſtra tua dexteram tibi amputaueris*. Procop. de bello Vandal. lib. I.

Nihil potuit ἐμφατικώτερον. Dextera in te bellica ſymbolū habet virtutis, ſeu fortitudinis, & generoſi animi. Æneid. *Euryale, audendū eſt dex-*

tra, nunc ipſa vocat res. Eam ſibi deum facit Mezentius lib. 10. *Dextra mihi Deus, & telū quod miſſile libro.* Et Capan. apud Statiū lib. 10. Theb.

------ ades ô mihi dextera tantùm.
Tu praſes bellis, & ineuitabile numen.
Te volo, te ſolam ſuperûm contemptor adoro.

XXV. *Valeat vita breuis pro æterna, Chriſtiane.*

THomas Morus, Henrici VIII. regis Angliæ Cancellarius in vinculis erat, quòd eiusdem regis diuortium cum Catharina Caroli V. matertera, & adulterium cum Anna Bolenia ſuperinducta approbare noluiſſet. Cùm multi principes viri conſtantiam eius labefactare non potuiſſent, mandatum eſt vxori, ſuaderet viro, nè ſecum bona, liberos, famam, vitam ipſam iret perditum: qua quidem diutius per ætatem frui poſſet. Quærit ab ea Thomas, quot annos adhuc ipſum viuere poſſe opinetur. Totos viginti, ait illa: & pluribus etiam, ſi deo placuerit. Hîc Morus, minimè morus, *vis ergo vt æternitatem viginti annis cõmutem? Ne tu imperita mercatrix es. Nam ſi viginti annorum millia diceres, aliquid viderere dicere. Sed quid vel hoc ad æternitatem?*

O virum magnanimū, &, quod difficillimum eſt, vitæ huius contemptorē egregium: ſemperque illius memorem. *Qui perdiderit animā ſuam in hoc mundo, propter me, inueniet eam.* D. Chry-

 ſoſt.

ſoſt. homil. 28. de diuerſ. Quid ſunt decem annorum millia, cùm ſæcula cogitas infinita? Nonne quantum eſt ſtillicidium minimum abyſſo cóparatum? Si in hac vita ſic clarus eſt thalamus ſponſi, ſic clara ſunt habitacula, atque feſtiua, vt nullus poſſit intuens ſatiari: multo amplius ille thalamus, hoc eſt, cœlum, & qui in cœlo eſt ſponſi thalamus, melior extat.

XXV. *Poema ſine iudicio.*

Peritè.

FAuſtus Andrelinus, ſuis temporibus poëta celebris poëma fecerat. Id cùm legiſſet eruditus vir, rogatus hanc tulit ſententiam, *deeſſe illi ſyllabam vnam*, cæteroqui abſolutum fore. Vrgentibus amicis illam ſyllabam, dixit eſſe νῦν méntem, hoc eſt, iudicium. Hoc in illo carmine deſiderari ſignificabat.

Tantum valet etiam in poëſi iudicium, vt vel hoc vno Homerum Virgilius longè vincat, cui ingenio primas concedat neceſſe eſt, quidquid tandem Homeromaſtiges fabulentur. Vtinam verò hæc eadem ſyllaba non etiam ipſius ſcriptoris ſcriptis ſæpenumero defuiſſet. Ἀνεν͂χῶς multa nimis effudit, dum ſe νουνεχέστατον videri ſtuduit.

XXVI. *Impauidus, ſeu magnanimus Imperator.*

Animosè.

Cum

CVm quidam è militibus, qui Lacedæmonios per fauces montium aduentare conſpexerat, Pelopidæ dixiſſet, incidimus in hoſtes, *Qui potius, inquit, nos in illos, quàm illi in nos?*

Eiusmodi virtus fuit Ageſilai, ſi memini. Cui cùm nuntiaretur à dicente, hoſtes ſunt prope nos, excepit, *& nos prope illos.* Nec impar eſt his illud Alexandri M. Narrante enim quodam milite, aduentare Perſarum multa millia; *vnus lanius,* inquit, *non timet multas oues.* Nempe non in numero, ſed in dextera ſita eſt victoria. Idem ſuadentibus amicis nocte cum Dario pugnandū; ne, ſi luce pugnaretur, tanta hominum multitudine conſpecta; miles conſternaretur, negauit victoriam ſeſe furaturum. Nec adeò diſſimile Annibalis. Cum Giſco dignitate par Annibali ad Cannas Apuliæ vicum exercitum Romanorum, vt maximum admiraretur, *quanto magis mirandum eſt, Giſco,* inquit, *in tanta multitudine hominum nullum reperiri, qui tuo vocetur nomine?* Qui iocus, inquit Plutarch. in Fabio, cum præter opinionem incidiſſet, omnium coortus eſt riſus. Atque ipſe Annibal ridendi finem facere nequibat. Ea res Carthaginenſes audaciores fecit, cogitantes riſum Imperatori ex contemptu hoſtium excitatum, quos adeo pro nihilo haberet, vt etiam præſenti diſcrimine iocaretur.

XXVII. *Vt feceris, ita audies.*

Iuſtè.

ſoſt. homil. 28. de diuerſ. Quid ſunt decem annorum millia, cùm ſæcula cogitas infinita? Nonne quantum eſt ſtillicidium minimum abyſſo cōparatum? Si in hac vita ſic clarus eſt thalamus ſponſi, ſic clara ſunt habitacula, atque feſtiua, vt nullus poſſit intuens ſatiari: multo amplius ille thalamus, hoc eſt, cœlum, & qui in cœlo eſt ſponſi thalamus, melior extat.

XXV. *Poema ſine iudicio.*

Peritè.

FAuſtus Andrelinus, ſuis temporibus poëta celebris poëma fecerat. Id cùm legiſſet eruditus vir, rogatus hanc tulit ſententiam, *deeſſe illi ſyllabam vnam*, cæteroqui abſolutum fore. Vrgentibus amicis illam ſyllabam, dixit eſſe νοῦν mētem, hoc eſt, iudicium. Hoc in illo carmine deſiderari ſignificabat.

Tantum valet etiam in poëſi iudicium, vt vel hoc vno Homerum Virgilius longè vincat, cui ingenio primas concedat neceſſe eſt, quidquid tandem Homeromaſtiges fabulentur. Vtinam verò hæc eadem ſyllaba non etiam ipſius ſcriptoris ſcriptis ſæpenumero defuiſſet. Ἀνευνεχῶς multa nimis effudit, dum ſe νουνεχέστατον videri ſtuduit.

XXVI. *Impauidus, ſeu magnanimus Imperator.*

Animosè.

Cum

CVm quidam è militibus, qui Lacedæmonios per fauces montium aduentare conſpexerat, Pelopidæ dixiſſet, incidimus in hoſtes, *Qui potius, inquit, nos in illos, quàm illi in nos?*

Eiusmodi virtus fuit Ageſilai, ſi memini. Cui cùm nuntiaretur à dicente, hoſtes ſunt prope nos, excepit, *& nos prope illos.* Nec impar eſt his illud Alexandri M. Narrante enim quodam milite, aduentare Perſarum multa millia; *vnus lanius*, inquit, *non timet multas oues.* Nempe non in numero, ſed in dextera ſita eſt victoria. Idem ſuadentibus amicis nocte cum Dario pugnandũ; ne, ſi luce pugnaretur, tanta hominum multitudine conſpecta; miles conſternaretur, negauit victoriam ſeſe furaturum. Nec adeò diſſimile Annibalis. Cum Giſco dignitate par Annibali ad Cannas Apuliæ vicum exercitum Romanorum, vt maximum admiraretur, *quanto magis mirandum eſt, Giſco*, inquit, *in tanta multitudine hominum nullum reperiri, qui tuo vocetur nomine?* Qui iocus, inquit Plutarch. in Fabio, cum præter opinionem incidiſſet, omnium coortus eſt riſus. Atque ipſe Annibal ridendi finem facere nequibat. Ea res Carthaginenſes audaciores fecit, cogitantes riſum Imperatori ex contemptu hoſtium excitatum, quos adeo pro nihilo haberet, vt etiam præſenti diſcrimine iocaretur.

XXVII. *Vt feceris, ita audies.*

Iuſtè.

QVum accuſaſſent purpurati apud Sigiſmundum Imperatorem maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de ſuo Principe paſſim obloqueretur, ſubridens ille: *An vobis*, inquit, *graue videtur illos malè loqui, cum nos malè agamus?* Indicauit hoc dicto in nobis ipſis ſitum eſſe, quòd bene, vel malè audiamus. Aen. Syluius de rebus Alphonſi.

XXVIII. *Ciuium in regem charitas vrbis ſecuritas.*

Grauiter.

ANtigonus rex amicis hortãtibus, vt ſi Athenas caperet, validis illas præſidijs communiret, ne quando deficerent; ſummaq; cura, & vigilantia, vt totius Græciæ arcem, ac propugnaculum cuſtodiret, hæc contra prolocutus eſt; ſemper ſe fuiſſe in hac ſententia, vt crederet *nullum eſſe regni præſidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam.*

Repete apophtheg. 20. Micipſa rex Numidiæ apud Salluſt. in Iugurth. moriens ſic inter cætera ad filios. Non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt, verùm amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, & fide pariuntur. Seneca item de Clementia, vnum eſt regi inexpugnabile munimentum, amor ciuium.

XXIX. *Aliena non appetenda.*

Mode-

Moderatè.

CArolus V. Imp. quo tempore cum Franciſco I. Galliarum rege bellum gerebat, ſæpiùs dixiſſe perhibetur: *Si totum Franciæ regnum debellaſſem, redderem totum regi; modò quæ mea eſſe contendo, mihi relinqueret.*

De Tito Veſpaſiani F. & ſucceſſore Sueton. cap. 7. Nulli ciuium quidquam ademit: abſtinuit alieno vt ſi quis vnquam: ac ne conceſſas quidem, ac ſolitas collationes recepit. Longè alius fuit ab eo Domitianus frater, cap. 12. Reges initio diuerſos, alios ingenium, alios corpus exercuiſſe, teſtis Salluſt. proœmio Catalini. Ac tum etiam vita hominū ſine cupiditate agitabatur: ſua cuique ſatis placebant. Poſtea demùm Cyrum in Aſia, in Græcia Lacedæmonios, & Athenienſes cœpiſſe vrbes atque nationes ſubigere, libidinem dominandi cauſſam belli habere. Scripſit item Iuſtin. lib. 1. Principio rerum gentium, nationumq́ue imperium penes reges fuiſſe, quibus fines imperij tueri magis, quàm proferre mos fuerit. Intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. Primum omnium Ninum intuliſſe bella finitimis, & terminos vſque in Lybiā propagaſſe; eo antiquiores longinqua, non finitima bella geſſiſſe: nec imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quæſiuiſſe, contentosq; victoria, imperio abſtinuiſſe. Quid Chriſtianis omnibus Decalogus præcipiat, aut potiùs quid vetet in hoc genere, nec pueri neſciunt.

XXX. *Eiuſdem generis.*

Moderatè.

RVdolphus Auſtrius Imp. monitus, vt regni fines proferret, *Melius*, inquit, *opinor fore bene imperare, quàm regnum ampliare.*

Qui de regni amplitudine ſunt ſolliciti, nondum didicerunt quid ſit regnare, aut imperare, rem vtique difficillimam, etiam optimo Imperatori, vt in ſermonibus aiebat Diocletianus. Ob quam cauſam, vt ſcriptum reperi, imperio vltro abiuit, ſeſeque ad vitam priuatam retulit. Moleſtias igitur moleſtiſſimas ſibi accerſunt, & augent, qui regnum augent. Splendidam ſeruitutem vocabat Antigonus. Seneca Oedipo.

Quiſquam ne regno gaudet? ô fallax bonum,
Quantum malorum fronte quàm blanda tegis!

XXXI. *Reuerentia erga Sacerdotes.*

Religioſè.

COnſtantino M. Auguſtò in Nicæna ſynodo Epiſcopi libellos obtulerunt, quibus ſe inuicem criminabantur. Eos ille in ſinum, deinde in flammam conijciens, addidit; ſacerdotum iudicium Deo reſeruo, qui velut numina ad homines regendos ab ipſo hìc in terris ſunt conſtituti. Et ideò nos rectè iudicamur à vobis, vos autem nefas eſt ab hominibus iudicari. Sigon. de imp. occid. lib. 3. Accepit etiam Patres conuiuio

magni-

magnifico: mutilata eorum membra, oculosq; effoſſos exoſculatus eſt, & labia cicatricibus venerabundus admouit; ſibi perſuadens ſanctam inde benedictionem hauſturum. Ibidem, & Zonaras.

Idem præterea prodidit Tomo III. dixiſſe, *Ego ipſe ſi epiſcopum aliquem delinquentem viderem, purpura mea tegerem.* Deuteron.7. de honorandis Sacerdotibus ita præcepit Deus: *In tota anima tua time Deum, & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & miniſtros eius ne derelinquas.* Eorum in teſtamẽto nouo dignitatem hiſce verbis expreſſit aurifluus ille Chryſoſtomus lib.2. de Sacerdotio. *Sacerdotis aſpice dignitatem. Agitur in terra: ſed officium cæleſtibus negotiis continetur. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, ſed ipſe Spiritus ſanctus hoc munus inſtituit, atq; adhuc manentes in carne miniſterio fungi præſtitit angelorum.* Et Hieronymus epiſt.1. Abſit vt de his quidquam ſiniſtrũ loquar, qui apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus: qui claues regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem iudicij iudicant: qui ſponſam domini ſobria caſtitate conſeruant. Veruntamen quid eſt hodie ſacerdotibus multis in locis deſpicabilius? Sunt nihilo meliores alijs, inquiunt, quod debebant: imò & deteriores multis. Audite vos, audite S. Gre-

gor. ſuper Ezechiel. *Multi dum plus vitam ſacerdotum, quàm ſuam diſcutiũt, in erroris foueam delabuntur, minus conſiderantes, quod non eos vita ſacerdotum læderet, ſi ipſi humiliter bonis ſacerdotum admonitionibus aurem accommodarent: ſed hypocritarũ more magna trabe vulneratos habentes oculos, eamq; negligentes, feſtucam tenuem in aliorum oculis conſpiciunt.*

XXXII. Bellè retortum conuicium.

Liberè.

D. Athanaſio dabatur probro ab hæreticis, quod in perſecutione fugeret. Quibus ille, *Si fugere mihi turpe eſt, vobis me innocentem perſequi honeſtum erit?*

Iſtiusmodi argumentationes, quæ ex verbis, & ſententia aduerſarij ducuntur, noſtrates philoſophi ad hominem appellitant. Veriſſimè in hunc magnum Trinitatis propugnatorem quadrat, quod iubet Chriſtus Matthæi 10. *Si vos perſecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam.* Quis fugas eius, & exilia enũmeret? Encomiaſten nactus eſt eloquentiſſimum Gregorium Theologum.

XXXIII. Irriſor irriſus.

Salsè.

PHiloſophi quondam hoc nomine malè audiebant, quod deos eſſe inficiarentur: aut eos etiam vilipenderent. Interrogauit igitur Lyſias iuuenis Diogenem, crederet ne deos eſſe? Cui

Dioge-

Diogenes exemplo; *Quî conuenit vt non credam eſſe, cùm perſuaſum habeam te illis inuiſum eſſe?*

Et reſpondit ad id quod rogabatur, & nihilominus adiecit aculeatè, quod non rogabatur. Affine, ac de eodem penu eſt quod adiungam. Diogenes Platoni caricam porrigebat, paratum habens dicterium, quod in eum torqueret, ſi accipere recuſaret. Accepit Plato, & cum riſu, hem, Diogenes, inquit, & caricam, & dictum perdidit. Laërt. Eſt ſane quando vt vis vi, ſic dolus dolo, & riſus riſu vlciſcendus; ac tanquam clauus clauo pellendus, maloque nodo malus cuneus quærendus videatur.

XXXIV. *Fœnerari exitiabile.*

Sollerter.

ALphonſus Aragoniæ rex auaritiam, & pecuniæ per vſuras cumulandæ libidinem deteſtabatur. Aliquando interrogatus, quidnam ſibi videretur fœnus: *nihil aliud*, inquit, *quàm animæ funus.*

Ad fœneratorem hoc dicto, non ad debitorem reſpexit, ad *δανείζοντα*, inquam, non ad *δανειζόμενον*: ad quem Cato, cum percunctantem, quid eſſet fœnerari, quod hominem, dixit occidere. Cic. 2. Off. Eſt ergo duplex homicida vſurarius; nam & animam ſuam occidit.

XXXV. *Inuidia nimium videt.*

Acutè.

Acutè.

COram Frederico rege Neapolitano quodã tempore in diſputationem venerunt medici, quos phyſicos vocant, quid inprimis oculorum perſpicacitati conduceret. Sententijs diſcrepantibus, iniecit qui tum fortè aderat Actius Syncerus; nihil potius quàm inuidia. Attonitis hoc verbo, ſubdidit; an non inuidia maiora, & ampliora facit omnia? iuxta illud Naſonis.

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro,

Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Seneca. Vtinam inuidi oculos haberent in omnibus ciuitatibus, vt de omnium fælicitatibus torquerentur. Nam quanta fælicium ſunt gaudia, tanti inuidorum ſunt gemitus. Quam ſibi quisque conſolationem aduerſus inuidos adhibere poſſit, lege Petrarchæ lib. 2. dial. 35.

XXXVI. *Deo famulari præſtantiſsimum.*

Modeſtè.

COnſtantinum Auguſt. Antiſtes quidam pro beato prædicabat, quem & hic in terris ſummo imperio dignatus eſſet Deus; & qui cum eius filio in cælo regnaturus foret. Hìc Imp. Parce vana loqui: *Deum precare potius, ut & in hac, & in futura vita eius famulatu dignus inueniar.*

Aſſentatorem repudiauit, cuius generis beſtiæ Principibus, Regibus, Imperatoribus præcipuè inſidiantur. Modeſtiſſimum, vt ethnici, eſt illud

illud C. Peſcennij Nigri. Cùm in Syria Aug. eſſet appellatus, cuidam panegyricum ſibi de laudibus ſuis, & rebus geſtis recitanti, Quin tu, inquit, ſcribis Marij laudes, aut Annibalis, aut alterius cuiuſpiam ducis egregij: ſed vita defuncti, quem nos imitemur? Ego verò placere viuus, mortuus, etiam laudari volo. Lamprid.

XXXVII. *Adoleſcens corroget, ſenex eroget.*

Humaniter.

APollonium Tyanæum percunctabatur quiſpiam dialecticus, cur ipſe nunquam quæreret aliquid. Reſpondit, *quoniam adoleſcens ſatis multa quæſiui: nunc autem non quærere, ſed inuenta docere opus eſt.* Philoſtratus libro 1. cap. 13.

Cùm omnia tempus habeant, erit etiam tempus diſcendi, & id quidem iuuentutis: docendi autem aptiſſimum ſenectutis. Longa quippe ætas multa videt, multa audit, multa legit, multa experitur, quæ iuueniles annos latent. Et vt vires iuuenum, ſic prudentia ſenum eſt. Apud Stobæum legimus. Vt adoleſcentibus bonæ indolis ſapientes ſenes delectantur, leuiorque fit eorum ſenectus, qui à iuuentute coluntur, ac diliguntur: ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur.

XXXVIII. *Luxus vnguentarius.*

Salſè.

Salſè.

VEſpaſian. Aug. Apollonio præter alia dixit *Vitellium in ſe lauando plus vnguēti conſumpſiſſe, quàm ipſe aqua: vt gladio percuſſus vnguentum magis, quam ſanguinem emiſſurus videatur.* Philoſtrat. lib. 5. cap. 10.

Aduerſus luxum in vnguentis Plin. lib. 13. cap. 3. Principium his conceptum eſt verbis. Hæc eſt materia luxus, è cunctis maximè ſuperuacui. Margaritæ enim, gemmæque ad hæredes tamen veniunt: veſtes prorogant tempus: vnguenta illico exſpirant, ac ſuis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, vt tranſeunte fæmina, odor inuitet etiam aliud agentes: exceduntque quadringenos denarios libræ. Zeno, vt refert Laertius lib. 7. obuius adoleſcenti vnguentis delibuto, Quis, inquit, mulierem olet? Antiquum prouerbium fuiſſe indicat Cicero ad Att. epiſt. lib. 2. Mulier bene olet, ſi nihil olet; vt intelligas ne in mulieribus quidem luxum hunc, & has delicias probari. Sic Seneca epiſt. 109. Optimus odor in corpore, eſt nullus odor. Maluiſſem allium oboluiſſes, dixit Veſpaſianus adoleſcenti vnguento fragranti, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret. Suetonius cap. 8. Homerum nullum heroem vnguentatum præter Paridem, nullum coronatum inducere notat Athenæus lib. 1.

XXXIX.

XXXIX. *Quomodo cum Principibus, & Regibus colloquendum.*

Conſtanter.

SOlon vnus de VII. Sapientibus cum citra adulationem quæ de vera hominis fælicitate ſentiret Crœſo regi expoſuiſſet, eum offendit potius quam correxit, & ſic abijt. Sardibus tunc erat Æſopus, quem Crœſus accitum in honore habuit. Qui vicem Solonis illiberaliter dimiſſi doluit, monensque cum Regibus, Solon, inquit, aut nequaquam, aut quam iucundiſſimè agendum (ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα) Cui Solon, minimè inquit. Immò nequaquam, aut quam optimè, μὰ Δί, ἀλλ᾽ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἄριστα.

Senſit poſtea Crœſus quam beatus fuiſſet ipſe, & Solon ſapiens, cum à Cyro in rogum impoſitus, eius nomen ſæpius inclamauit. Lege Plutarch. Ariſtoteles, Calliſthenem propinquũ, & auditorem ſuum ad regem Alexandrum mittens admonuit, vt quam veriſſimè, & id iucundè apud eum loqueretur, qui vitæ & necis poteſtatem in acie linguæ geſtaret.

XL. *Coma, & barba decent.*

Lepidè.

SCiſcitabatur ex Nicandro quidam, quamobrem Lacedæmonij comam, ac barbam alerent. Cui ille: *Quia hic ornatus cum ſit homini omnium pulcherrimus, nullo conſtat impendio.* Lycurgus

gus aliud reſpondebat: quia formoſos venuſtio-res, defotmes horridiores reddit. Plutarch. in vita. Nicol. Cragius de repub. Lacedæmon. lib. 3. Inſtitut. 1 v.

Quo pacto Homerus heroas, & deos ex comâ vt pulchros commendet, ex Dione Chryſoſtomo Synesius, in encomio Caluitij. Græcos vulgò aluiſſe comã, liquet ex eodem Homero, qui ἀχαιοὺς toties καρηκομόωντας nominat. Seruis comam nutrire non licebat. Ariſtoph. Auibus. ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; &c. dein ſeruus cùm ſis, portas comam? Quibus cum gentibus commune Græcis fuerit comæ nutritio Adrian. Iunius cap. 3. de Coma. Eius nutriendæ ſtudium non modò eſſe inutile, vile, & ferum, ſoliſque pueris, ac fæminis decorum, ſeruile inſuper, ignominioſum, ſupercilij, faſtuſque plenum, ac mollitiei notam, ſæculis omnibus in viris infamiam habuiſſe: contrà, tonſuram decoram, cultuique corporis neceſſariam, homini propriam, ſalubrem, virilitatis denique argumento honorificam, probat idem cap. 4. De laudibus autem barbæ cap. 2. bene multa diſſeruntur. De Augusto Imper. Suetôn. cap. 79. In capite comendo tam fuit incurioſus, vt raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret; ac modo tonderet, modò raderet barbam: eoque ipſo tempore aut legeret aliquid, aut etiam ſcriberet.

XLI. Li-

XLI. *Liberum factum.*

Liberè.

PRandebat in via publice Diogenes. Eius rei nouitas cum multos ad ſpectandum aduerteret, iiq; identidem acclamarent canis, canis, par retulit. *Immò vos eſtis canes potius, qui prandentem circumſtatis. Hoc enim canibus familiare eſt.*

Cynicus fuit Diogenes, cuius ſectæ princeps Antiſthenes. Decreta quæ fuerint, exſequitur Laertius in Menedemo, lib. 6. Cynicos autẽ ab impudentia (canina videlicet) nominatos, tradit idem in proœmio; quod more canum palam facerent omnia, & ſuo rem quamq; nomine citra pudorem exprimerent. Aut à gymnaſio Cynoſarges, quod ipſum ab albo cane indigitatum fuit. Cùm quæſitum eſſet ex eodem Diogene, quare canis appellaretur, reſpondit; *Quia dantibus blandior: non dantes allatro: improbos autem mordeo.*

XLII. *Contumeliæ perpeſsio.*

εἰρωνικῶς.

CÙm Catoni Cenſorio cauſſam in foro agenti Lentulus attracta pingui ſaliua in mediam frontem, quanta vi poterat, expuiſſet, abſterſa facie dixit: *Affirmabo omnibus, Lentule, falli eos, qui te negãt os habere.* Os negantur habere, quos nihil pudet. Quod cum eo facto inſigniter declaraſſet Lentulus; tamẽ Cato ludens profitetur illi

eſſe os: non quòd erubeſceret; ſed quòd ore multam purulentiam eiacularetur.

Affertur à Seneca lib.3. de Ira. cap.38. Lentulus hic fuit Cn. Cornelius Lentulus Clodianus, de quo Gellius lib.18.cap.4. perincertum fuiſſe, ſtolidior eſſet, an vanior. Contumelia tam in factis, quam in dictis ponitur, iuxta illud Plauti, *Alteri tu contumeliam facias, tibi non dicatur?* Dignum memoria quod eſt apud Tertullian. de bono Patientiæ, cap. 8. idcirco quis te lædit vt doleas, quia fructus omnis in dolore læſi eſt. Ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt, amiſſione fructus ſui. Quàm patienter, & velut parentis Alexand. M. contumeliam tulerit Lyſimachus vir illuſtris, ab eo Leoni ferociſſimo obiectus, exponit Iuſtinus lib.15.

XLII. *Noſce teipſum.*

Sapienter.

THales Mileſius percunctanti quid eſſet difficile; *Seipſum noſſe*, inquit.

Græcè eſt γνῶθι σεαυτὸν, quod de cælo deſcêdiſſe ait Iuuenal. Sat.11. A Chilone profectum hoc præceptum, quod acrioris cuiusdam animi vocat Cic. Tuſcul. 1. ſic, vt Deo tributum ſit: vbi id ad phyſicam animi cognitionem trahit, cum potius de morali Sapiens ille locutus ſit. Alij porrò alijs hoc dictum adſcribunt. Schottus noſter Scholijs in Cent. 4. prouerb. è Suida.prouerb.

herb. 96. Scribebantur autem præclaræ ſententiæ in templo Apollinis à viris ſapientia præditis. Earum auctores cum neſcirentur, ipſi Apollini, quòd eo dignæ cenſerentur, attributæ ſunt. Immò non antiqui tantùm philoſophi, ac ſapientes è diuinis eloquijs excerptas ſententias in philoſophiam ſuam inſeruerunt, quod Patres contra gentes cum ſcribunt, manifeſtè demonſtrant: ſed & ipſi dæmones, quò ſapientiores apparerent, hominesque ad ſui cultum vaniſſima ſuperbia, allicerent, vſurparunt. Adi Ioann. Franciſcum Picum. lib. 2. de ſtudio hum. & diuinæ philoſoph. c. 17.

XLIV. *Garrulitas.*

Salsè.

GArrulus quidam multa nugatus apud Ariſtotelem, tandem adiecit, Fortaſſis tibi obſtrepo nugis meis. *Non hercle*, retulit ille, *neque enim animum attendi.* Aliâs cum alius quidam garrulus itidem cauillis, & abſurdis narrationibus ei moleſtus ſæpe diceret, An nō admirabile hoc, Ariſtoteles? Non hoc, inquit, eſt admirabile: ſed ſi quis pedes habēs te ſuſtineat. Plutarchus.

Zenonis eſt, ob id habere nos aures binas, os vnum, vt audiamus multa, loquamur pauca. Pindarus putat in bona cauſſa tria verba ſufficere. Philonides apud Strobæum.

οὐκ ἄν τις εἴπῃ πολλὰ θαυμασθήσεται,
ὁ μικρὰ εἰπὼν μᾶλλον, ἂν ᾖ χρήσιμα.

Non, multa ſi quis dicat, laude dignus eſt:
Sed pauca ſi, vitaq́ dicat commoda.

Iam verò ad Zenonis ἀξίωμα alluſiſſe, ex eoque ſenſum ſpiritalem elicuiſſe autumno S. Chryſoſtomum, Homil. XXI. ad pop. Antiochenum, cum ita diſſerit. Omnia nobis duplicia Deus dedit, duos oculos, duas aures, duos pedes. Si igitur horum alterum læd atur, per alterum neceſſitatem conſolatur. Animam verò dedit vnam nobis. Si hanc perdiderimus, quanam viuemus?

XLV. *Temporis parſimonia.*

Grauiter.

ZEno aiebat: *Homini nihil magis deeſſe quam tempus.* Valde ab ijs diſſentiens, qui bonã vitæ partem ſomno, potatione, alea perdunt, quaſi temporis plurimum ſibi ſuperſit.

Et hoc idem ſentiebat Theophraſtus, cui ſemper in ore, nullum eſſe ſumptum maiorem tempore. ἀνάλωμα πολυτελέστατον χρόνος. Hoc pluribus adſcribitur à Plutarcho in vita Antonij. Vide dial. noſtrum 38. Volum. II. & Petrarchæ dial. 15. de amiſſione temporis, lib. 2.

XLVI. *Diſciplinæ ingenuæ.*

Docte.

MEtrocles dicebat: *res alias, vt domum, veſtem, agrum, cibum, potum, &c. emi pecunia: doctrinas liberales tempore*, hoc eſt, in longum tempus labore, ac ſtudio producto. Quò accomodat prouerb. Vna hirundo non facit ver

Zeno-

Zenobius Cent. 5. Non enim vna dies, inquit, eruditos efficit.

Dic mihi, quis vnquam de his, qui vitam omnem in litteris conſumpſerunt, adeo ſenex diem obijt, vt non plus temporis ſibi datum ad diſcendum optauerit? Et quoniam exiguum eſt tempus, quo viuimus, ideò ſapientiæ cupidi adeò parci ſunt temporis. Litterę tempus diuturnum, aſſiduitatem, diligentiam ſummam, exercitationem crebram requirunt. Nunc tibi ex epiſtola viri docti ſtudioſum, & impigerrimum depingam; ex qua pictura facile pigrum, ac ſocordem cognoſces. Contraria enim mutuò ſe declarant, iuxta Ariſtotelem. *Omnia apud nos tum ſeria, tum ludicra, etiam negotioſa litteris condiuntur. Inter prandendum de litteris agitur; cœna litterariis condimentis lauta ſunt. Inter ambulandum de litteris nugamur. Ne leuiores quidem luſus noſtri à litteris ſunt alieni. De litteris confabulantes ſomnus opprimit: dormientium litterata ſunt ſomnia: experrecti à litteris diem auſpicamur. Ludere mihi videor, non ſtudere, & tamen nunc demum ſtudere me ſentio.* Longè plura de ardore amoris ſui in litteras, earumque cultu acerrimo per annos duo detriginta Budæus epiſt. lib. 1. ad Thomam Morum pag. 247. *Ex quo tempore tanta alacritate operam litterarum ſtudio dedi*, & quæ ſequuntur.

XLVII. *Et regibus audienda veritas.*

Intrepidè.

PIrata captus Alexandro M. ſiſtebatur. Cui rex. Quanam re tu fretus audes infeſtare maria? Ille. *Ego quoniam id vnico nauigiolo facio, pirata nominor: tu cùm idem facias magna claſſe, rex appellaris.* Admiratus animum imperterrrtum Alexand. hominem vita donatum dimiſit.

Adducit hoc reſponſum Auguſtin. Ciuit. lib. 4. cap. 4. vocatq; liberam contumaciam. Ibi Leonard. Coquęus hæc in Commentar. Lucan. lib. 10. de Alexandro.

Terrarum fatale malum, fulmenq; quod omnes
Percuteret populos, pariterq; & ſidus iniquum
Exulibus.

Seneca lib. 3. natural. Quęſt. Philippi & Alexandri victorias latrocinia appellat, & addit. Qui exitio gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium, quàm inundatio, qua planum omne perfuſum eſt; quàm conflagratio, qua magna pars animantium exaruit. Certè cum bellum nō ante indictum, & denunciatum latrocinio ſimilius videatur, & Alexand. M. bella non prius indicere quam inferre ſolitus ſit, merito Legatus Scythicus, vt eſt apud Curt. lib. 7. ipſum qui gloriaretur ad latrones perſequendos venire, omnium gentium latronem eſſe dixit. Nec Apollodoro architecto quidquam datum eſt mali ab

Hadriano Aug. cum ille de architectura inepti-us quædam proloquenti reſponderet liberius, *abi, & cucurbitas pinge: nam tu hæc ignoras.* Pingendis quippe cucurbitis excellebat Adrianus. Lectum apud Xiphilinum.

XLVIII. *Captioſè loqui.*

Callidè.

THraſyllo Cynico ab Antigone rege Macedonum drachmam petenti reſpondit rex, *non eſt munus regium.* Illo excipiente, da igitur talentum; *at non eſt*, inquit, *Cynicum tale munus accipere.* Græcè melius. Θρασύλλα τοῦ κυνικοῦ δραχμὴν αἰτήσαντος αὐτὸν, ἀλλ' οὐ βασιλικὸν, ἔφη, τὸ δόμα. τοῦ δὲ εἰπόντος, οὐκοῦν τάλαντον δός μοι, ἀλλ' οὐ κυνικὸν, ἔφη, τὸ λῆμμα. Poſtulatoris improbitatē repulit, quem nullo dignum beneficio exiſtimabat.

Recitat hoc idem apophthegma 2. de Benef. cap. 17. & reprehendit his verbis Seneca. Turpiſſima eſt eiuſmodi cauillatio. Inuenit quomodo neutrum daret. In denario regem, in talento Cynicū reſpexit: cum poſſet & denarium tanquam Cynico dare, & talentum tanquā rex. Vt ſit aliquid maius, quàm quod Cynicus accicipiat, nihil tam exiguum eſt, quod non honeſtè regis humanitas tribuat.

XLIX. *Regum vitioſa indulgentia.*

Acriter.

AD Ludouicum XII. regem Galliæ accedebat, qui perpetrati homicidij veniam flagitaret. Rex facti enormitatem perpendens, & quod iam tertiùm id ſceleris admiſiſſet; te ne, inquit, veniam flagitare homicidij iam tertij? Et ecce ioculator, qui forte aderat. Quid, Domine, tertij? Imo primi duntaxat. Nam ſecundum, & tertium tua ſunt. *Quia ſi tu primum non condonaſſes, hic reliqua non perpetraſſet.*

Accommodatè ad illud Cicer. pro Milone. Maxima peccandi illecebra impunitatis ſpes. Item ad illud Publij in Mimis, *Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.* Seneca de Clement. lib. 1. cap. 22. In vindicandis iniurijs hæc tria Princeps ſequi debet: aut vt eum quem punit emendet: aut vt pœna eius cæteros meliores reddat; aut vt ſublatis malis ſecuriores cæteri viuant.

L. *Munificentia in amicos.*

Liberaliter.

PTolemæus Lagi F. maxima cum voluptate amicos ſuos locupletes faciebat, dicens, *melius eſt ditare, quàm diteſcere.* ἄμεινον εἶναι πλουτίζειν, ἢ πλουτεῖν. Ælian. lib. 15. cap. 13. Martial. lib. 5.

Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis,
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Etiamſi nihil donaueris amicis, tamen verum manet, Vbi amici, ibi opes. Cuius dicti hæc eſt ſententia. Plus habere momenti ad vitam tuendam amicos ſine pecunia, quàm pecuniam ſine

amicis.

amicis. Iam cum amici ſoleant certare beneficiis, ſi quid ipſis donaueris, & egueris, dubium non eſt, quin illud tutiſſimè ſit depoſitum, atq; ad te rediturum cumulatius. In monaſtichis, quisquis eſt.

Καλὸν δὲ θησαύρισμα κειμένη χάρις.

Theſaurus eſt bonus, repoſta gratia.

M. Antonius apud Rabirium poëtam perſanctè, cum fortunam ſuam ad alios emigrantem ingemiſceret. *Hoc habeo, quodcunq; dedi.* Hoc dictum commendans Seneca lib. 1. de Benef.ca. 3. O quantum habere potuit, inquit, ſi voluiſſet? Idem de vita beata, cap. 24. Nnunquam magis nomina facio, quàm cum dono. Quid? tu, inquis, recepturus donas? Immò non perditurus. Eo loco ſit donatio, vnde repeti non debeat, reddi poſſit. Beneficium collocetur quemadmodum theſaurus altè obrutus: quem non eruas, niſi fuerit neceſſe.

LI. *Adulatores.*

Grauiter.

ANtiſthenes affirmabat, *Meretrices bona omnia amatoribus ſuis comprecari, præter vnam mentem, atque prudentiam*: ita adulatores ijs quos affectantur omnia fęlicia ominari, præter ſapere, ac ſeipſos noſcere.

Lege Plutarch. de diſcrimine adulatoris, & amici. Item Max. Tyrij Diſſertat. 1v. in qua fabulam de Hercule in biuio, voluptate & virtute

ſuper eo contendentibus, ad amicum, & adulatorem belle transfert. Chryſoſtomi verba ſunt. Adulator omnis virtutis inimicus eſt, & quaſi clauum figit in oculo illius, cum quo ſermonem confert; eoq; magis cauendus eſt, quò ſub amantis ſpecie nocere non deſinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum illud luminis, quod adeſſe videbatur, extinguat. Quantopere auerſatus fuerit adulationes Tiberius Aug. aliquod exemplis patefecit Sueton. cap. 27. Quibus Principibus grauiter nocuerint aſſentatores, Paſſeratius præfatione in Curcul. Plauti pag. 43.

LII. Αγαμία glorioſa.

Salsè.

EPaminondas Thebanorum dux nunquam vxorem duxit. In quo cùm à Pelopida reprehenderetur, qui filium habebat infamem: maleque in eo ipſum patriæ conſulere diceret, quod liberos nõ relinqueret, vide, inquit, ne tu peius conſulas, qui talem ex te natum relicturus ſis. Neque vero ſtirps mihi deeſſe poteſt. *Namq; ex me natam relinquo pugnam Leuctricam; quæ non modò mihi ſuperſtes, ſed etiam immortalis futura eſt.* Æmil. Probus.

Vide apophtheg. XII. M. Tullius quoque iure gloriatus eſt, ſe natam ſibi in conſulatu ſuo filiam rempub. relinquere ſuperſtitem, extincta Tulliola. Pater enim patriæ meritiſſimò & habitus, & nominatus eſt; cuius illa memoranda, &

vera

vera vox Catilin. III. Rempub. Quirites, vitamque omnium veſtrûm, bona, fortunas, coniuges, liberosq; veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperij, fortunatiſſimam, pulcherrimamq; vrbem, hodierno die, deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, cõſilijs, periculisque meis ex flamma atque ferro, ac pæne ex faucibus fati ereptam, & vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis.

LIII. *Pecuniæ contemptus.* *Conſtanter.*

PHocio Athenienſis cùm à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere; ſimul admonentes, ſi ipſe facile his careret, liberis tamẽ ſuis proſpiceret, quibus difficile eſſet in ſumã paupertate tantam paternam tueri gloriã, reſpondit ſic. *Si mei ſimiles erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hãc dignitatẽ perduxit: ſin diſſimiles ſunt futuri, nolo meis impenſis illorum ali, augeriq; luxuriã.* Prob⁹.

Plutarch. & Ælian. pro Philippo, Alexandrum nominant. Munus aiunt fuiſſe talentorum centum. Addit Ælian. inſuper ei VI. vrbes propoſuiſſe, poſtulaſſeque vt vnam earum deligeret, cuius vectigalia perciperet. Arſenius ſolitarius, ſeu eremita oblatum ſibi dimidium Aegypti vectigalium ab Arcadio Imp. diſcipulo quõdam ſuo, vt diſtribueret quibus liberet, recuſuit, reſcribens, aut renunciari iubens, ipſum

commodius id facere poſſe, qui quibus rebus indigerent quibus imperaret, melius noſſet.

LIV. *Quid homini optimum.*

Piè.

FRidericus III. Imperator ſciſcitantibus, quid exiſtimaret homini optimũ, atq; vtiliſſimum, vt proinde illius adipiſcendi crebram, & multam cogitationẽ ſuſcipere oporteret, verbum Chriſtiano dignum edidit: *Beatus ex hac vita diſceſſus.*

Omnia Chriſtiano homini in extremo illo actu comœdiæ ſuæ poſita ſunt: cuius cataſtrophe qualis ſit, diligenter ei prouidendum. Qui autem lætam vult, & bonæ ſpei plenam, vitam bene, & piè tranſigat. Non enim poteſt malè mori, qui benè vixerit, vt ab Auguſtino dictum eſt. Qui ad id tempus vſque in flagitijs ætatem habuerunt, eorum pœnitentiam rarò eſſe veram credimus. *Beati igitur qui in Domino moriuntur.*

LV. *Eruditio efficit hominem.*

Literatè.

ARiſtippus aiebat, *Satius eſſe fieri mendicum, quàm manere indoctum:* quod ille tantùm pecunia egeret, hic humanitate. Nihilominus homo eſt, cui non ſuppeditat pecunia: at homo non eſt, eruditionis expers. Et tamẽ qui eget pecunia, ab obuijs petit: cui deeſt ſapientia, vt accipiat, neminem ſollicitat.

Tametſi

Tametſi eruditio multis conciliauit pecuniαs, & diuitias, eam tamen propter pecuniam,& diuitias quæri, vehementer indignum eſt; cùm æquè vt virtus propter ſe expetenda, ac ſibimet ipſa merces ſit.

Σοφία πολὺ κρεῖσσον κτῆμα τιμιώτερον.

Summis opibus pretioſior Sapientia.

An verò ſatis magna merces non eſt, quam illa dat, naturæ & ingenij perfectio?

LVI. *Homines non homines.*

Contemptim.

CVm quiſpiam balneum egredientem Diogenem rogaſſet, an multi homines ibi lauarent, negauit. Denuò interrogatus, an multa turba, confeſſus eſt.

Non habebat Diogenes pro hominibus, qui non pro dignitate hominis ſeſe gererent; quod multis & varijs modis fieri poteſt. Vnde & lucerna accenſa in meridie homines quæſitũ ibat. Sic Æſopus vnum tantum hominem in balneis ſe vidiſſe aiebat. Vide vitam illius.

ALIQVOT APOPHTHEGMATA HENRICI IIII. CHRISTIANISMI FRANCORVM REGIS.

CONSCRIPSIT Iuſta anniuerſaria, ſeu Conſolationem ad Reginam Galliæ ſuper obitu Henrici IV. Societatis noſtræ Presbyter Richeomius, ſumma cum grauitate, & copia, virtutiq; & meritis tanti Regis parem: ex qua nonnulla ab eodem Rege ἀποφθεγματικῶς, id eſt, prudenter, acute, lepide, & vrbane dicta deſcribam ipſis verbis, quibus è Gallico latinè Rhotomagi expreſſa ad nos peruenerunt.

LVII. *Muſica regum moribus aliena.*

Regiè.

NIhil vetare aiebat, quo minus regum liberi Muſicorum audirent acroamata; muſicam autem eos diſcere, aut fidibus canere nolebat; cum præſertim hæc ars nihil illis præterquam ad amatorias illecebras ſit profutura.

Huic idoneum eſt, quod lego apud Dionem, Chryſoſt. orat. 2. de regno. Neque ego regem duntaxat excellere oportere puto fortitudine, atque grauitate; ſed neque alios audire tibia, aut cithara ludentes, neque cantantes languida, & delicioſa cantica. Et, ſi indecorum eſt regi audire molles cantus, nunquid decorũ erit diſcere? Themiſtocles cum ut Muſicæ ignarus rideretur ab ijs, qui eius periti videbantur. At ego, inquit, lyram, aut pſalterium tractare neſcio; vrbem quam paruam acceperim, claram, & magnam reddere, id ſcio. Plutarch. in Pericle. Satis enim

eſt,

eſt, ſi vel audire vacet regi canentes alios; & Muſis abundè honorem habet, ſi in huiuſmodi artibus exercentes ſe ſpectet.

LVIII. *Regum duo inſtrumenta.*

Sollerter.

REgum propria in pace inſtrumenta ſceptrũ eſſe, & manum iuſtitię, in bello gladium. Hæc ijsdem regiè tractanda; hæc vnoquoque tempore vſurpanda prædicabat.

Quid aliud dixit, niſi quod Homerus verſu notiſſimo de Agamemnone, eſſe bonum regem, in pace videlicet, & fortem bellatorem, in prælio puta.

ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Et rector bonus eſt, & bello ſtrenuus idem.

Quem verſum Alexander M. ſemper in ore habuit, cæterisq; Homericis prætulit, cum diceret, Poëtam eo Agamemnonis virtutem commendaſſe, de ſe autem vaticinatum eſſe.

LIX. *Regalis muſica* τετράφθογγος.

Ingenioſè.

PRudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, temperantię, cæterarumq; virtutum temperiem, regiã planè cantilenam eſſe, ſaluberrimarum legum numeris aſtrictam; quam quisq; quaternis vocum modulis ſolus canere poſſit. Muſicas artes plebeiorum hominum, non regum eſſe.

LX. *Con-*

LX. *Contra pertinaciam.*

Sapienter.

PErtinaciam aiebat optimis imperijs eſſe *ini*micam,eandemq; vecordiæ,& ignauiæ ſobolem,quantumcunque prudentis hominis,& animoſi perſonam aſſumeret.

LXI. *Barbæ canities.*

Vrbanè.

TOnſor regis barbam dixerat ex altera parte magis caneſcere. Hanc, inquit, afflarunt aduerſę fortunæ venti.

LXII. *Scriptor ineptus.*

Acutè.

QVendam non bonū ſcriptorem,qui librum emittebat in lucem, vir apprimè nobilis excuſabat,quòd litteras non didiciſſet. Hæc excuſatio,inquit,gemina accūſatio eſt, ignorantiæ & temeritatis. Satius eſt tacere, quàm inepte loqui.

Arguit Cato quendam Romanum, qui *hiſto*riam græcè ſcripſerat, & culpam ſermonis, Romanis auribus alieni, ſi quā incurriſſet, deprecabatur. Cur maluiſti, inquit, culpam deprecari, quàm culpa carere?

LXIII. *Contra Hugonottos.*

Lepidè.

Medici

MEdici quidam inter ſuos doctrina, & auctoritate eminentes, ab hæreticis ad Catholicos tranſierant: quod cum audiſſet Rex, planè, inquit, depoſita eſt res Hugonottorum, quæ relinquitur à medicis.

LXIV. *Aduerſus eosdem.*

Feſtiuè.

SOrorem eius laudabat nobilis Caluiniſta, quod ſola pro hæreticis acerrimè pugnaret. Tum rex ſubridens: peſſimè ſe habet veſtra religio, cui colus telum, & dux fæmina.

LXV. *Pro Ieſuitis.*

Iuſtè.

INſectabatur calumniator Ieſuitas; quod optima ingenia eligerent, quæ in ſuam Societatem adſcriberent. Atqui virtutis eſt, inquit, in vnaquaque re ſumere, quod eſt optimum. Soleo & ego milites concenturiare quàm lectiſſimos. Opus eſt illis varijs, & ſumma virtue hominibus ad ſua munia obeunda, quæ parua non ſunt. Ex multis qui vltro ſe offerunt, deligunt magis idoneos. Quid tandem in eo mali eſt?

HACTENVS APOPHTHEGMATA Regis Galliæ Henrici IV.

LXVI. *Spe diues.*

Magnanimiter.

ALexander rex Macedonum, antequam in Aſiam tranſiret, diſtributis inter amicos, ac bene meritos regijs prouentibus, ac rebus ferè omnibus, dicenti Perdiccæ, ecquidnam tibi ſupereſt, ô rex, ſpes reſpondit; quæ vox magnanimitatis fuit indiciũ. Plutarch. de fortuna Alexand.

Adijcit ibidem Plutarch. Perdiccam reſpondiſſe; hæc nobis commilitonibus tuis futura cõmunis eſt: ac prædium quod ei Alexander aſſignauerat, fiducia fæliciter euenturę expeditionis recuſaſſe.

LXVII. *Lites reſcindendæ.*

Pacificè.

RVdolphus Habſpurgicus, qui poſtea Imp. cum ei plures lites cum pluribus eſſent, vna atque altera grauis cum Abbate S. Galli tunc potente: acceſſit vltrò, & inuocatus ad eius conuiuium. Mirante illo atque alijs (nam & inimicitiæ, vt ſolet, ex lite ortæ erant) ipſe conſtanter perſedit, & in fine conuiuij cum Abbate ſeorſum locutus transegit, pacem cum eo pepigit, ita fidam vt Abbas poſtea auxilio etiam ei in bellis fuerit; quæ minuta (nam Comes adhuc erat) cum vicinis habebat. Sed vox eius abeuntis excepta à familia-

milliaribus eſt, totidem his verbis: *Quicunq; tres lites habet, duas, ſi poterit, componat: hoc eſt meũ conſilium.* Lipſius epiſt. 78. Cent. 3. Miſcell.

LXVIII. *Fallacia beneuola.*

Humaniter.

STratocles orator deuictis prælio Athenienſibus, ſuamq; fortunã ignorantibus victoriam nuntiauit. Re autem poſtmodum, ſicut erat, intellecta, popularibus indignantibus ita reſpondit. *Qui vobis ciues mei iniurius fui, ſi bidui triſtitiam, me auctore, lucrifeciſtis?*

Si remis, & velis fugienda triſtitia, quia vtilitatis nihil habet, damni plurimum, ſi præſertim diuturnior fuerit, etiam falſus lætitię nuntius haud ingratus nobis debet accidere. Et optabilior eſt dies vnus gaudij plenus, quàm decẽ mœſti.

LXIX. *Boni filij pulcherrima mulieris opera.*

Grauiter.

CUm Ionica quępiam mulier quoddam ex ſuis textis tanquam pretioſum oſtentaret, Lacæna quatuor ſuos filios, qui maximè compoſitis moribus erant, contrà oſtendens, *Talia,* inquit, *honeſta, probaq; mulieris opera eſſe oportet, & propter hæc efferri, atq; iactantia vti.*

LXX. *Stultus irriſor contemnendus.*

Sapienter.

QVædam Lacæna, cum filius eius ex acie redijſſet ita vulneratus, vt quadrupedis inſtar gradi cogeretur,& eum eſſe riſui puderet, dixit: *Quanto verò ſatius eſt, fili, ob virtutem exultare, quàm ob ſtultum riſum pudore affici?*

Præclarè, & grauiter locutam Sp. Caruilij matrem exiſtimat Antonius 2. de Orat. Nam cùm ille ex vulnere ob rempub. accepto grauiter claudicaret, & ob eam cauſam verecundaretur in publicum prodire, Quin prodis, mi Spuri? inquit, Quotiescunque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum in mentem veniat.

LXXI. *Vita coniugalis proteruiæ domitrx.*

Prudenter.

CArolus V. Imperator cum alicuius actibus offendebatur, qui præter cauſſam petulantiores,proteruioresq́; cenſerentur, ſi iuuenis & cælebs erat,dicere ſolebat:vtinã ille vxorẽ haberet.Quibus verbis indicabat,in matrimonio tantam eſſe rerum omnium, & actionũ ſeruitutem, vt proteruulus ille facile ſe ipſum noſſe, & in gyrum rationis deduci,cõuertique poſſet. Vexatio enim dat intellectum. In vita ipſius lib.3.

LXXII. *Neruus belli præcipuus.*

Militariter.

IdemImp. tres belli neruos aiebat eſſe, commeatum,pecuniam,& militem. Si aliquo horũ

caren-

carendum foret, militem ſe veteranum electurum, bellumque ſine reliquis duobus adminiſtraturum: reliqua enim duo ſe hoſtibus facile ereptuturum promptitudine, & alacritate veteranorum. Lib. 5.

LXXIII, *Septem alia eiuſdē regia apophthegmata.*

I. Quemadmodum Saturnus, ex VII. Planetis altiſſimus tardiſſimè circumuoluitur: ita Monarchas Auſtriacos, qui ſumma inter homines functione vterentur quam minime præcipites eſſe oportere. II. Vt ſol non alius eſt inopi, alius locupleti, ſed omnibus æquus & communis: ita Reges non perſonam, ſed rem ſpectare debere, iuſtitiamque & beneuolentiam omnibus ciuibus ſuis æqualiter præſtare. III. Sicut Solis defectio magnorum motuum argumentum plerumq; trahit: ſic Regum errores etiam mediocres magnam rebus humanis perturbationem afferre. IV. Vt idem Sol ceram liquefacit, lutum indurat: ita eandem Regis liberalitatem alios reddere meliores, alios ingratiores, & nequiores. V. Quemadmodum luna quo propior eſt Soli, hoc minus habet luminis, minusque irradiatur: ita quoſdam quo propius eſſent ad latus Regum minus irradiari, minusque diteſcere, & inaurari. VI. Vt luna præcipuè mouet inferiora, non quod efficacior, ſed quod vicinior: ita multum habere momenti ad mo-

tus belli ſedandos pacemque curandam vicinitatem Regis. VII. Veluti quædam fulmina æs, ac ferrum liquefaciunt, ne cera quidem confuſa: ita diuinam vim, ac regiam poteſtatem in obſiſtentes ſæuire, mollibus & cedentibus, parcere.

SYNTAGMA QVARTVM.

PRISCI RITVS, ET CONSVETVDINES TVM EXTERNÆ, TVM CHRISTIANÆ.

Præfatio.

IN rebus, & actionibus humanis nihil opinor reperiri, in quo tanta, tamq; multiplex, & incredibilis, quam in ritibus, moribus, inſtitutis, conſuetudinibus cernatur diuerſitas. Proinde haud equidem ſcio, an quidquam tali varietate delectabilius ad cognitionem inueniri poſſit. Ad cognitionem, inquam, à corpore ipſo hiſtoriarum, aliarumq; ſcriptionum, & tractationum, quibus immiſcentur, abſtractam, & diuulſam, & legentibus ſolitariè, peculiaribus ad id libellis videlicet, propoſitam. Non idem modò non eodem modo, in ſacris iuxta, ac profanis aliter agit, tractat, exercet, vſurpat alia gens, alius

populus

populus; alia ciuitas: ſed permulta quoq; & faciũt, & probant, & ſolent alii, quæ præterea nulli. Atq; vt non pauca (in barbaris præſertim, feriſq; nationibus) damnare, & corrigere: ſic viciſſim in excultis, manſuetis, ac moratis non omnia commendare queas. In utraque parte Volum. III. Dialogorum meorum, in ordine Miſcellorum, ex Hartungo, Lipſio, Turnebo, Victorio ritus excerptos in medium propoſui XLVII. tantummodò: hic alios ex aliis fermè, iiſq; compluribus, & numero longè cumulatiores, profero. Feci hoc idem in iſtis hiſtoriarum, apologorum, ſalium Syntagmatis, de quibus annis abhinc amplius triginta ſingula Progymnaſmata, in illis quarum nunc memini partibus Dialogorum inuenies. Præterea illic per colloquium, hic verò μονοπροσώπως ſeu αὐτοπροσώπως, vt melius dicam, & ἐξηγητικῶς, non etiam δραματικῶς res diſſeruntur. Poſtremò non hîc latinitas rudioribus monſtranda, vt totis Dialogis meis quotcunque, qualeſcunque ſunt: ſed iucunditas, & guſtus quidam voluptatis ingenuæ, ceu in bellariis, ſecundiſue menſis, appoſitè nimirum fini, ac ſcopo meo quæritur, captatur, offertur. Ad incrementum porrò, & tanquam auctarium noticiarum illarum, hiſtoriarum, puta, apologorum, &c. illorum quoque dialogorum meorum lectionẽ ſi adiungere non pigueꝛit, faxo conſilium meum tibi bene eueniſſe præ te feras.

I. *Tolerantia, Dei munus.*

LAcedæmonij deos rogantes addebant precibus, ac votis ſuis, vt poſſent tolerare iniurias. Neminem quippe vel ad imperium adminiſtrandum, vel cæteroqui ad res magnas conficiendas idoneum cenſebant, qui quauis iniuria commoueretur.

Dignum duxi morem hunc primo loco; eſt enim ſanè laudabilis, magniq; & fortis animi certum argumentum. Fortiores iudicandi qui dura, & grauia cum æquanimitate patiuntur, quàm qui ardua, & præclara moliuntur. Nec verò quidquam adeò decet hominem Chriſtianum. Noſtrum ſiquidem eſt, quod quidam ſapiens dixit, bona facere, & mala pati. Frequentes etiam cohortationes ad perferendas iniurias occurrunt in diuinis litteris, & ſanctorum Patrum monumentis. Vnicum locum ex auctore ſuper Matthæum tolle tibi. *Quicquid à quolibet homine paſſi fuerimus iniuſtè, aut remiſſionem accipiemus omnium peccatorũ: aut ſi tanta in nobis delicta nõ fuerint, clarioribus honorabimur coronis.*

II. *Gentium varietas in ſupplicando.*

RItus præcipuus, & irrefragabilis ſupplicandi apud Perſas habebatur, ſi ſupplex ſumpto igne flumen ingreſſus, minatus fuiſſet ſe

ignem

ignem aquæ immiſſurum, niſi voti compos fieret. Hoc eò ſpectabat, quod apud eos ſacroſancto in honore ignis eſſet. II. Apud Aſſyrios ſupplicans, incuruatis membris humum pæne vultu contingebat, manibus poſt tergum reiectis, connexiſque. III. Apud Scythas maximũ ſupplicandi genus erat, ſi quis extenſo humi corio bubulo, reiectis in dorſum manibus deſideret. IV. Apud Iudeos ſupplex manum ſubijciebat femori eius, cui ſupplicabat. V. Apud Græcos oleaginas virgas ore, manuque præferebant ſupplices, lana circundatas; vnde ἱκτήειοι κλάδοι apud Æſchylum, ſupplices rami, & ἱκετηρίαν oliuæ ramum à ſupplicando Græci nominant, quem εἰρεσιώνην cæteri. VI. Macedones ἐχεσάρκῳ tunica, quam ſubuculam dicimus, ſola induti ſupplicaſſe dicuntur. VII. Antiquæ Græciæ in ſupplicando mentum eius, quem deprecabantur attingere mos erat. Apud Homerum & mentum, & dextram, & genua contingunt ſupplices. Ac mentum quidem, vt annueret, aut pro deprecante intercederet, ſi quid faciendum foret ex vſu: dextram, vt faceret: genua, vt ne ceſſaret, ſed pergeret. De genibus, quod ea ſupplices attrectabant, multa apud auctores mentio: certè miſericordiæ ſedem in genibus conſecratam fuiſſe à vetuſtate narrat Seruius. VIII. Ad focum ſedentes verbum nullum faciebant, ſilentio animi demiſſionem conteſtati. De his copioſius Adrian. Iun. lib. 2. cap. 11.

III. *Senes valida mente, viribus inualidis.*

MErcurij ſtatuas ſenili habitu faciebant, manibus, pedibusq; truncatis, arrectis tamē membris. Quo commento latenter monebant, in ſenibus miniſteria corporis haud multum requiri, modò mentem non inertem, & fœcundam gererent. Plutarchus lib. Num ſeni gerenda reſpub.

Pauca depromam ex Catone Ciceronis. Non ſunt in ſenectute vires; ne poſtulantur quidem à ſenectute. Conſilium, ratio, ſententia conſtant in ſenibus, quæ niſi in illis eſſent, ſummum conſilium maiores noſtri non appellaſſent Senatum. Manent ingenia ſenibus, modò permaneant ſtudium, & induſtria. Neq; ea ſolum in raris, & honoratis viris, ſed in vita etiam priuata, & quieta.

IV. *Humanitas in capitales.*

ALexandrini reges capite damnatis, pridie quàm ſecuri ferirentur, munuſcula quædam mittebant, quibus videlicet erga carceris cuſtodes, aut à quibus beneficij quippiam accepiſſent, gratos ſe oſtenderent. Pierius.

Hinc fortaſſis nata conſuetudo quibusdam in ciuitatibus Germaniæ, ad vltimo ſupplicio poſtridie afficiendos mittendi cœnas lautiſſimas: vt qui ſummus iam eos inceſſit dolor, ac mœror, iſta guſtus voluptate quoquo modo leniatur; & tan-

tantiſper ſaltem auertatur animus à cogitationibus acerbiſſimis.

V. *Fraterna concordia.*

IN Græcia mos fuit, vt ſi duo fratres vnà ambulantes ad lapidem fortè in itinere excitatum deuenirent, ne ſeiuncti medium illi locum cederent: ſed ambo, vt erant iuncti, eodem latere lapidem circumirent. Obſcurùm puto nemini, quid vellet hæc ambages, nempe, ne fratres vlla diſſenſione, & diſcrepantia voluntatum, ac ſententiarum animos ſuos disiungi, diuelliq́ue paterentur. Quod ſi quando offenſio aliqua interueniret, illam iunctim circumirent, hoc eſt, diſſimularent, eamq; deponerent, & obliuione ſempiterna obruerent.

Quod Geryonem antiqui tricorporem, ac tricipitem finxerunt, *μυθολογικῶς* hoc volebat, vnà cum duobus quos habebat fratribus, in charitate, fide, concordia maxima vixiſſe, vt vno vocabulo Geryones dicerentur, & vnam animã poſſidere crederentur. Alciatus emblemate 40.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta ſimul pietas mutua, & vnus amor:
Inuicti humanis vt viribus ampla tenerent
Regna, vno dicti nomine Geryones.

VI. *Imago Imperatoris.*

Romani

ROmani Impp. cum hoc nomen, & Auguſtorum dignitatem ab exercitu ſalutati conſequerentur abſentes, ſoliti ſunt propriam effigiem ad vrbem mittere, quo ſeipſos S. P. Q. R. facilius inſinuarent. Crinit. lib. 17. cap. 10.

Honorius Auguſtus Conſtantium ducem, Placidiæ ſororis virum imperij conſortem cum aſciuiſſet, imaginem eius ad Theodoſium iuniorem collegam Conſtantinopolim miſit. Quam tamen is recipere detrectauit; quia nimirum, tametſi vir ſtrenuus, tamen genere longè impar. Sigon. de imp. occid. lib. 11. Sic Maxentius ſuam in Africã miſit, lib. 2. VII. Kalend. Maij 603. imagines Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum Romam de more delatæ ſunt. Quibus in conſpectum productis, Clerus & ſenatus in Laterenenſi baſilica Iulij lætitia geſtiens acclamauit, Exaudi Chriſte. Phocę Aug. & Leontiæ Aug. vita. Inde iuſſu Gregorij in oratorio S. Cæſarij mart. in palatio ſunt repoſitæ. Sigon. de reg. Ital. lib. 1.

VII. *Perplexi, & meditabundi.*

CApue fricare conſueuimus, cum hæremus animo in re aliqua, dubitamusq; quid faciendum nobis ſit. Victor. lib. 8. cap. 6. Scabere caput dixit Horat. agens de Lucillio, epiſt. ad Piſones, ſiue de arte poëtica. Vngues rodunt in altiſſima cogitatione defixi. Faciunt idem quos facti pœnitet, & qui vltionem meditantur. Propert. lib. 3. eleg. 25. *Vngue meam morſo ſæpe querere fidem.*]

VIII.

VIII. *Diſcolor veſtis.*

DIſcolore veſte vtebantur, qui aliquid publica auctoritate facerent, vt etiam hodie. Pithæus lib.1. cap.2.

Auguſtæ morem hunc teneri videas in miniſtris publicis, ſiue apparitoribus, cum viris principibus nomine Senatus lautia præbentur, vinum generoſum multis cantharis, & piſces nobiles videlicet.

IX. *Primitiæ, & Calpar.*

EX meſſe fruges prȩmetebantur ad ſacrificium. Et quod de vino recenti primum, atq; ad ſacrificium promebatur, calpar dicebatur. Feſtus. Carrio Emendat. lib.2.

X. *Morituri.*

MOrituri prius inſignia, & ornamenta ſua deponebant, ne cum his, & in his morerentur. Ex Æſchylo, Euripide, Statio, Gulielm. Canterus lib.3, cap.9.

XI. *Iusiurandum.*

SCythis mos fuit iurare per regium ſolium, cū maximum, & religioſiſſimum iusiurandum concipere vellent. Herodotus lib.4. Reges per ſceptrum, idque ſanctiſſimum iuramentum ducebant. Sic Achilli iurat Agamemnon apud Homerum 1. Iliad. ἀλλ᾽ ἔκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι

ὄμνυμαι, ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, &c. Id eſt, Sed tibi edico,& inſuper magnum iusiurandum iuro, ſanè per hoc ſceptrum, &c. De diuerſis gentium iurandi modis Alexand. ab Alex.lib.9.cap. 10.

XII. *Diuina tutela.*

REges & Imperatores cenſebantur eſſe in tutela Iouis, vt viri militares in tutela Martis, opifices in Mineruæ. Turneb.lib.29.cap.29.

Cenſebatur quippe plurimarum artium præſes Minerua, non litterarum, & ſapientiæ tantùm. Quocirca Ouid. ſub finem 3 Faſt. eam varijs artificibus venerandam proponens, & ſe quoque cum ſtudio ſuo illi comẽdans, ita locum claudit.

Mille dea eſt operũ: certè dea carminis illa eſt.
Si mereor, ſtudiis adſit amica meis.

Reges autem quoties Homerus διοτρεφέας à Ioue nutritos, hoc eſt, in ejus fide, & cuſtodia poſitos appellat?

XIII. Χειροτονία.

PLebiſcita,& pſephiſmata in Græcia ita fiebãt, Per præconem edicebatur, vt qui hoc ſentirent, manus tollerent: atque ita clamore multitudinis, & ſublatione manuum de rebus grauiſſimis temerè, & inconſulto decernebatur. Muret. lib.10. cap.9.

XIV. *Equitatio.*

Nobi-

NObiles pueri arietum dorſis impoſiti equitare diſcebant. Victor.lib.8. cap.9. Si pueri equitare dicuntur, cum ſubiecta lumbis arundine longa diſcurrunt: cur non potius quamuis arietibus inſidentes equitare dicamus? Inſidentes aſino, aut mulo, nunquid aſinare, aut mulare ſanus quiſpiam dixerit?

XV. *Dimenſum.*

QVaternos olim frumenti modios quolibet menſe ſerui à dominis ſolebant accipere. Plaut. Sticho. *Vos meminiſtis quot calendis petere dimenſum cibum.* Id eſt, ſingulis, vt quotannis Brod.lib.2.cap.15.

Et alludit idem Plaut. prologo Menæch. ſignificans ſe in fabulæ illius argumento explicando diſertum, atque vberem futurum.

Nunc argumentum vobis dimenſum dabo,
Non modo, neq; trimodio verùm ipſo horreo.
Tanta ad narrandum ſuppetit benignitas.

A Græcis σιτομέτριον dicitur, quaſi frumenti menſura. Luc.12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator* (οἰκονόμος) *quem conſtituet dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* Reddi poterat, vt det illis in tempore dimenſum, Bud. in Pandect.

XVI. *Feſtum* ἑπταήμερον.

TOta paſchalis hebdomas ab antiquis Chriſtianis feriãdo trãſigebatur. Quod etiã præcipiunt

piunt Imppp. Carolus M. Ludouicus, Lothariꝰ us in legibus ſuis, cap. de feriarum obſeruatione; Vide B. Rhenan. in Tertull. de corona militis.

XVII. *Superſtitio.*

VEteres cum deos nominibus ſuis inuocantes appellabant, timentes ne apud eos offenderent, ſi forte non ſuo, nec grato illis nomine vocaſſent, ſæpe veniam errati petebant; totosq; ſe ad eorum voluntatem referebant, in arbitrio ipſorum ponentes, vt è multis id nomen aſciſcerent, quo magis delectarentur, ſuæq; inſcitiæ ignoſcerent. Fecerũt hoc Catullus, Æſchylus, Euripides, &c. Vict. lib. 13. cap. 2.

XVIII. *Flores, & odores in theatro.*

COnſuetudo apud veteres fuit, vt cum fabulæ agerentur, flores ibidem, aliaq; odoramenta ſpargerentur. Crinit. lib. 18. cap. 4. Et crocum & vinum. Spartian. in Adriano. In honorẽ Traiani balſama, & crocum per gradus theatri fluere iuſſit. Vide Alex. ab Alex. quibus rebus theatrum exornarent lib. 15. c. 16.

XIX. *Victi.*

VIcti in certamine gladiatorio tollebant digitum, quo indicio ſe victos palam fatebãtur, clamante victore ἆρε δάκτυλον. Sicut porrò in certamine, & pugna deditionem, ac τὴν ἧτλαν, ita in auctionibus, & locationibus tollendo digito

gito ſe emptorem,& conductorem quis ſignificabat. Facetè Martialis,nihil de ſupellectile ſua ſibi ſupereſſe, totam conſumptam, victam, perditam indicare volens,ac proinde hoſpites,vt ſolebat, amplius ſe accipere non poſſe, lib.5. epig. 63. *Nam mea iam digitum ſuſtulit hoſpitibus.*

XX. *Sacrum ἄναιμον.*

GEnio nullũ animali immolabant, nec Palilibus,Robert. Titius Controuerſ. lib.1. ca.6. Non enim conſentaneum videbatur,quo die lucem ipſi accipimus, eodem alijs adimere. Genius autẽ habebatur Deus, in cuius tutela vt quiſque natus eſt viuit. Nos vnumquemq; noſtrum ſimul ac naſcitur, Angelo à Deo cuſtodiendum committi credimus. Palilibus autem, quod eo die Roma condita eſſet.

XXI. *Imploratio populi.*

VEteres, cum in extrema calamitate conſtituti,opem & auxiliũ populi implorare vellent (quemadmodum illa mulier apud Comicũ, *Adeſte populares, ferte auxilium, inopi ſubuenite*) clamabant, Porrò Quirites. Turneb. lib.13.c.22. Theodor. Canter. variar.lib.1. cap. 3. Diuerſum narrat B. Rhenanus Notis in Tertullian. contra Valentin. Porrò Quirites ſolitos clamare baiulos, admonentes obuios, cauerent, ne cui ſarcinam impingerent.

XXII. *Velum in tribunali.*

VT apud Eccleſiaſticos ſcriptores obſeruaui, cum res altiore indagine, & examine indigeret, Iudices velum quoddam tribunali prętendebant. Quæ res, non liquere, iuſtamq; cauſſæ cognitionem adhibendam, quæſtionemúe, ſi iudiciũ criminale fuiſſet, per plures dies exercendam argumẽto erat. Hieronym. Magius, li. 2. c. 5.

XXIII. *Aqua ad bibendum ex Choaſpe flumine, & vinum Chalybonium.*

PErſarum reges vnius Choaſpis fluuij, Suſa prę-terfluentis aquam potabant. Ideóq; ea vna ex omnibus aqua decocta, & in argenteos vrceos, ſeu vrnas condita, quacunque iter facerent, multis quadrigis vehebatur. Erat enim & leuiſſima, & ſuauiſſima Herodot. lib. 1. Athenæus lib. 2. Solin. cap. 41. Vt autem aqua non omni, ita nec vino quolibet, ſed eó tantum Chalybonio, ex Syria aduecto vtebantur. Atq; hoc vino inebriari ipſis ſemel quotannis licebat. Idem Herodot. lib. 1. & Briſſon. de regno Perſarum lib. 1. Reges Parthorum non alia vtebantur aqua quam fluminis Eulæi; non alio pane quam ex Aſſo Æolica, frumento ſcilicet inde aduecto. Strabo lib. 15.

XXIV. *Exemplo vitium, aut culpam tegere.*

Stulta

STulta quædam conſuetudo eſt ignauorum, & nullius pretij hominum, cùm quid ignaue, indecoreque fecerunt, ſi oſtendere poſſint, magno alicui, ac præclaro viro idem quoquo modo contigiſſe, vt id ſatis ſibi eſſe, aut ad defenſionem, atque excuſationem, aut etiam ad gloriã, & commendationem arbitrentur. Sic iocans alicubi Martialis, quendam qui malos verſus faciebat, etiam laudandum eſſe dicit, quod ea in re Ciceronis ſimilis ſit. Sic inepti olim quidã, cum illud impedimentum linguæ, quo Demoſthenẽ laboraſſe legerant, imitarentur, germani ſibi Demoſthenes videbantur. Sic Platonis paulo elatiores humeros, Ariſtotelis vnam τραυλότητα qui ſtudioſè effingerent, multi erant, & quæ ſequuntur toto illo capite apud Muretum. Eſt autem 10. lib. 10. Percurre inſuper cap. 2. lib. 2. variar. Bernardi Martini.

XXV. *Oſculo accepti honoribus aucti.*

OSculo impertiebant parentes filios ſuos, honores, aut magiſtratus adeptos, itemq; propinqui, & amici, &c. Arrian. Diſſert. li. 1. c. 19. ἠξίωταί τις δημαρχίας, πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται· ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. Mandatus eſt cuipiam Tribunatus? omnes obuij eidem gratulantur: & alius oculos, alius collum, ſerui manus oſculantur. Idem fiebat in Curia. Plut. Bruto. Plinius Panegyr. Cic. pro Muræna. Caſaub. in Iul. Suetonij.

XXVI. *Miſſilia ni ludis.*

OLim Cæſares Romani cùm ludos darent, tum alia publicè in populum effundere miſſilia ſolebant, tum teſſeras quaſdam ligneas proijcere, quæ vel frumenti, vel pretioſorum vaſorum, vel equorum, vel ſeruorum, vel veſtimentorum haberent nomen inſcriptum, ſic, vt quâcunq; quis harum nactus eſſet, ea ad certos homines relata, quod erat inſcriptum, dono acciperet, &c. Gulielm. Canter. lib.5.cap.21.

Sueton. in Claudio, cap.11. Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies, ſingula quotidie millia. Auium cuiusq; generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mãcipia, iumenta, atque etiam manſuetæ feræ: nouiſſimè naues, inſulæ, agri. Sparſiones & Seneca vocat. Quæ ſint miſſilia Fortunæ, & quid velit prouerb. Exſpectare miſſilia, docet Rhodigin. lib.26.cap.6.

XXVII. *Oſculandi genus.*

SOlebant pueri parentes, aut alios, vel amantes inter ſe, alterius auribus apprehenſis oſculari. Id illi χύτραν, ſiue ollam appellabant; credo, quod in eo geſtu vt caput ollæ, ita aures anſarum formam referre videbantur. Canter. lib.6.ca.25. Aſperrimæ ruſticitatis notati ſunt Naſamones, qui ne filios quidem ſuos oſcularentur.

XXVIII. *Stigmatiſmus.*

VEteres ſeruorum facies, ſi quid grauius deliquiſſent, pœnę nomine aut litteris, aut alijs notis per ignominiam inurebant. Brod. li.4. cap.24. Locus inuſtionis fuit frons. Ipſum inurere dicebant inſcribere. Sic inſcriptos, ſtigmaticos. Quæ fuerint notæ, ſeu litteræ, quærit Laurent. Pignorius, libro dę ſeruis, anno antegreſſo Auguſtæ Vindel. edito, pag.20.

XXIX. *Luctus publicus & priuatus.*

LVctus publicus finiebatur in dedicatione ædis, in condendo luſtro, cùm votum publicè ſuſceptum ſolueretur. Priuatim complura in vnum congruebant, quæ omnem familijs luctum abolerent: hoc eſt, cum liberi naſcerentur: cum nouis honoribus familiam honeſtarent: cum pater, aut filius, aut vir, aut frater ab hoſte captus domum redirent; cùm puella deſponſaretur: cũ propiore cognatione aliquis naſceretur, quàm ille, cuius nomine luctus fuiſſet. Crinit. lib. 19. cap.12.

XXX. *Satisfactio, & palinodia.*

IN conſuetudine apud veteres poſitum fuit, vt qui alicui malè precatus fuerat, is ſi eum placare, eique ſatisfacere vellet, optaret eo præſente, vt in caput ſuum reciderent ea, quę in ipſum dixiſſet. Muret.lib.12.cap.4.

Idem Comment. in epigr. xxx. Catulli, ſatisfacere hanc habere vim affirmat, teſtibus præſentibus confirmare, pœnitere ſe quod hæc dixerit, ſcripſerit; id quod ſatis ex Amphitruone Plauti, & Terentij Adelphis, & Cicerone pro Roſcio Comœdo intelligi poſſit. Satisfactionē veteribus vſitatam in cauſis maximè iniuriarum, & priuatim adhiberi cum iureiurando ſolitam, obſeruat Scipio Gent. in Apuleium. Iuro te indignum hac contumelia eſſe, vel videri. Palinodia fiebat ſine iureiurando. In qua ſolemne fuit, vt quis ſe inclinaret capite nudo, vt Steſichorus apud Platonem in Phædro. πειράσομαι αὐτῷ ἀποδοῦναι τὴν παλινῳδίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ.

XXXI. *In ſcutum leuatio.*

NOn barbarum tantum gentiū, ſed ipſorum aliquando Romanorum moris fuit, vt quē Imperatorem facerent, eum in altum tollerent. Marcellin. lib. 10. de Iuliano, à Gallicanis militibus Principe renunciato. Impoſitusq; ſcuto pedeſtri, & ſublatius eminens, populo ſilente Auguſtus renūciatus, iubebatur diadema proferre. Sunt & alia huius moris exempla plura in Græcorum annalibus, &c. Pithæus Aduerſar. li. 2. c. 6 De Conſtantinopolit. Imp. Codinus hæc. Poſtea Imp. nouus ſcuto inſidens in altum extollitur, & ſpectandus exhibetur omnibus deorſum ſtantibus. Tenent autem anteriorem partē ſcuti tum ipſe pater eius qui renunciatur, ſi viuit, tum Patriarcha.

triarcha: latera verò, & poſteriorem partem ij, qui ſummas dignitates obtinent: ſin minus, potentiſſimi Principum, & nobiliſſimi. Vbi populus, & milites fauſtis acclamationibus vſi ſunt, deſcendit ille de ſcuto, deducitúrque in ædem S. Sophiæ, vbi illum oportet coronari.

XXXII. *Seruuli & ſeruulæ.*

VT adoleſcentibus ſeruuli cuſtodes dabãtur, ita puellis ſeruulæ, quæ in lanificio vnà eſſent, eas ſectarentur, & curarent: ij, eæque, vt Iureconſulti loquuntur, peculiares illis plerũq; erant, hoc eſt, in peculio. Ian. Gulielm. lib. 2. c 17.

In Capt. Plauti Stalagmus ſeruus de Hegionis filio, quem ei fugiens paruulum abſtulerat, & in Alide Philocratis parenti vendiderat. *Nam tibi quadrimulum tuus pater peculiarem paruulum puero dedit.* Et in prologo.

Hic poſtquam hunc emit, dedit eum huic gnato
Peculiarẽ, quia quaſi vna ætas erat. (*ſuo*

XXXIII. *Velatio vultus.*

MOris Perſarum erat, ſi quando rex cuipiam iraſceretur, vt miniſtri vultum eius illico obnuberent: tanquam videlicet indigni, qui regem oculis aſpiceret, aut quem rex intueretur. Colligitur ex lib. Heſther, cap. 7. vbi ſic ſcriptũ extat. Nec dum verbum de regis ore exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius, Amanis videlicet, quem regina accuſauerat. Druſ.

XXXIV. *Caluitium diſsimulatum.*

VEteres cum capite nudo eſſent, & caluitium vrbanorum dictis eſſe obnoxium experirẽtur, ad id celandum inſtituerunt pelles quasdam parare, appoſitis crinibus humanis, ſic vt aptata cuti cutis vera, non coma aſcititia videretur. Iis pellibus vſi viri, & fœminæ. Tertullianus de cultu fœminar. Affigitis prĉterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis; nunc in ceruicem retro ſuggeſtum. Auien.

Nam mox deiecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.

Caſaub. in Sueton.

XXXV. *Manumiſsio.*

IN manumiſſione ſerui vertebantur, circumagebantur, circumducebantur. Vnde vertigo, circumactio, circumductio pro manumiſſione apud bonos auctores. Seruabatur autem in vertigine, & circumactione illa verborum formula, *Liber eſto, atque abito quò voles.* Tornorup. in 5. ſat. Perſij. Politian. Miſcell. cap. 98.

Qui ex ſeruitute in libertatem vocabatur, raſo capite ad Prætorem ibat, apud quem bis terque caput percuſſus, vel per lictorem percuti iuſſus, virgula quæ vindicta appellata eſt, aut feſtuca in eum iacta, quum eum vertiſſet dominus, præto-

prætoris iuſſu ſeruitute eximebatur, quiq́; libertatem eo modo nactus fuerat, manumiſſus vindicta dicebatur; quo genere manumiſſionis libertatem, & ciuitatem Romanam aſſequebatur. Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 10.

XXXVI. *Prænuntius ab amicis, & à marito.*

MOs fuit Romanis, Græcisque, cum ad aliquem amicorũ viſerent, vt nuntio miſſo aduentum ſuum ſignificarent. Plin. lib. 1. epiſt. Euigilaueram: nuntius à Spurinna: venio ad te. Coimus in porticum Liuiæ, cum alter ad alterũ tenderemus. Theophraſt. καὶ πορευομένῳ πρὸς τίνα τῶν φίλων, προδραμὼν εἰπεῖν, ὅτι πρός σε ἔρχεται. καὶ ἀναστρέψας, ὅτι προσήγγελκα. Apud Romanos verò etiam maritus rure, aut peregrè domum reuertens, mittebat qui aduentum ſignificaret vxori, vt auctor eſt Plutarch. in q. q. Rom. quæſt. 9. moris huius tres cauſſas proferens. Ac videtur hoc munus fuiſſe eorum ſeruorum, quos anteambulones vocat Martialis. Terent. *Abi Geta, prænuntia.* Tibull. 1. eleg. 3.

Tunc veniam ſubitò: nec quisquã nuntiet ante:
Sed videar cælo miſſus adeſſe tibi.

Auctor Comment. in Theophraſti Characteres morales. Nannius lib. 2. Miſcellan.

XXXVII. *Coniugij Symbolum.*

COrnices ad mortem vſq; pertinaciter obſeruant legem cõiugij, eaq; de cauſa in nuptijs

auſpicatò concordiæ, ſocietatisq; præſagio accl-
nere identidem cõſueuerunt, *ἐκκόρει κόρη κορώνην*, hoc eſt, euerre virgo cornicem, atque elimina. In omen enim ſiniſtrum abijt ſolitariæ cornicis occurſus, veluti viduam portendentis vitã. Iunius lib. 1. c. 1. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. & quos ibidẽ adducit auctores Tiraquellus.

XXXVIII. *Lotio pedum.*

HOſpitibus lauare pedes ſolemne fuit Hebręis. Abraham Geneſ. 3. angelis ad ſe diuertentibus lauat. Chriſtus Simonem leproſum de hac omiſſione reprehendit apud Lucam cap. 7. Nannius lib. 4. pag. 95. Paulus 1. Timoth. cap. 5. de probata vidua. *in operibus bonis teſtimonium habens: ſi filios educauit; ſi hoſpitio recepit; ſi ſanctorum pedes lauit.*

XXXIX. *Sepultura Pythagorica.*

PYthagorici defunctos in myrti, oleæ, & populi nigræ folijs ſepeliendos præcipiebant. Magius lib. 2. cap. 18.

XL. *Anniuerſaria defunctorum.*

DEfunctos, qui iam ſepulchris crediti eſſent, in anniuerſarijs, & parentalibus luminũ, funaliumq; frequentia honorabãt. Mag. li. 4. ca. 19.
Eiuſmodi piam, ſanctamq; cærimoniã cum Vigilantio rident hæretici in Catholicis, quia gentiles ita ſuis fecerint. Ne tollant igitur in cælum

lum manus, dum preces concipiunt; ne curuent deo genua, quia id idolis ſuis ijdem fecerunt.

XLI. *Curſores Perſici.*

ANgarij regis tabellarij apud Perſas erant, literas ſibi inuicem perferendas (nam certis itinerum ſpatijs mittebantur) tradentes. Fiebant & alio modo hi reges, rei quam valde cupiebant ſcire ocyſſimè certiores, ſi qua Apuleio fides. Et ex eo numero erant & curſores diurni, atque nocturni exploratores; & per vices incenſæ faces, ex omnibus regni ſublimibus locis; in vno die Imperatori ſignificabant, quod erat ſcito opus. Brod. lib. 6. cap. 6.

XLII. *Deditionis ſymbola.*

ASſyriorum, & Perſarum reges, ſi quos populos in poteſtatem redigere cupiebant, ab ijs per legatos terram, & aquam petebant: quo tanquam ſymbolo ſignificabant, velle ſibi tradi plenam omnium rerum poteſtatē, illis quippe omnia fiunt. Itaq; qui ea dabant, imperium ſe accipere profitebantur. Herodot. li. 4. Diodor. 8.

Varia deditionis ſigna enumerat Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7. Ibid. de hoc more Perſico, vbi addit & hoc. Quare Darij Legati cum ab Athenienſibus magnificis verbis terram, & aquā peterent, ab ijsdem alij in barathrum, nōnulli in puteos præcipites acti ſunt. Obſeruans huius ritus etiam elephantus, de quo Plin. lib. 8. cap. 5. Miri

namque

namque pudoris eſt, victusq; vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit.

XLIII. *Senes βιοθάνατοι.*

CONſuetudo fuit apud Ceos, ut ſenio planè confecti, tanquam ad conuiuium ſe mutuò inuitarent; aut ad quoddam ſollemne ſacrificiũ conuenirent, coronatiq; cicutam biberent: cum ſibi ipſis conſcij eſſent, ſe ad promouenda commoda patriæ inutiles amplius eſſe, animo iam ob ætatem delirare incipiente. Ælian. lib. 3. cap. 37. Valer. lib. 2. cap. 6. Strabo lib. 10. vbi & de Caſpiis ſimile. Nam filij parentes ſeptuagenarios domi clauſos, aut in loca inculta, & deſerta, intimasq; ſolitudines expoſitos, vel fame enectos, ſiti & inopia conficere celebre funus putarunt.

XLIV. *Tecta ædium.*

NOn Iudęi tantùm, ſed & Græci, & Latini tecta ſuarum domorum ita confecta habebant, vt in ea ſpectandi cauſſa aſcenderetur, quoties aut pompa ducebatur, aut alia cauſa ſtimularet. Cauſabon. Animaduerſ. in Athen. lib. 4. cap. 12. lege teſtimonia.

XLV. *Muricidæ.*

MAgi Perſarum interficiebant mures propter odium, & quod eos ipſorum deus auerſaretur. Abominabantur eoſdem Arabes, & Æthiopes. Plutarch. de ira & odio. 177.

Præcan-

Præcipuum muris hieroglyphicum eſt detrimentum, quando is die noctéque aliquid ſemper rodit, atq; omnia quæ rodit, inquinat, & inutilia reddit. Quare in oſtentis quoque, ſi mures aliquid corroſiſſent, pernicioſa portendi putabant ijs, quorum inſtrumentum, aut opus eſſet, quod ita corruptum erat, &c. Pierius lib. 13.

XLVI. *Turcarum pileus albus, & genus potionis.*

VRchani Oſmanis F. auctor fuit Aladinus frater, vt tegumentum, ſeu pileum albi coloris tum ipſe, tum milites ipſius ſumerent; vt hac nota milites Turcici à vicinis diſtinguerentur. Principum enim Chriſtianorum, & aliorum clientes pileis rubris vtebantur. Manſit ab illo tempore mos, vt alba zercula Ganitzari hodieq; vtantur. Exarcolam nuncupat Iouius lib. 3. Elog. in Amurate II. Turcar. Imp. vbi & hoc capitis integumentum deſcribit, & de Ianitzaris multa diſſerit. Tzerbetum autem potionis genus Turcis familiare, ex vua paſſa, & aqua confectum: nec minus caput, & pedes tentat quam vinum, & ipſis Arebtzerbet, id eſt, potus Arabicus dicitur. Ex hiſtorica Muſulmanica Leunclauij.

XLVII. *Cohoneſtare funus alienum.*

OBulam funeri procedebant, & pompam cohoneſtabant non ij modò, quorum oppida

prætereuehebatur funus; ſed ij quoque, quorum oppida diuerſa, id eſt, deuia erant, occurrebant, & pro copijs pompam illam cohoneſtabāt. Muret. in 3. Annal. Taciti.

XLVIII. *Edicta qualia.*

EDictis non tantum iubebant aliquid, aut vetabant fieri, ſed monebant populum, increpabant, docebant. Sic Aug. totos libros veterum interdum per edictum notos populo fecit. Sic Caligula populum obiurgauit edicto, quod hilariter viueret. Sic Claudius aliquando edixit, vt dolia bene picarentur, vberem enim vinearum prouentum fore, &c. Muret. ibid,

XLIX. *Anteacta vita.*

CVm quis alicuius publici criminis reus agebatur, non ea tantum, quæ ad illud crimen propriè pertinebant, in iudicio exponebantur: ſed & tota anteacta vita excutiebatur. Hinc eſt quod primus liber accuſationis in Verrem eſt de anteactis; quatuor reliqui de ipſo crimine repetundarum. Id autem eò fiebat, quod prior vita magno argumento eſt ad crimen aut confirmandum, aut diluendum. Muret, ibid. Vide eiuſdem cap. 25. li. 8. Variarum, de lege quadam Perſarū, humanitatis plena.

L. *Vinum in menſam fuſum.*

SOlebant Græci, & Romani poſt cœnā crateras vini in menſam afferre, & ad multam no-

ctem

dem ſermonẽ producere. Ex eo vino aliquid in menſam fundebant. Quem morem tangit Virg. 1. Æneid. vbi de conuiuio Didonis loquitur *Dixit, & in menſam laticum libauit honorẽ*, tanquam ſi in ara dijs libaret. Penelope in epiſt. addit que, ab illis, qui bello Troiano affuerant, vxoribꝰ ſuis, cæterisq; domeſticis illo vino, quod digito ſuper menſam duceretur, loca, in quibus cum Troianis prælium fuerat cõmiſſum, oſtendi, & vniuerſum Ilium, fluuium, & portas vrbis depingi.

Iamq; aliquis poſita monſtrat fera prælia menſa,
Pingit & exiguo Pergama tota mero, &c.

Tibull. eleg. vlt. lib. 1.

Vt mihi potanti poſſit ſua dicere facta
Miles, & in menſa pingere caſtra mero.

In nequitijs quoque, & luſibus amatoriis, ſolitos hoc vini ſuper menſam defuſi digitis diducere, & neſcio quas notas depingere, quibus tacitè inter ſe loquerentur, liquet ex epiſt. Helenæ ad Paridem, & 1. ac 2. Amor.

LI. Ἀπιλία, *ſeu nudum caput.*

VEteres vulgari hoc capitis tegmine, quod biretum, ſeu pileum vocamus, non ſunt vſi, nudo capite incedẽtes, aut lacinia veſtis illud velantes. Itaque nulli in veteribus Romanorũ ſtatuis: nulli in æneis quoque nummis pilei viſuntur. Nulla quoq; pilei, vel cauſię, ne apud Homerum quidem mentio; vt ita nudi capitis conſue-

tudo

tudo à priſca Græcia, cui capitis operimenta vſitata non fuere, ducta videatur. Turneb. lib. 8, cap. 4. Item Notæ in 1. Tom. Panciroli rerũ memorabilium. Etiam hodie Iapones capitibus nõ opertis incedunt. Quomodo pileus nobilitatis, & libertatis ſignum fuerit apud Grçcos, & Romanos, Pier. lib. 40.

LII. *Inuſtæ frontibus litteræ.*

CAlumniatorum, & delatorum frontes olim punctis, & ſtigmatibus candenti ferro inſigniebantur, quod Cic. diſertè innuit pro Roſcio Amerino. Nota illa alicuius litteræ inſigne habebat, in delatore fortaſſis D. in calumniatore C. vt Turneb. conijcit lib. 8. cap. 22. Notæ in 11. Vol. Panciroli, de rebus memorabilibus. Syracuſani equi ſignum pro argumento ſeruitutis ſolebant ſeruis inurere. Plutarch. in Nicia. Seruis item hoc fiebat, qui idcirco dicebantur litterati: item cælati quandoque, & Iſtriani, quoniã Iſtri accolæ punctis ita inurerentur. Inſtrumentum cauterium. Rhodigin. lib. 7. cap. 31.

LIII. *Deus menſæ, & deorum inuocatio.*

IN menſa olim ſtatua alicuius dei ponebatur, veluti tutela, & genius menſæ. Ita Herculem Epitrapeziũ lego in Syluis Statij, qui Vindici fuit, *caſtæ Genius, tutelaq́; menſæ.* Et ante Vindicẽ eum *Pellæus habebat Regnator, latis numẽ venerabile*

menſis

menſis. Quin etiam deos ipſos initio menſæ invocabant. Quintilian. Declamat. CCCI. Habuiſti honorem dijs, & illud humile limen intraſti, & adiſti menſam; ad quam cum venire cœpimus, deos invocamus. Lipſ. de Gladiat. lib. 1, cap. 2.

LIV. *Foculus menſarius.*

DE foculis, quibus prunæ in menſam inferebantur, vt patinis ſuperpoſitis cibi calor retineretur, Caſaubon. in Athen. pag. 13.

Non ſolum Pithyllum, ſed omnes gulæ proceres ferùentes cibi olim iuuabant. Seneca ep. 95. Quid? illa purulenta, & quæ tantum non ab ipſo igne in eos transferuntur, iudicas ſine noxa in ipſis viſceribus extingui? Eo fine foculi iuvant, ne quis intepeſceret cibus, vt ait idem ep. 85. ne quid palato iam calloſo parum ferueret. Lege cætera.

LV. *Paraſiti.*

PAraſitos, & eiuſmodi nugas hominum, qui alienis conuiuijs non vocati ſuperveniebant, facetè muſcas vocabant. Lipſius Antiq. lect. lib. 3. Olim publicè Athenis alebantur in ſingulis pagis, in honorem Herculis; poſtea magiſtratus, vt hoc ſumptu liberarent rempub. diuites elegerunt, quibus alendos paraſitos traderent. Caſaubon. in Athen. lib. 6. cap. 9. Paraſiti nomen fuiſſe olim ſanctum, & venerabile, poſtea ſordidum, &

infame vide quomodo doceat idem Athenæus eodem lib.pag.234.& deinceps fol.

LVI. *Lapides aſcendendis equis.*

QVia equos aſcendendi ratio non facile, nec ſine labore atque moleſtia expediri poterat, ab ijs præſertim, qui viribus non valebant, nec habebant, qui in equos ipſos tollerent, Viecuri, ſeu qui vias militares ſternebant,in lateribus viarum collocabant altiores quoſdam lapides,& tã-quam quædã puſilia ſuggeſta excitabant, ex quibus paruo negotio quilibet, tenui etiam corporis firmitate,poterat ſe conijcere in dorſum equi. Notæ.in Tom. II. Panciroli.

LVII. *Cuſtodia militaris.*

IN vrbe triplex ratio aſſeruandi captiuos. Aut enim in carcere habebantur, locoq; concluſo, ſine vllo milite, vt fere ſeruitia, & capita viliora. Aut in cuſtodia militari. Aut in ædibus magiſtratuum. Cuſtodia militaris frequẽtiſſima & Romę, & in prouincijs, eiusq; modus, vt is qui in noxa eſſet catenã manui dextræ alligatã haberet, quæ eadẽ militis ſiniſtram vinciret cuſtodiæ eius præfecti Addo,duos ſæpe milites vni reo datos, maiori cuſtodiæ. In Apoſtolorum Actis cap. 12. de B. Petro, *dormiebat inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Catenæ autẽ eiuſmodi longiuſculæ erãt,vt ambulare, incedere pariter non incõmodè poſſent. Vberius de hoc more Lipſius, Excurſu ad Annal. Taciti III. litera B.

LVIII. *Librarij.*

PRiſci librarij cum vocem aliquam ſine cauſſa geminauerant, aut aliquid ſcripſerant, quod pro non ſcripto haberi vellent, ſæpe id non eradebant, ſed in margine adſcribebant, *vacat.* Muret. Comment. in tit. de origine iuris.

LIX. *Patella, & Salinum.*

VEteres plerique, tam etſi vas nullum argenteum poſſidebant, ſalinum tamen, ac patellam deorum ex argento habebant. Vide Torrent. ad Oden 16. lib. 2. ibi.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.

Sine ſalino autem profanam eſſe menſam veterum opinio fuit: ſed & noſtra. Arnobius, ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris deorum, de quo ſupra. Quin & ſalinum ipſum inter vaſa ſacra. Bene notat interpres vetus ad illud Horatij: *Splendet in menſa tenui ſalinum.* Salinum propriè eſt patella, in qua dijs primitiæ cum ſale offerebantur. Etſi non reuerà patella, (addit ad marginem Lipſ. hæc afferens de Gladiat. lib. 1. cap. 2.) ſed aliquod vaſum diſtinctum. Statius ad hanc mentem. *Et exiguo placuerunt farra ſalino.*

LX. *Nobiles in legatione mittebantur.*

QVia plus auctoritatis apud eos habere cenſebantur, ad quos mittebantur. Salluſt. in Iugurth. Legantur in Africam maiores natu, nobiles, amplis honoribus vſi, &c. Cæſar. 1. Gallicor. Helvetij de illius adventu certiores facti, legatos ad eum mittunt nobiliſſimos civitatis. Virg. Æneid. XI. *Centum oratores prima de gente Latinos Ire placet.* Livius lib. 2. Quibus cum reſponſum eſſet, miſſurum ad Regem ſenatum legatos, miſſi confeſtim honoratiſſimus quiſque ex Patribus, &c. Tiraquell. de Nobilit.

LXI. *Ignis Perſarum numen.*

IGnem Perſæ, quotidianum hoc elementum, rem voracem, atque inſatiabilem colebant. Igni ſacrum faciebant. Igni alimentum ſuppeditabant, acclamabantq;, comede ô domine. Max. Tyrius Diſſertat. 38. Tam religioſe ignem, vt præcipuum deum venerabantur, vt cremare corpora nefas ducerent, ne cadaueris contagio deum maximum violarent. Herdot. libro 1. Strabo lib. 15.

LXII. *Radij Impp.*

FRequens apud Romanos laurea capitis decorum, & diſtincta radijs corona, ac purpurea chlamys inſignia imperij fuêre. Aurelianus prçter inſtituta maiorum diadema vſurpauit primus. Statius de Domitiano. *Tranquillum vultu, ſed maieſtate ſerena Mulcentem radios.*

LXIII.

LXIII. *Impp. omnia ſacra.*

QVæcunque gererent Imperatores Romani, aut quæcunque ad eos pertinerent, pro ſacris & diuinis haberi, & dici voluerunt. Itaque plurimis in locis, prȩſertim in Conſtitutionibus, legimus dici ſacras aures Principis, ſacra oracula, ſacros effatus diuinæ ſanctionis, ſacrum numinis conſiſtorium, ſacras abſolutè, ſub audi epiſtolas, ſacros apices, ſacrum reſponſum, ſacras litteras, cæleſtia ſtatuta, ſacra ſcrinia, ſacrum ærarium, ſacrum ſtabulum, ſacrum cubiculum, diuina domus, diuinus Princeps, diuinus affatus, diuinus ſermo, diuina officia, diuinȩ ſtirpis Auguſtus, &c. Bulengerus de Imp. Rom. lib. 1. c. 14. Tornorup. in Panegyr. Claud. in Honor. Sacras occupationes noluit audire Tiberius, coëgitque appellare laborioſas. Sueton. cap. 25.

LXIV. *Placentæ.*

APud veteres præcipuæ ciborum deliciæ fuerunt placentæ. Et in hoc maximè genere cupediarum gulȩ dediti homines olim deprehenſi. Epicureus quidam Icadiſta pro mortuo dicitur elatus, placenta feruente deuorata. Horat. *Parcius infra Ridiculus totas ſimul abſorbere placentas.* Propterea dicebat Bion: μὴ δυνατὸν εἶναι τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, εἰ μὴ πλακοῦντα γενόμενον, ἢ θάσιον, nõ poſſe aliquem omnibus placere, niſi placẽta fieret, aut vinum Thaſium. Hieronymus ad Mar-

cellam, Non ſunt ſuaues epulæ, quæ non placentam redolent. Animaduerſ. in Athen. lib. 3. c. 29. Caſaubon.

LXV. *Fortuna aurea.*

POſterioribus Impp. mos peculiaris fuit, vt in ipſorum cubiculis eſſet Fortuna aurea, quam morituri ad eum transferebant, qui eſſet ſucceſſurus in imperio. Capitolin. in Anton. Pio, Spartian. in Seuero.

Cauſſam affert Budæus lib. 1. de Philolog. tanquam inſigne Principatus, inquit. Nempe hoc inſtituto ſignificantes, ſe tantos Principes eſſe, tamque latè dominantes, vt fortunatiores hominum eſſe & deberent, & cuperent; ob idque auream & Fortunam quoquo circumferrent gentium. Verba Spartiani ſunt, Iuſſit vt alternis diebus Fortuna in cubiculis filiorum Imperatorum poneretur.

LXVI. *E tempeſtate ſeruati.*

NAutæ, & qui tenuiores erant, quique merces perdiderant, vt calamitate ob oculos poſita plura emendicarent, ſuſpenſa è collo naufragij tabula (votiuam vocat Horat. Ode 5. lib. 1.) miſericordiam cõmouebant. Iuuenal. Sat. 14. *fracta rate naufragus aſſe Dum rogat, & picta ſe tẽpeſtate tuetur.* Torrẽt. ad Oden. dictã, & alij interpretes.

LXVII. *Pollices conuerſi, & preſſi.*

IN gladiatorijs muneribus condemnationis ſignum erat conuerſus, ſeu ſublatus pollex. Nam qui aduerſario ſuccumbentem occidi, iugulariq; volebat, pollicem vertebat. Iuuenal. ſat. 3. *Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi. Quemlibet occidunt populariter.* Et hi infeſtis ſpectatoribus pugnare dicebantur. Suetonius in Iulio, cap. 26. Gladiatores notos, ſicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent, vi rapiendos, ſeruandosq; mandabat. Econtra pollices ſolebant premi, hoc eſt, intra palmam digitis proximis duobus cōprimi, cum ex gladiatoribus alicui fauebatur. Plin. lib. 28. ca. 2. Pollices cum fauemus premere etiam prouerbio iubemur. Huc ſpectat illud Horatij lib. 1. ep. 18. *Fautor vtroq; tuum laudabit pollice nomen.* Siquidem gladiatores ſalutē, & fauorem ſpectatorum è compreſſu pollicis proſpiciebant, ſicuti ex eiusdem conuerſione odium atq; interitum. Politian. cap. 42. Pier. lib. 36. in Digito.

LXVIII. *Sæuitia matrum.*

BArbarus, & inhumanus Hunnorū mos, quorum matres maribus ferro genas ſecabāt adhuc lactentibus, & in vagientes ſæuiebant, vt vulnera perpeti iam in cunis diſcerent, & ephebi ſine venuſtate apparerent, & ſeneſcerēt imberbes, ad equitandum, & iaculandum promptiſſimi, alacres, & ſæui, nigra & torua facie, aſpectu truci, horribili voce, ac ore ſtudioſè fœdato, vt aëream dæmonum fœturam poſſes agnoſcere. In Panciroli Volum. II. Notæ.

LXIX. *Honores ſine impendio.*

IMperatores cum viro bono, & pauperi honores mandabant, plurimùm onera, & impenſas in ſe recipiebant,& ex ærario ſuo largiebantur ad ludos, & cæteram pompam. Id dicebant ſine impendio curari. Lipſius in epiſt.quæſt.

LXX. *Excubiæ.*

DOmini potétiores habebant ſeruórum nocturnas excubias ad limen domus. Quintil. declamat. 1. pro cæco. Dicitur cæcus ſine rectore,ſine duce, per inane longum, per tot oſtéſa limina, per excubantes ſeruulos erraſſe cum ferro: cubiculum deinde patris intraſſe. Et iterum declamat. 2. pro cæco. Tu ſentis, quando ſeuera vicerit laſſitudo curarum. Scis pariter an vnà quieſcentium fores vallauerit cura ſeruorũ. Silius lib.1.de Annibale.

Sæpe etiam famuli turbata ad limina ſomno
Expauere trucem per vaſta ſilentia vocem.

Vide & Appianum in Catonis morte,& Tacitum in Othonis. Hæc Lipſ.ad lib.14. Annal. Taciti.

LXXI. *Acclamationes.*

ETiam mortuis fiebant. Symmach. epiſt. 23. lib. 10. de Prætextato Præf.vrbis. Nam vbi primùm Romæ amarus de eo rumor increbuit, recuſauit popul. ſolemnes theatri voluptates: memo-

memoriamque eius illuſtrem multa acclamatione teſtatus, grauiter egit cum liuore Fortunæ. Et populares eiuſmodi acclamationes in triſti funere magiſtratus ad Principem mitti ſolebant. Idẽ epiſt. 37. de eodem Prętextato. Iudicium vero ciuium, quod ſupremo die de virtute atque innocentia eius habuerunt, ſpeciatim viro clariſſ. & illuſtri Officiorum Magiſtro ſubditis geſtorũ exemplaribus intimaui. Quin etiam in publico gaudio quidquid acclamabatur, ad Principis notitiam referebatur. Ex Franciſco Iureto.

LXXII. *Modus ſupplicij.*

ALexandrini ſolebant nõ ſolum feris laniandos ſontes obijcere, verùm etiam venenatórum animalium morſibus interficere. Galen. in Comment. de theriaca. πολλάκις ἐθεασάμην ἐγὼ, &c. Vidi ſæpe in magna Alexandria quanta celeritate mortem aſpides inferrent. Quoties enim damnatum aliquẽ lege ſupplicij huius, cum aliqua humanitate, & citò volunt interficere, pectori ſerpentem admouent, & paſſus aliquot ambulare iubent, atque ita hominem breui enecãt. In Athen. lib. 3. c. 8. Animaduerſor. Caſaub.

LXXIII. *Alloquium de ſcripto.*

MOris priſci fuit, quamuis præſentes de ſcripto alloqui. Auctor primus Auguſtus Cæſar. Inde alij ſecuti Principes, priuatique. Teſtis

Sueton. Tacitus, Dio. Tam difficilis ac moroſus erat Nero, vt neque cum ſeruis, neque cum liberis ſermones conferret: ſed ijs omnia quæ vellet, mandaretvé, in libellis ſcribere conſueuerat. Xiphilin. Vide Lipſij Inſtitut. epiſtol.

LXXIV. *Seruilia nomina.*

A Patria, & locis vnde venerant, ſeruis antiqui nomina imponebant, vt de Dauis, & Getis meminit Strabo lib. 7. Sic apud Comicos Syrus, Lydus, Myſis, Phrygia à Syria, Lydia, Myſia, Phrygia. Quàm varia fuerint ſeruis nomina, apud varias nationes, oſtendit Alex. ab Alex. lib. tertio, cap. 20.

LXXV. *Æquitas iudicij.*

APud veteres receptum fuit, vt cum æqualis eſſet numerus iudicum qui condemnarent, & qui abſoluerent, abſolutio valeret. Docet hoc Plutarch. in Mario, & Cic. pro Cluent. In conſilium ituri erant, inquit, Iudices XXXII. ſententijs XVI. abſolutio confici poterat. Muret. in I. Tuſcul.

LXXVI. Serui puerorum ſcholaſticorum.

PVeris non ſolum dabantur pædagogi, ſed etiam ſeruuli, qui in ludum euntes ſequerētur, & libros ferrent. Vſitatum & Romanis. Et inde ſerui qui capſam ferebant, in qua libri, ceræ, ſtylus,

lus, & cætera ad rem litterariam neceſſaria reponebantur, capſarij vocati. Meminit etiam pædagogorum, & capſariorum Sueton. in Nerone. &c. Bernardin. Martini Variar. lib. 2. cap, 15.

LXXVII. *Annulus Imp. moribundi.*

IMperatores iamiam morituri annulum dabāt ijs, quibus plurimùm vellent, vel quos ſucceſſores inſtituerēt, vt fecit Tiberio Auguſtus. Tornorup. in Perſium. De Alexandro moriente Iuſtinus lib. 12. Sexta die præcluſa voce, exemptum digito annulum Perdiccæ tradidit: quæ res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedauit, Nam etſi non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus eſſe videbatur. Annuli traditione antiquos hæredem, & ſucceſſorem deſignaſſe patet ex Valer. lib. 7. in extremo. Solebant etiam morientibus detrahi. Plin. lib. 33. cap. 1. Grauatis ſomno, aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur. Vnde intelligas locum Spattiani, qui annuli lapſum ſpontaneum de digito Hadriani inter ſigna mortis eius retulit. Et fortaſſis propter pollinctores detrahebantur. Nam poſt redditos iterum digito, & vnà cum cadauere combuſtos, clarum fit ex Propert. lib. 4. eleg. 7. *Et ſolitum digito beryllon adederat ignis.* Kyrchman. de fun. Rom.

LXXVIII. *Dij fictiles, & aurei.*

Pri

PRimis temporibus reipub. Rom. dij fictiles erant, poſterioribus aurei: & his cuſtodes addebantur; illis, vt & lapideis, minimè. Et fictiles magis propitij fuerunt, quàm aurei. Seneca in epiſt. Exſurge, & te dignum finge deo: finges autem non auro, nec argento: non poteſt enim in hac materia dei imago exprimi: quin cogita, illos fuiſſe fictiles cum propitij fuerunt. Tornorup. in ſat. 2. Perſij.

LXXIX. *Grabbatuli.*

LEctuli veterum non erant vulgò, vt noſtri, pannis oppanſis clauſi. Ideò mos fuit ditioribus, vt cum meridiarent, ac pauliſper cõquieſcerent, aſtans aliquis ventulum flabello faceret, ſimul refrigerandi cauſſa, & muſcarum, atq; culicum abigendorum. Idem in ſat. 3. Perſij.

LXXX. *Feriæ ſcholaſticæ.*

SCholæ ceſſabant menſe Iulio ad Octobrem, Martial. lib. 10. epig. 62.

Ludi magiſter parce ſimplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus menſæ.
Albæ leone flammato calent luces,
Toſtamq; feruens Iulius coquit meſſem,
Scuticaq; loris horridis Scythæ pellis,
Ferulaq; triſtes, ſceptra Pædagogorum
Ceſſent, & idus dormiant in Octobres.
Æſtate pueri ſi valent, ſatis diſcunt.

Idem

Idem Tornorup. ibidem, vbi plura de ferijs Scholaſticis pag.33.& 34.

LXXXI. *Homines piaculáres,*

ATheníenſes duos homines quotannis pro ciuibus luſtrandis, & expiandis iugulabant, vnum pro maribus, alterum pro fæminis; quos cuſtodiá publica aſſetuatos, præclareq; enutritos, Thargilijs ſuis (feſtus is erat apud eos dies) ſolemni pomparum religione deducebant: homines autem illos Pharmacos appellabant, &c. Leon. lib.3.cap.33.

LXXXII. *Facies puerorum oblitæ.*

VEteres puerorum ſuorum vultus oblinere ſoliti ſunt, ne gelu, aut ſole deturparentur, vt teſtatur Senec.ep.124. vbi pro pædagia legendum pædagogia: quoniam ſic mancipia apud Iuriſperitos vocari legimus. Mercur. Variar. lib. 3. pag. 95.

LXXXIII. *Funus pro patria cadentium Athenis.*

IN his ſepeliendis hunc ritum ſeruabant. Primùm oſſa mortuorum triduo ante facto tabernaculo proponuntur, & quiſq; cadaueri ſui propinqui addit quod vult. Cumq́ue funus effertur, tunc plauſtris euehunt arcas ex cupreſſo factas, pro qualibet tribu vnam. In his condita ſunt oſ-

ſa inter colligēdum agnoſci non potuerunt. Comitantur pompam funeris quicunque volunt ex ciuibus, & hoſpitibus. Adſunt etiam mulieres cognatæ, mortuos lugentes. Deinde ponunt in publico monumento (in Ceramico) quod in Calliſto ciuitatis ſuburbano eſt. Hoc enim in loco ſemper cæſos in bello ſepelire ſolent, exceptis illis, qui in pugna Marathonia occubuerunt. Quorum enim ſingularem, & excellentem fuiſſe virtutem iudicarent, in eo ipſo loco vbi ceciderant, eos ſepelierunt. Poſteaquam itaque reliquias terra obruerunt, vir conſilio præſtans, qui & auctoritate, & dignitate præcellit, à ciuitate ad id delectus orationem habet, qua conuenienti laudatione ſepultos celebrat. His peractis diſceditur. Thucyd. lib. 2.

Apud eundem hiſtoricum legas orationem Péricliſis, qua in prælio interfectos ciues collaudauit. Cuius hoc eſt initium. Plerique eorum, qui antea ex hoc loco dixerunt, eum qui orationem hanc ad vetus inſtitutū addiderit, collaudarunt: propterea quod eam de ijs, qui in prælijs interfecti ſepelirentur, haberi præclarum eſſet, &c.

LXXXIV. *Terræ, Neptuni, Iouis filij.*

VEterum conſuetudo fuit exteros terreſtri itinere ad ſe venientes, terræ filios nuncupare: vt Neptuni qui nauigio: immò potius Neptuni filios qui eſſent immanes, διὰ τὸ τῆς θαλάσσης ἄγριον

ἐγεῖον, propter maris aſperitatẽ, & ab omni humanitate alienos, tanquam à mari genitos: ſicut terra ortos, ſeu terræ filios ignotos, aut obſcuri generis, aut enormi, & monſtroſo capite; vt à poëtis Iouis filij, qui eſſent virtute, prudentia, & viribus præſtantiſſimi. Brod. Annot. in 1. Anthol.

LXXXV. *Ignis petitus à vicinis.*

IGnem non ſemper veteres domi excitabant, ſed à vicinis plerumque petebant, neq; eum facile negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valde alienum eſſe ab ipſa humanitate, & vita hominum, atq; natura, quæ aqua, & igni carere non poteſt. Hinc Plaut. Trin. *Datur ignis, tametſi ab inimicis petas.* Et Aulul. eodem reſpiciens.

Caue quenquam alienum in ædes intromiſeris.

STA. *Quid ſi quiſpiam ignem quærit?* EVC. *extingui volo,*

Ne cauſſæ quid ſit, quòd te quiſpiam quæritet.

Nam ſi ignis viuit, tu extinguêre extempulò.

Phædrus fab. 18. lib. 3.

Ignem ergo quærens aliquot luſtrauit domos,

Tandemq́ inuenit vbi lucernam accenderet.

IN NOTIS ad eundem. Tangit morem hunc antiquiſſimum Cornificius ad Herennium lib. 4. in proœmio, vbi quęrit, in dandis præceptis figurarum propria ne, an ex aliquo poëta, aut oratore probato exempla ſubijcienda ſint. Aut ſi Prometheus, cum mortalibus ignem diuidere vellet,

ipſe

ipſe à vicinis cum teſta ambulans, carbunculoſ corrogaret, non ridiculũ videretur? Tetigit ante eum Cic. 1. Off. vbi docet quæ fecerit natura communia. Ex quo ſunt, inquit, illa communia, non prohibere aqua præterfluente: pati ab igne ignem capere, ſi quis velit. De flamma tamen deûm, id eſt, de igne ſacrificiorum non licebat ignem accendere, vel mutuari lumen, ne ſcilicet ſacra profanarentur. Phædrus lib. 4. fab. 68.

Lucernam fur accendit ex ara Iouis,
Ipſumq́ compilauit ad lumen ſuum.
Onuſtus qui ſacrilegio cum diſcederet, &c.
Itaq; habere nec lucernam de flammis deûm,
Nec de lucerna fas eſt accendi ſacrum.

LXXXVI. *Iuramenti modus.*

HEbræorum mos fuit, vt manu in femore poſita, ſanctè iurarent; quoniã ea pars corporis ſancta habebatur, cùm poſteritas inde exiſteret. Abraham ſeruo, quem ad accipiendam filio vxorem in Meſopotamiam mittebat: *Pone manum tuam ſuper femur meum*, &c. Vide Petrum Galeſin. in Notis ad ſacram hiſtor. Sulpitij, lib. 1.

LXXXVII. *Regum barbarorum concubinæ.*

SCribit B. Hieronymus, morem fuiſſe, vt quæ mulier à rege amaretur, XII. menſium ſpatio purgaretur, atq; adornaretur, vt eſſet regio concubitu

ſubitu digna. Interea volente deo factum eſt, vt reges, qui Saram concupiſcebant, graui malo affecti, eam marito redderent, vt narrant ſacræ litteræ. Ioſephus, Auguſtinus.

LXXXVIII. *Cærimonia in fœdere faciendo.*

REfert Tacitus libro 12. conſueſſe reges Armeniorum, & Iberorum, quoties ſocietates inirēt, iunctis ſimul dextris, pollices inter ſe vincire, nodoque perſtringere. Atque vbi ſanguis in artus extremos ſuffuſus eſſet, leui ictu cruorem elicere, eumque inuicem lambere: idque fœdus arcanum haberi ſolitum, quaſi mutuo cruore ſacratum.

LXXXIX. *Chartæ honor apud Turcas.*

MVltum honoris deferūt chartæ, quòd in ea Dei nomen ſcribatur. Itaque chartulam nullam humi iacere patiuntur: & ſi in aliquam incidunt, ſubitò attollunt, rimæque ſ alicui, aut foramini indunt, ne pedibus proteratur. Ex Buſbequio de legat. Turcica.

XC. *Capilli Veſtalium.*

VIrgines ſacris Veſtæ initiatæ capillum detōdebantur, qui deinde ad arborem loton inter fælices receptam deuectus, humo obrueretur. Quod ipſum ex Flaminum, & Veſtalium ſa-

cris elicitur: in quibus cautum fuit, vt vnguium, & capilli pręſegmina ſubter fælicē arborem terra obtegerentur,&c. Crinit. lib. 20. cap. 6.

XCI. *Tonſi ad metalla damnati.*

S Cypr. cum ait ep. 27. ad martyr. in metallo conſtitutos, eos conſolans, ſemitonſi capitis capillus horreſcit. &c. morem tondendi ſeruos ad metalla damnatos notat. Chriſtianis idem factum à tyrannis haud dubitarim, quos ita conſolatur ibidem S. martyr. Cypria. Non fouetur in metallis lecto, & culcitra corpus: ſed refrigerio, & ſolatio Chriſti fouetur. Humi iacent feſſa laboribus viſcera: ſed pœna non eſt cum Chriſto iacere, &c.

XCII. *Vittati etiam profani.*

ETiam non ſacerdotes, & profanos geſtare vittas conſueſſe, cum ſacrificarent, patet ex S. Cypriano de lapſis, vbi Chriſtianis deficientibus, & idolis immolantibus vittas dicit imponi ſolitas. Laudans enim mirificè qui conſtantes manſerunt, inter cætera, ab impio, inquit, ſceleratoque velamine, quo illic velabant captiua capita, caput veſtrum liberum manet.

XCIII. *Recentatum vinum.*

PEnes Romanos fuit propomatis genus, quod recentatum nuncupabant; in quo bibendo,

vt

vt magis delectarentur, peculiari quadam arte refrigerabant. Puto ſic vocaſſe vinum antiquũ, muſto, vel lixiuio, vel tortiuo commixtum, quaſique renouatum: quomodo pleroſq; hodie factitare conſpicimus: recentare enim apud veteres in vſu fuiſſe pro renouare, auctor eſt Nonius. Vnde etiam quod à Varrone de ling. lat. vinum vetus nouum nuncupatum inuenitur, hoc ipſum recentatum fuiſſe arbitror? Quo pacto hoc Romani refrigerarent, cum nihil comperti habeã, id tamen diuinare audebo; hanc potionẽ, vtpote valetudinarijs optatam, aliquo diuerſo modo, ita vt è gelida potius, aut ſaltem modicè frigida, quã verè gelida fieret, non autem vel lamina, vel glarea, vel glacie, vel niue, vel alio modo refrigerare conſueuiſſe. Mercurial. Variar. lect. lib. 1. cap. 7. Idem de varijs antiquorum vina, & aquam refrigerandi modis cap. 8.

XCIV. *Aqua calida ad vomitionem.*

ANte cibum, ad vomitum prouocandum nõnulli calidam præſumebant. Id ex Martialis epigrammate in Cęcilianum conſtare poteſt, qui cum tẽpeſtivè nimis ad ſecum cœnandum iuiſſet, ipſum incuſat, quod ſtatim, nondum accenſo in culina igne calidam perijſſet.

Caldam poſcis aquam: ſed nondum frigida venit;
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Idem cap. 8.

XCV. *Veſtes candefactæ.*

FVllones magnum quæſtum faciebant. Creſcente namq; luxuria homines vtebantur veſtibus, non ſolum naturali colore tinctis, ſed artificio ſummo, magnoq; labore candefactis. Ad quod fullones operarios, & diſcipulos habuiſſe, teſtatur Vlpian. &c. Abluebant ergo lotio veſtes, & cameli vrinam putabant vtiliſſimam. Ei rei amphoras, in quas vrina reddebatur, in angiportis collocabant, &c. Ramireſius in Martial. pag. 31. & ſeq.

XCVI. *Reuerentia patris.*

APud Lacedæmonios, Perſas, Scythas ante ſeptimum ætatis annum pueri ad patris conſpectum non accedebãt, ne ante patrem cognoſcerent, quam illum vereri, ac venerari didiciſſent. Patricius de regno. Perſæ editum infantem ante ſeptennium in conſpectum parentum non adducunt. Valerius lib. 2. cap. 1. Strabo lib. 15. ante quartum. Herodotus ante quintum; vt ſcilicet patres paruulorum amiſſionem æquiore animo ſuſtinerent. Cæſar. lib. 6. belli Gallici. In reliquis vitæ inſtitutis hoc ferè à reliquis differũt (Galli) quod ſuos liberos, niſi cum adoleuerint, ad ſe venire non patiuntur: filiumque puerili ætate in publico, in conſpectu patris aſſiſtere turpe ducunt. Ex Alex. ab Alex, lib. 2. cap. 25. & Tiraquel-

quello. Exemplum punitæ erga patrem non præſtitæ reuerentiæ, prodit Iuſtinus lib. 18. in extremo.

XCVII. *Pœna linguæ.*

PErſæ linguam grauius caſtigabant, quàm vllum probrum; nec vllam rem magnam ſuſtineri poſſe credebant ab eo, cui tacere graue eſſet, quod homini facillimum voluerit eſſe natura. Curtius lib. 4. Neſcio an verè dici poſſit, facillimum eſſe homini tacere, ſi vera loquitur Iacobus Apoſtolus in ſua Catholica. *Linguam nullus hominum domare poteſt*, tametſi non garrulus.

XCVIII. *Iurament. diuinat. fides.*

NAſamones per eos viros qui iuſtiſſimi, atq; optimi apud illos fuiſſe dicuntur iurant, illorum ſepulchra tangentes. Diuinant ad ſuorum accedentes monumenta, & illis, vbi preces peregerunt, indormiunt; vbi quodcunque per quietem inſomnium viderunt, eo vtuntur. Fidei dãdæ conſuetudo hæc eſt: de manu alterius vterq; ſumpto inuicem poculo bibit. Quod ſi nihil humoris habuerint, ſumptum è terra cinerem lingunt. Herodot. lib. 4.

XCIX. *Vxorum chariſſimæ quid fieret.*

QVi ſupra Creſtonæos incolunt Thraces, ſinguli plures vxores habent: quorũ vbi quis deceſſit, magna fit inter vxores contentio, acri amicorum circa hanc rem ſtudio, quænam dilecta fuerit à marito præcipuè. Quæ talis iudicata eſt, & hunc honorem adepta, ea à viris, ac mulieribus exornata, ad tumulum à ſuo propinquiſſimo mactatur, vnaque cum viro humatur, cæteris vxoribus id ſibi pro ingenti calamitate ducentibus: nam id eis ſummo dedecori datur. Idem lib. 5.

C. *Sepulchralia.*

VEteres optabant caprificos ſepulchris eorũ quos oderant. Propert. eleg. 5. lib. 4. *Vrgeat hunc ſupra vis caprifice tua.* Sed etiã tumulis eorum quos habebant charos, ſentes, & dumos excidere, purgareque ſolebant. Propert. eleg. 7. lib. 4. *pelle ederam tumulo.* Cædere & ſaxis buſta eorum ſolebant, qui inuiſi fuerant. Propert. eleg. 5. lib. 4. *ſcabris hoc buſtum cædito ſaxis.* Eodẽ Maronis illud pertinet. *Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta ſepultus.* Turneb. lib. 23. cap. 6.

CI. *Honoratior veſtis in funere.*

ILlis quæ pepererant honos quidam veſtis in funere concedebatur, qui alijs ſterilibus non tribuebatur, cum alioqui fœcũditas legibus Romanis prærogatiua, & priuilegio ornata eſſet, vt iura trium, & quatuor liberorum oſtendunt. Ve-

ſte autem cadauera tegebantur, vt è lib.2.Cic.de legibus conſtat. Turneb.lib.23.c.7.

CII. *Veneficij anteoccupatio.*

VEteres cum res certas, vt nomina, ſpeciem, ſimulacrum, teſtas, calyces ouorum, acu, aut ſtilo, aut graphio perforabant, hoc velut veneficio, & maleficio aliquos lædi exiſtimabant. Ovid.3.Amor.eleg.6.

Sagaq; phœnicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in iecur vrget acus.

Itaque hoc ſibi ne eueniret, ſolebant putamina cochlearum, & ouorum ipſi vel frangere, vel pertundere, occupantes, & antevertentes maleficium. Plin.lib.28.cap.2.

CIII. *Vina noua quando cœpta bibi.*

ROmani vina quæ annum ſaltem præterijſſent vt plurimum bibebant. Nam vinalia feſta deguſtandis vinis inſtituta XIII. Kalend. Septemb. fiebant, vt Plin. ſcribit. Græci verò quod eadem noua, nec dum ſextũ menſem adepta frequenter potarent, Galenus quoque teſtatus eſt; qui in Com.ſup.1.de Nat.hum.rationes varias exponens, quibus hyeme pituita adeò copioſa in hominum ſtomachis gignitur, inter multas quas recenſet, eam ponit, quod plurimi tunc noua vina bibant, quæ aptiſſima ſunt in pituitam conuerti. Mercur.lib.1.Variar.c.15.

CIV. *Suaſurus nouam legem.*

DEmoſthenes in quadam oratione dicit, legẽ fuiſſe apud Locrenſes, vt ſuaſurus nouam legem proponeret ſententiam ſuam toti ciuitati, collo in laqueum inſerto, vt ſi res diſplicuiſſet, ſtatim ſtrangularetur. Sin autem placuiſſet noua lex, auctor incolumis dimittebatur. Inde quia nemo facile iudicium vniuerſæ ciuitatis ſubire auſus eſt, annis amplius ducentis nulla lex noua lata eſt, præter vnam: vt ambo oculi effoderentur, qui vnoculo effodiſſet vnum illum.

CV. *Dij in nuptijs, & conuiuijs.*

DIj veterum ſolebant inuitati libenter comparere in nuptijs, & conuiuijs. Exempla apud Pindarum, Homerum, Ariſtophanem: & quæſiti in cælo, non ſunt inuẽti: ſeu quod eſſent apud Æthiopas, vt 1. Iliad. ſeu alibi, vt in nuptijs Pelei, & Thetidis apud Catull. qui indicat iſtuc idem hiſce verſibus.

Inde pater diuûm ſancta cum coniuge, natisq́;
Aduenit, cælo te ſolum, Phœbe, relinquens,
Vnigenamq́; ſimul cultricem montis Itoni.
Pelea nam tecum pariter ſoror aſpernata eſt:
Nec Thetidis tædas voluit celebrare iugales.
Qui poſtquam niueos flexerunt ſedibus artus;
Largè multiplici conſtructæ ſunt dape menſæ.

CVI. *Pandectæ Florentini.*

Captis

Captis Piſis liber idem Florentiam cum prę-da reliqua videlicet in vrbem victricē tranſlatus eſt. Ibi verò in ipſa curia loco celeberrimo monachorum quorundam, ſummique magiſtratus diligentia, & religione ſeruatur. Tum quoties profertur (quod ipſum non ſine graui cauſa fieri ſolet) accenſis funalibus (ita enim mos traditus) monachi illi quos dixi, ſummusque magiſtratus capite aperto venerabundi circūſiſtunt. Nullæ in eo libro interpunctiones; nulla ſcribē-di compendia, grandes vbique litteræ, & compares. Græcum in fronte epigramma; græcæ præfationes: auctorum, librorumque index, quorū hæ leges à fontibus emanarunt: prorſus vbique argumēta plurima, quæ breuitati ſeruiens omitto, quibus eſſe eum librum Iuſtiniani ætate deſcriptum non dubitemus: inprimiſq; voluminis ipſius veneranda facies, & quæ ſanctam illam vetuſtatem procul oſtenter. Politian. epiſt. 4. lib. 10. Et rurſum Miſcellan. cap 41.

Cur ſcripſerim Pandectæ Florentini, non Florentinæ, vide libellum Hen. Stephani de abuſu linguæ græcæ.

CVII. *Piſces, & carnes oleo inunctæ.*

Coquos antequam vel piſces, vel carnes aſſarent, oleo eos, eaſq; inungere ſolitos refert Galen⁹ 2. de ſimplicib. medicam. Quod ideò fa-

ctitatum credit, ne exteriores partes vi ignis exuſtæ conſumerentur, interiorumque coctionem impedirent. Ego potius ob id factum exiſtimo, ne carnium, & piſcium inteſtinus, atq; proprius humor extra flueret: ſed intus cohibitus, & coctus iucundiorẽ cibum palato redderet. Oleum enim occludere extimos corporum meatus, quo minus quidquam effluere queat, & Galenus faſſus eſt, & Alexander, &c. Mercurial. Variar. lib. 1. cap. 16.

CVIII. *Butyrum pro oleo.*

APud gentes, quibus oleum deerat, butyrum etiam in vngendis poſt balnea corporibus pro ipſo ſupplebat, vt notauit Galenus, noſque in libris noſtris Gymnaſticæ monſtrauimus. Habuerunt quidem veteres varia butyri genera; ſed pharmaci potius loco, præſertim apud nobiles, quàm cibi illis in vſu erat: vt non immeritò Plin. butyrum gentium barbararum laudatiſſimum cibum, quive diuites à plebe diſcerneret, appellarit: hac namque ratione factum puto, vt Athenæus, qui in ſuo conuiuio nullum cibi genus prętcrijt, butyri nunquam mentionem fecerit. Idem eodem lib. & cap.

CIX. *Sanguis miſſus militibus.*

INter animaduerſiones militares primitus fuit ſanguinis miſſio veteribus, quæ irrogata primò credi-

creditur militibus animi ſtupentis, atque à naturali declinantis habitu, vt non tam pœna videretur, quàm medicina. Poſtea ob pleraque alia delicta idem factum per conſuetudinem, quaſi minùs ſani viderētur omnes qui delinquerent. Gellius lib.10.cap.8. Muretus Variar.lib.13.cap.20. potius id factum arbitratur, vt ſanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerunt, cùm ignominia amitterent. Aut ideo, quod Valtrinus noſter putat de militia Romanor. lib.6.cap.8. quod in ſubito pauore medici venā ſolui, & ſanguinem mitti iubeant, vt ſic pauoris, ac timiditatis ignaui milites arguerentur. Quæ ratio in idē cum prima redit. De hac, cæteriſque pœnis militaribus eruditè, ac fusè Petrus Faber Semeſtrium lib.1.cap.17.

C X. *Athletarum victus.*

ATHletæ certo quodam victu vtebantur, & neceſſario ad comparandas vires firmitatēque corporis. Huiuſmodi victum athleticum Ariſtot. *ἀναγκοφαγίαν* appellat in Politicis, quaſi cibi ſumendi neceſſitatem. Panis quo vtebantur coliphium dicebatur, ἀπὸ τοῦ κώλου, καὶ τοῦ ἶφι, id eſt, robore membrorū. Iuvenal. ſat.2. *Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca.* Celſus lib.4 cap.6. Si malū inueterauit, athletico victu corpus firmandum eſt. Athletico pro valido, & ad vires firmandas accōmodato dixit. Vnde athletica habitudo pro corpulēta, & firma dicitur. Inde apud Plautū

pugi-

pugilicè, & athleticè valere, pro optimè, & firmiſſimè. Bud. in Pandect. De iſta gladiatoria ſagina, & firmitate corporis Cyprian. epiſt. 2. Impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam carius pereat.

CXI. *Amicus cum viatico cibario.*

HEroicis temporibus, qui ab ſe amicum dimitterent, illum viatico cibario adornabãt: immò hoc proprium fuit viaticũ, non pecuniæ. Id plurimis auctorum locis firmat Ludouicus de la Cerda in 1. Æneid. ibi. *Vina bonus, quæ deinde cadis*, &c. *dederatq́; abeuntibus heros.*

CXII. *Sacra pocula in conuiuijs.*

SCholiaſtes Apollonij lib. 1. docet tria fuiſſe præcipua, & ſacra pocula in conuiuijs. Primũ διὸς σωτῆρος, Iouis ſoſpitatoris. Aliud ἀγαθοῦ δαίμονος, boni Genij. Tertium ἑρμοῦ, Mercurij præſidis ſomni. Et veriſimile eſt ipſam Fortunam boni genij nomine nuncupatam, vt cenſuit Eraſmus, vertens in quodam adagio ἀγαθοῦ δαίμονος, bonæ fortunæ, &c. Vide Adagialia Delrij Tom. I. pag. 417. col. 2.

CXIII. *Riſus in deorum numero.*

VT Vitulinæ, & Lubentiæ lætitiæ præſidibus Romani diuinos honores decreuerunt: ſic

Riſum

Riſum in deos retulerunt Græci, diemq́; feſtum inſtituerunt, & annuos ludos cum ſollemnibus ſacris ei deo fecerunt: præcipuè Theſſali, & ex ijs Hypatenſes; qui veneratione, cultuque γέλωτος θεοῦ valde celebres,& inſignes extiterunt. Lycurgus quoq; ſeueriſſimæ, ac rigidiſſimæ auctor diſciplinæ Riſûs marmoreum ſimulacrum Spartæ in delubro poſuit,ſanxitque, vt ciues ſui militiæ laboribus perfuncti, ei deo religiosè ſupplicarent. Gyraldus Syntag.1. vbi elegans carmen Cælij Calcagnini in Riſum ἐγκωμιαστικὸν recitatur.

CXIV. *Libationes Mercurio.*

POſt cœnam, cum iam cœtus diſſolueretur, libabant antiqui Mercurio, non, vt poſteritas, Ioui Telio; quoniam Mercurius ſomno præeſt. Libabant & eidem à cœna diſceſſuri, ob linguæ commercium. Mercurio namque ſacræ linguæ ſunt ob eloquentiam, & orationis perſpicuitatem. Athenæus lib. 1.

CXV. *Princeps celſiore loco.*

OLim ſolitum eſſe loco celſiore Principem, Ducem, Regem, Imperatorem, vt nunc, cū quid publicè agitur, demonſtrat in ſacris litteris militum illud, & aulicorum regis Iſraël factum. Qui cum Iehu ab Eliſæo vnctum vellent oſtentare 4. Reg. 9. feſtinauerunt,& vnuſquiſque tol-

lens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus eius, in ſimilitudinem tribunalis. Hoc imitati ſunt Græci, Romani, & Barbari. Lucan. lib. 5.

——Stetit aggere culti
Ceſpitis, intrepidus vultu, meruitq́ timeri
Non metuens.

Loquitur de Cæſare concionante. Omitto reliqua teſtimonia. Læl. Biſciol. Horar. ſubſeciuar. li. 8. cap. 3.

CXVI. *Patres, & fratres domini.*

ANte Auguſt. Cæſarem appellatos patres à liberis dominos reperio, & à fratribus blandientibus fratres. Diadumenus epiſt. ad matrem ſuam apud Æl. Lamprid. Dominus noſter, & Auguſtus nec te amat, nec ipſũ ſe, qui inimicos ſuos ſeruat. Et Martial. libro primo epigram. 49.

E ſeruo ſcis te genitum, blandeq́ fateris,
Cum dominum appellas, Soſibiane, patrem.

Quod fratres ita dicti, elegans eſt locus Senecæ epiſt. 105. Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, id eſt, Iunij fratris. Idem lib. eodem cap. 4.

CXVII. *Acclamatio, Omnes.*

MOs acclamandi fuit in communi conſenſu Senatus, Omnes. Vopiſcus in Tacito. Hac oratione, & Tacitus ipſe vehementer eſt motus, & totus ſenatorius ordo concuſſus: ſtatimq; acclama-

clamatum eſt, Omnes omnes. Inde itum in campum, &c. Trebellius in Valerianis. Quæ cum ſæpius eſſent dicta, addiderunt, omnes. Atq; ita diſceſſum eſt. Lipſius Elect. 1. cap. 30. Hoc verbo vno ſenatorum omnium conſenſu approbata teſtabantur: & valebat, omnes idem rogamus, omnes idem ſentimus, volumus, approbamus. Vide Petr. Fabri Semeſtr. lib. 1. c. 14.

CXVIII. *Mortuum proſequeb. ad rogum.*

ATHenis mortuorum filiæ, innuptæ etiam, cæteræque cognatæ mulieres in funus prodibant: ac mortuum vſque ad rogum proſequebantur. Quem morem tetigit Terent. in Andria. *Effertur, imus. Interea inter mulieres Quæ ibi aderant,* &c. Profert Victor. lib. 3. cap. 12. vt alium item locum ex Lyſia, in defenſione Eratoſthenis.

CXIX. *Fabulæ cantatæ.*

QVod veteres fabulas tam tragicas, quàm comicas nō ſermone, vt hodie fit, ſed altis vocibus, cantibusque recitarent, præter Ariſtotelē in problem. aliorumque auctorum teſtimonia, Galenus quoque noſter affirmauit: vbi comœdos, ac tragœdos ad conſeruandam vocem frequentibus balneis, ac laxantibus edulijs vſos narrat, &c. Mercurial. Variar. lib. 1. c. 19.

CXX. *Menſuræ potus.*

VArijs mēſuris antiquos potaſſe nō me latet. Sed ex ijs tres potiſsimùm obſeruare ſoleo,

Sextantem, Deuncem, Trientem; quarum duas rarius, tertiam frequentius, & à pluribus in quotidiano victu vſurpatam puto. Sextante temperatos, ac valetudinarios: Deunce intemperatos, & bibaces potaſſe valde veroſimile eſt. Nam Sueton. auctor eſt, Auguſtum Cæſarem ſextante bibiſſe, cúmque ſexies tantùm in conuiuijs publicis ori admouiſſe. Martial. item de ſe ipſo, & Cinna.

Sextantem poto, tu potas, Cinna, deuncem,
Et quereris quod non, Cinna, bibamus idem?

Item de luſco bibone ad Aulum:

Potat nobilis, Aule, lumine vno
Luſcus Phryx erat, alteroq; lippus:
Huic dicit medicus, bibas caueto
Vinum, ſi biberis, nihil videbis:
Ridens Phryx, oculo, valebis, inquit.
Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros iubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Ex quibus facilis coniectura eſt, deuncem, ſiue vnciarum vndecim calicem ebrioſorum potius, & intemperatorum hominum, ſextantem verò temperantium menſuram extitiſſe. Cæterùm, quòd in communi omnium ferè vſu eſſet crater, quinque paulò plus, minusvé vnciarum, appellatus triens, ideò mihi pro comperto habendum videtur, quoniam poëtæ, qui omnibus alijs auctoribus melius veterum, in edendo præſertim, & bibendo mores expreſſerunt, cum de huiuſ-

modi

modi potus menſuris, vaſisque loquuntur, ferè ſemper trientes nominant, &c. Idem capit. 22.

CXXI. *A paruis poculis ad maiora procedebant.*

IN conuiuijs publicis refert Alexand. Trallianus inſtitutum eſſe, vt contrarijs poculis vterentur; in principio ſcilicet minutis, in fine verò amplioribus. Vt enim epularum gratia, in quibus frequentius bibere decebat, veteres crebrius potarent, à paruis calicibus inchoabant, & in capaciores deſinebant: quippe cum parua ſatis implere, vbi potare liberaliſſimè liberet, nequirent. Quod ſi ab amplioribus incepiſſent, ocyus repleri neceſſe erat, & ſubinde minus potare: ſiquidē natura à largo protinus hauſtu accepto veluti expleta, copiam omnem ſubſequētem contemnit. Ex aduerſo; ſi paruis poculis aſſueta paulatim ampliora exhibeantur, facile copiam quamcunque ſuſtinet. Idem Mercurial. cap. eodem. Anacharſis tamen mirari ſe aiebat, cur Græci initio cōuiuij minoribus, cúm verò ſaturati eſſent maioribus poculis vterentur. Laërt.

CXXII. *Piſces ægrotis conceſſi.*

MEdici antiqui in ęgris ferè quibuſuis curandis eſum piſcium concedebant; non quod ſuapte natura admodum conueniant: ſed quia pauci erant, qui in ſanitate non potius piſcibus, quàm carnibus veſcerentur, vt in Sympoſiacis

docet Plutarch. Vnde conſuerudine, quam maximè reſpicerè iubet Hippocrates, impulſi, id potiùs quàm valida aliqua ratione factitarunt. Quare neq; hodie in ægritudinibus facilè debent piſces medici concedere, alioqui corruptioni obnoxios, niſi quis huiuſmodi frequenter veſci ſit ſolitus. Idem cap. 25.

CXXII. *Mangones, lenones.*

VEtuſtiſſimis vſque temporibus, cum nulla religio homines perinde ac belluas ſeruitij teneri, ac permutari vetaret, inueniebantur qui nullam aliam artem exercebant, quàm invendẽdis, permutandiſque infantibus, pueris, viris, virginibus, mulieribus, eunuchis, omniſq; tandem ſortis hominibus: ſed inter hos aliquod diſcrimen obſeruaui: quoniam qui pueros, puellas, & mulieres ad flagitium venditabant, antiquo Romanorum vocabulo lenones vocabãtur: qui verò infantes in caniſtris, ſeruos, eunuchos, aliósq; homines alterius operis gratiâ venales habebãt, ἀνδϱαποδοκάπηλοι, & interdum ἀνδϱοκάπηλοι à Galeno, à Latinis mangones vocati inueniũtur, &c. Idem lib, 2. cap. 1.

CXXIV. *Princeps honoratiſſimus.*

ANtonius Poſſeuin. Societatis noſtrę Preſbyter, à Gregorio XIII. Pont. Max. legatus ad Ioannem Baſilij Moſchorum Principem miſſus, librum

librum de rebus Moſcouiticis reliquit. In eo ſcribit, honorem tantum à gente illa ſuo Principi exhiberi, quantus vix intelligi poſſit. Ab ipſo, (ſi non credunt, certè ita crebrò fatentur,) ſe vitam, ſalutem, omniaque habere: vt & gratiæ Dei, & clementiæ Magni Gazij, ſeu regis, vel Imperatoris (ſic enim Principem vocant) cuncta tribuere putentur; & verberati ab eo, ac propemodum morientes, id loco beneficij ſeſe interdum dicant accipere. A pueris omnia ſui Principis maximè extollunt, ſeſeque viuere, & rectè valere, ſi viuat, & rectè valeat Princeps, aſſerunt: deq; alijs quãtacunque vident, hæc non magni æſtimant: licet qui rectius ſapiunt, ſi abſit quem timeant delaturum, & externas regiones obierint, haud difficillimè aliorum potentiam, & vires dignoſcant.

CXXV. *Sacrificium.*

Coxæ ſolum in ſacrificijs adolebantur; cæteris animalium votiuorum membris licebat ſacrificantibus veſci. Et ſolebant victimæ præſtantiores ad deorum ſacrificia reſeruari. Vnde Chryſes ad Apollinem ſacerdos eius 1. Iliad. ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί᾽ ἔκηα. Si vnquã tibi pingues coxas incendi. Spondan. in Comment.

CXXVI. *Luctus Romanorum* δεκαμηναῖος.

MAiores x. menſium ſpatium lugendi viros dederunt, vt eſt 1. Faſt. vt cum pertinacia muliebris mœroris publica conſtitutione deciderent: quia id tempus legitimæ partionis, & ne proles incerta eſſet, aut ſanguis confuſus. Lipſ. in cap.16. Conſolat. ad Heluiam Senecæ.

CXXVII. *Corona poëtica multiplex.*

DIuerſis poëtis diuerſa corona dabatur; laurea heroicis, ederacea lyricis, myrtea eroticis, mixta ex diuerſis frondibus pancarpia, omni genere carminum excellentibus. Gyrald. Hiſtoriæ poët. lib. 1. De corona poëtica, & more eos coronandi multis diſſerui in Symbolis meis Virgilian. ad eclog.7. ad verſum. *Paſtoras edera creſcentem ornate poëtam.*

CXXVIII. *Statuæ Imperatorum.*

NVdare ſe ante ſtatuam Imperatoris, vel quippiam obſcœnum dicere, aut facere non licebat. Tornorup. in Claudian. pag. 22. Spartian. in Caracal. Damnati ſunt eo tempore, qui vrinam eo in loco fecerant, vbi ſtatuæ, aut imagines erāt Principis. Imagines autem Impp. publicè damnatæ memoriæ, eorumque ſtatuæ delebantur, deijciebantur, euertebantur, fœde tractabantur. Lege cap.14. Bulengeri, lib.2. de Imperatore. Cur Iudæi non ponerent ſtatuas Imperatoribus, Ioſeph.

ſeph. lib. 2. contra Appionem. Ibidẽ laudati Romani, qui ad id eos non cogerent.

CXXIX. *Aqua expiatoria, & expiatio.*

AD expiationem veteres non quauis aqua cõtenti erant, ſed viua & perenni, & limpida, non ſtagnanti, non turbida. Tornotup. in ſat. 2. Perſij.

Duplex fuit lauatio, ſiue purificatio apud veteres; altera ad manus pertinebat; altera ad totũ corpus. Illa propriè χέρνιψ, hæc περίρρανσις appellabatur; fiebatque θαλλῷ, id eſt, ramo fælicis oliuæ, vt ait Virgilius. Aqua verò luſtralis, qua aſpergebantur, ſic fiebat. Erat ad fores templi aquiminale quoddam magnum, quales ferè tinctorum cortinæ (labrum Aſconius nominat) in quod mergebant titionem ardentẽ, ab ara ſumptum, quando victima adoletur, & ea aqua templum ingredientes ſeſe aſpergebant ipſi, aut à ſacrificulis aſpergebantur. Nec in templis ſolùm erant περιρραντήρια: ſed etiam ad fori introitum. Mors item fuit, vt ad fores priuatarum ædiũ tantiſper, dum illæ funeſtæ eſſent, & dum fieret ἡ πρόθεσις defuncti, vas magnum ſtatueretur, aqua luſtrali plenum, quæ eſſet è domo non funeſta allata: qua aqua ſe quiſque exiens aſpergeret, qui exequias venerat, idq; vas fictilinum fuit. Caſaubon. in Charact. Theophraſti.

CXXX. *Scholæ Philoſophorum templa.*

IN tẽplum nemo profanus, aut non initiatus ingrediebatur, niſi cũ periculo vel mortis, vel alterius damni. Vnde inſcriptum in aditu templi Æſculapij in Epidauro, *Eſſe decet caſtum ſancti qui limina templi ingreditur.* Clemens Alexand. Stromat. lib. 5. cap. 1. Sic philoſophi veteres à ſcholis ſuis, tanquam à templis & myſterijs abigebant illiteratos. Hinc ſcholæ Pythagoræ inſcriptum.

Ἀείσω συνετοῖσι, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις.
Cantabo doctis, age vanis claudite portas.

Et Platonis, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Expers geometriæ ne ingreditor. Neand. in Phocylid.

CXXXI. *Rodere vngues.*

IN curam aliquam, aut meditationem acrius intenti (vt ferè litterarum ſtudioſi) vngues ſubinde rodunt. Horat. ſat. 10. lib. 1. de Lucilio. *Et in verſu faciendo ſæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.* Perſius ſat. 1. *nec demorſos ſapit vngues.* Prouerb. de re cùm cura, & diligentia effecta. Idẽ ſat. 5. *crudum Chæroſtratus vnguem Abrodens.* Sic & calamũ ſolici prærodere, vt Demoſthenes, de quo Plutarchus, mortem eius narrans. Admouit, inqnit, ori calamum, & præmordens, vt in cogitatione, & ſcriptione ſolebat. Theodor. Marcil. in 1. ſat. Perſij.

CXXXII. *Poëtari inter cœnam.*

Fuiſſe hanc conſuetudinem Romanis proceribus, vt in cœna, & tricliniaribus lectulis accubantes verſiculis luderent, colligimus ex Perſio ſat. 1. *Nam quidquid deniq; lectis ſcribitur in citreis*. Et epigram. Catulli ad Licinium Caluum.

Heſterno, Licini, die otioſi
Multum luſimus in meis tabellis,
Vt conuenerat eſſe, delicatos
Scribens verſiculos vterq; noſtrum
Ludebat numero modò hoc, modò illo,
Reddens mutua per iocum, atq; vinum.

Eſſe hìc, eſt cœnitare, vt Terent. Eunucho, eſſe de ſymbolis. Item Plaut. Capt. *Scis bene eſſe, ſi ſit vnde*. Falluntur qui legunt, *eſſe delicatos*, & accipiunt, viuere, curare genium. *Vt conuenerat eſſe*, tempore cœnæ, Horat. ep. ad Auguſt. *pueri, patresq; ſeueri Fronde comas vincti cœnant, & carmina dicunt*. Theod. Marcil. ibid.

CXXXIII. *Pœna non ſoluentis ænigma.*

Siquis griphum aliquem, aut ænigma propoſitum neſciret ſoluere, poculum quod *ἄμυστις* dicebatur (quia vno hauſtu, ſine reſpiratione educendum) exhaurire cogebatur. Ex Critice de ritu bib. ſup. ſanit. Princip. lib. 1. Addam quod illic ſequitur. Sine reſpiratione multum ſimul

bibere, ſpiritum intercipit, ſtomachum inflat, digeſtionem impedit, cibos cum potu crudos adhuc, & indigeſtos è ventriculo propellit, ordinarioque alimento omnia membra deſtituit. Ibid. teſtimonium D. Ambroſij, pagina 99.

CXXXIV. *Feſta anniuerſ. gratæ memoriæ.*

QVotannis feſtũ diem agitabant familiæ pro priuato ſingularũ ſtudio, quo vel graui perfunctæ periculo fuiſſent; vel aliquod à dijs beneficium accepiſſent, in honorem eorundem. Martin. de Roa de die natali cap. 5.

CXXXV. *Vſtiones contra pituitam.*

IN Thuſcia, ac nonnullis alijs Italiæ regionibus conſuetudo tenuit, vt pueros adhuc lactentes, vel paulo maiores in occipite ferris ignitis vrerent; ſperantes eo auxilio ipſos à pituitæ malis, & præſertim à puerili morbo tutos futuros. Quẽ morem habuiſſe antiquiſſimis vſq; temporibus Libyæ populos, teſtatur Herodotus in quarto, &c. Non adeò diuerſum erat, quod factitaſſe Scythas memoriæ prodidit Hippocrates, qui cum ob frequentes equitationes coxis, atque cruribus valde offenderentur, inciſione venarum poſt aures ſibi ipſis auxiliabantur; tanquam eo remedio capiti adhibito, pituitæ fluxum ad inferiora

cohi-

berent: quo ſani quidem, ſed infœcundi ſemper manebant, &c. Mercurial. varian. lib. 2. cap. 2.

CXXXVI. *Catuli lactentes, ranæ, cerebra animalium, grues, ſumen in antiquorum edulijs.*

CAtulos lactentes adeo puros exiſtimabant ad cibum, vt etiam placãdis numinibus hoſtiarum vice vterentur his, & in cœnis deûm etiamnum ponitur catulina. Adijcialibus quidem epulis celebrem fuiſſe, Plauti fabulę indicio ſunt. (Saturionem intellige ex Feſto) Plin. lib. 29. ca. 4. Hippocrates eoſdem in varijs ægritudinibus cõmendauit. Ranarum item carnes pro cibis quod ederent maiores, à nemine fuit proditum; eas tamen hac tempeſtate veluti delicatiſſimas deguſtant multæ nationes, & præſertim Itali; quos hac ratione à Græcis aliquando βατραχοφάγυς vocari animaduerti. Quod enim ranæ ventrem Archeſtratus apud Athenæum laudat, id de rana piſce intelligendum eſt. Tempore Plutarchi cerebra animalium manducari cœperunt; quæ antiquos vti abominatos proiecisſe affirmat 8. Sympoſ. probl. 9. Noſtra tempeſtate nullus ferè eſt, cuius palato grues admodum arrideant; cum & Galenus fibroſam, ac duram carnẽ habere dicat; quas tamen tanti fecerunt interdum maiores, vt ex Melo inſula eas (quod refert Gellius ex Varrone) maximis impenſis Romam vehendas curarent.

Quinimmò ijs pinguibus reddendis magnum ſtudium adhibuiſſe oſtendit idem Plutarch. in 2. declamat. de eſu carnium. Sumen inter delicatiores cibos non infimum locum tenuiſſe, omnes latini poëtæ atteſtantur. Vt dicere liceat de cibis, quod Horat. de vocabulis cecinit. *Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentq́; Quæ nunc ſunt in honore vocabula.* Idem cap. 5.

Adijcialis cœna fuit, quoties aut inaugurandi alicuius gratia, aut propter aliud quid, publicam puta lętitiam, indicebatur epulum, idque dicebatur epulum, aut cœnam adijcere. Tacit. Annal. 2. Reſcuporis ſanciendo, vt dictitabant, fœderi cõuiuium adijcit, tractaque in multam noctem lætitia per epulas, ac vinolentiam, &c. Scaliger Coniectan. in Varron. de LL.

CXXXVII. *Varij variarum corporis partium medici.*

HAbebant Romani, & Græci medicos, qui nudis quibuſdam experimentis peculiares corporum humanorum partes curare profitebãtur, veluti aures, caput, teſtes, ventrem, dentes, morbos occultos. Sed maior illorum copia, atque auctoritas erat, qui oculis medendis operam nauabant: qui, vt cæca tantùm experientia confiſi, non rarò magnum detrimentum afferebant, vt de quodam medico notauit Martialis, qui oculos eruebat ita frequenter hominibus, vt eam profeſſionem relinquere coactus, ad hoplomachiam

chiam exercendam ſe contulerit, in qua etiam paria damna inferebat.

Hoplomachus nunc es, fueras qui ophthalmicus ante;
Feciſti medicus quod facis Hoplomachus.

Quomodo verò ea varijs medicis varias corporum partes curare cõſuetudo inuecta fuerit, exiſtimo Ægyptios, vt multa alia, ſic & hos mores in Græcos inuexiſſe, ab his deinde emanaſſe ad Romanos; quos vniuerſam medicinam ex Græcia recepiſſe Cato, & Plin. teſtati ſunt. Mercurial. li. 2. cap. 8. De Ægyptijs conſule Herodotum lib. 2. Plutarch. lib. de Iſide, & Oſiride.

De humanitate medicorum egregie dictum à quodam, fieri non poſſe, quin hominum calamitatibus afficiantur, cum adſunt ægrotis, cum imbecillitatem generis humani cõtemplantur. Hęc enim flectunt animos ad humanitatem. Nec vllam profeſſionem plus habere humanitatis, quã medicam, quoniam opitulatur vitæ. De laboribus, & moleſtijs medicorum, quas in curandis ægrotis ſuſcipiunt, quaſque patiuntur, Iun. Cent. 7. prouerb. 5, Aliena in miſeria cruciatum proprium metit.

CXXXVIII. *Vina percolabantur.*

Vina craſſiuſcula ſacco lineo percolare cõſueuiſſe maiores præter Lucretij, Horatij, Martialis, & aliorum teſtimonia Plutarch. problem.

in id inſtituto abundè monſtrtuit. Cur verò id agerent, explanaſſe videtur Plin. cap. vltimo lib. 14. vbi dicit, quod vinorum vires ſacco frangebantur, vt potores plus bibere poſſent. Vina etenim diffuſa, perfrigerata, & excolata tenuiora fieri, atque debiliora, etiam in libello περὶ παθῶν ſub Hippocratis nomine vulgato, inuenitur; vt iure Plin. vina inueterari, ſaccisque caſtrari dixerit l.19.c.4. Apud quem etiam ſaccis aniſum, & amaras nuces ad commendanda vina addi ſolitas legitur l.20.c.17. Idem Mercur. c.17.

CXXXIX. *E boum cornibus bibebant.*

APud Athenæum lib. 11. ſic legimus. Priſcos, atque primos homines fama eſt boum cornibus olim bibiſſe, poculis inde factis intellige. Liquet hoc ex eo, quod adhuc dum aquæ vinum permiſcent κεϱάσαι dicũt, (ἀπὸ τοῦ κέϱατος à cornu:) & vas in quo vinum miſcetur craterem appellãt, ἀπὸ τοῦ κέϱατος, quaſi κεϱατῆϱα corneum, quoniam in cornua potio fundatur. Teſtes adducit moris huius Pindarum, Xenophontem, Æſchylum, & alios. Ibidem, Athenienſes cornibus etiam argẽteis bibebant. In Hercinia ſylua Vros, taurorum genus reperiri ſcribit Cæſar Gallicor. lib. 6. quorum cornua amplitudine, figura & ſpecie multũ à noſtrorum boum cornibus differant. Hæc ſtudioſè conquiſita ab labris argento circumcludunt:

dunt: atque in ampliſſimis epulis pro poculis vtuntur. Eadem Solin.cap.23. Iſtis porròquos Vros dicimus, taurina cornua in tantum protenduntur, vt dempta, ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula fiant;

CXL. *Farrago, ſeu Miſcella.*

IN magnis ſceleribus non modò animaduertebatur in ſontes ipſos, qui deliquerant; ſed in eorum quoque ſedes. Varro lib.1.rerum.human. Numerius Equitius Cupes,& Marcellus Romanus ſingulari latrocinio multa loca habuerunt infeſta. His in exilium actis publicata ſunt bona, & ædes vbi habitabant dirutæ. Vide Valer.Max. lib.6.cap.3.Cic.pro domo ſua. Quintil.lib.5.ca. 7. II. Floribus,& corollis deorum ſtatuas ornabant. Apul. 3. Mileſiar. Quod (Eponæ deæ ſimulacrum) accuratè corollis roſeis, & quidē recentibus fuerat ornatum. Cuique autem numini aptabatur corona ex ea re quæ eſſet ipſi familiaris,& grata,aut quam ipſe deus procrearet. Carol.Paſchal.Coronar.lib.4. III. Tondendi munere functas olim & fæminas, fuiſſeque tonſtriculas patet ex Truculento Plauti. *Quid multa verba facimus? tonſtricem Suram nouiſti noſtram,* &c. Iterum. *Nam mihi diuidia eſt tonſtricem noſtram ſic mulctatā male.* Cic.Tuſcul.5. de Dionyſio tyranno. Ita ſordido,ancillarique artificio regiæ virgines vt tonſtriculæ tondebant barbam patris.

patris. IV. Interdum Impp. in Caſtris, aut alibi, cum diadema ad manus non eſſet, torque aureo caput coronabantur, quod centurio quidam fecit Iuliano, cum eum exercitus Auguſtum proclamaret. Sid. 7 carm. *ac torque coronant Caſtrenſi mœſtum, donantq́; inſignia regni.* Etiam collo inijciebatur.

Corippus lib. 2.

Armati manibus ſacrati circulus auri
Impoſitus collo imperium ſublime dicauit.

V. Loculus, ſeu pheretrum ignobilium, plebeiorum, damnatorũ ſandapila vocabatur. Sueton. Domit. cap. 17. cadauer eius populari ſandapila per veſpillones exportatum ſcribit.

Martial. lib. 2. epig. 81.

Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit,
Dum tamen hac tua ſit, Zoile, ſandapila.

VI. In nuptijs thalami reſpergebantur floribus, & poſtes ornabantur frondibus. D. Ambroſ. lib. 2. de Virginib. VII. Editores ſpectaculi publici peractis ludis, & conuiuijs munuſcula mittebant amicis abſentibus. Apophoreta autem proprie conuiuis abeuntibus dari ſolebant. Indicat Martial. præfat. lib. vlt. qui inſcriptus eſt eo nomine. Sed nomen id latius poſtea extenſum fuit, &c. Franciſcus Iuretus ad ep. 81. lib. 2. Symmachi VII. Principes etiam populum ſalutabãt in Circo, & ſpectaculis. Symmach. ep. 27. lib. 10. Oro atque obſecro, ne populum, quem triumphantes ſæpe veneramini, cæteris vrbibus confe-

tatis,

ratis. Claudian. paneg. in 6. conſul. Honorij.

O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperij præſens ſpecies, quantumq́; rependit
Maieſtas alterna vicem: cum regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus, &c.

Iuretus. VIII. Controuerſiæ in templis cōponi ſolitæ. Iſocr. in Trapezitico, Plin. ep. 1. li. 5. Dio varijs locis. Cōponebantur vero iureiurando interpoſito. Sueton. in Cæſare ſub finem. Et iurabant per deos, heroas, magnosque viros defunctos, etiam viuos. Vnde apud Lucian. eſt ὄρκιον εἶναι τινι pro obſeruari, colique ab aliquo officioſiſſimè. Caſaub. in Iulium.

CXLI. *Obuiam prodibant ſucceſſori.*

PRoconſul, vel alius, qui prouinciam adminiſtraſſet, cùm eſſet deceſſurus, non modo operiebatur ſucceſſorem ſibi datū, ſed etiam ei procedebat obuiam; & quò longius, eò honorificētius habebatur. Cic. ad Att. de Appio, & ad ipſum Appium, vbi ſe de hac re elegantiſſimè purgat. Gentil. in Apuleium.

CXLII. *Vnguenta in cibo, & potu.*

VEteres tam potibus, quam cibis vnguenta admiſcuiſſe. Plin. Plutarch. & Arſenius memoriæ mandarūt. Ratio autē erat, quod vt muſi-

cis ſonis, cantibusque aures, ſpectaculis viſum, edulijs palatum: & ſic & varijs vnguentorum, atque florum odoribus nares in conuiuijs delectare ſtudebant. Mercurial.lib.2.cap.19.

CXLIII. *Labarum, & alia ſigna militaria adorabantur.*

LAbarum olim inter ſigna militaria primum: in eo coronatæ Imperatorum imagines, cum titulis Auguſtorum. Ideo Tacitus Annal. 2. ſigna appellauit propria legionum numina; & bellorum deos imagines Imperatorum. Ea & locata in tẽplis, & adorata docet Herodian.lib.4. Poſtquam in caſtra venit, & id ſacellum, in quo ſigna & imagines exercitus adoratur. Et Tertull. in Apolog. religio tota caſtrenſis ſigna veneratur; ſigna iurat: dijs omnibus præponit. De labaro Sozom.lib.1.cap.4 Hoc ſignum venerabile maximè: quia & Principem antecedere, & adorari etiam à militibus ſolebat. Sueton. Calig. cap.14. Artabanus transgreſſus Euphraten, aquilas, & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adorauit. Martinus à Roa Singular.lib.1.c.

CXLIV. *Pugnæ ſignum tunica coccinea.*

ROmani, vbi decretum erat pugnare, tunicã coccineam in haſta proponebant: vt eo ſigno

gno milites monerentur ſe, & arma parare: addo etiam, vt accenderentur ad pugnam; & ita exiſtimarent, ſibi pro vita, quæ in ſanguine ſignificatur, cuius color rubeus eſt ſignum, eſſe dimicandum. Plutarch. In Fabio. Pugnæ ſignum propoſuit: eſt autem tunica coccinea ſuper tabernaculum imperatoris extenſa. Idem in Bruto. Et Iſidorus. Ruſſata pridiè quàm dimicandum eſſet, ſolebat ante principia poni; quaſi admonitio, & indicium futuræ pugnæ. Idem Martin. ibid.

CXLV. *Dij variè picti.*

GEntes effingebant deos prout earum erant inſtituta, & mores. Lacedæmones deos, deáſque plerumque armatos, quia delectabantur armis. Phœnices quia mercimonijs, & mercaturæ dediti, cum loculis nummarijs, quod pecuniosum beatum ducerent. Gyraldus libro 1. de dijs gent.

CXLVI. Γυναικόσμος.

MAgiſtratum, qui mulierum moribus præeſſet, ſic vocabant Græci, Quem intellexit Plautus in Aulularia, cum ait *Moribus præfectum mulierum hunc factum velim*. Quem magiſtratum Cic. in ea repub. quam fingebat, creari videtur noluiſſe. Nam 4. de repub. citante Nonio. Nec vero mulieribus præfectus præponatur, qui

Z apud

apud Græcos creari ſolet: ſed ſit Cenſor, qui viros doceat moderati vxoribus. Fallitur Pet. Victor. lib. 21. ca. 6. qui putat præfuiſſe ornatui mulierum. Quanquam & huic præfuit, moderato, & modeſto ſcilicet. Tales apud Lacedæmonas ἁρμόσυνοι dicebantur.

CXLVII. *Folia lauri inter bellaria.*

LEgimus apud Athenæum lib. 4. veteres inter bellaria poſt cœnam interdũ etiam folia lauri adhibuiſſe. Quod pluribus rationibus factum puto, ſed potiſſimùm duabus hiſce: tum vt vi foliorum exſiccatoria fumi ad caput elati abſumerentur? tùm vt etiam odor vini, ac ciborum, qui ſolet ſæpenumero à ſaturis hominibus grauis emitti, abſconderetur; id quod Martialis in 5. facetè, & clarè admodum nobis indicauit.

Fœtere multo Myrtale ſolet vino.
Sed fallat vt nos, folia deuorat lauri,
Merumq́; cauta fronde, non aqua miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paule, videris contrà,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Mercurial. lib. 4. cap. 6.

CXLVIII. *Coronæ, & alia vitandæ ebrietati.*

VT vitarent antiqui ebrietatem, ac interim multum biberent, interdum lauro, hedera, anetho, ſimilibusque alijs eos coronatos inter potandum legimus. Alij pumicem tritum, alij amygdala amara, alij braſſicam præmandebant; quaſi non præſtaret ebrietatis turpitudinem ſobrietate cauere, quàm eam ſuccis, alijſvé medicamentis occultare. Idem ibid. Rhodigin. lib. 27. c. 26. cauſam reddit. Hederacea corona diſcumbentes ſe ornabant, quod inſita frigiditate vini potentiam retunderet, minusque inde afficerétur bibentes, ebrietatis violentia reſtincta hederæ vi frigorifica. Ob hoc ipſum in conviualem lætitiam admittebantur corollæ ex floribus, quarum defluxus mirabiliter cerebrum aduerſus latentem graſſantis ebrietatis impetum communiret, & obſepiret. &c.

CXLIX. *Lauatio manuum in conuiuio.*

NOn ante mēſam modò, ſed in conuiuio meliore per ſingula fercula, & miſſus lauabant. Ita apud Athenæum lib. 4. cap. 1. in Carani Macedonis conuiuio iam medio leges, *καὶ ὡς ἅδην ἔχομεν βρώσεως, ἐχερνιψάμεθα*, & cum ſatis cibi ſumpſiſſemus, manus lauimus. Iterumque poſt aliud fercalum, *καὶ νιψάμενοι τὰς χεῖρας ἐστεφανώμεθα*, & manus loti coronas ſumpſimus. Et apud Lamprid. in Eligabalo. Exhibuit aliquando & tale cōuiuiū, vt haberet viginti duo fercula ingentium

epulatum, & per ſingula fercula lauarent. Ibid. Paraſitis in ſecunda menſa ſæpè ceream cœnam, ſæpe ligneam, ſæpè eburneam exhibuit: cum tantùm biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lauarent. Non ſurgebant, ſed auertebant ſe à menſa. Sidonius bene adſignificat lib.1. cum apud Cæſarem epularetur. Retrorſuſque conuerſus, inquit, tanquam manibus aquam poſtularem, tantumque remoratus, quantum ſtibadij circulum celerantia miniſteria percurrunt, cubitum toro reddidi. Lipſ. de Gladiator. lib.2. cap. 1.

CL. *Præfatio in aditu Principis.*

PRiſcis ſeculis, qui Principes ſuos alloquebantur, deuotos ſe illis, aut dicatos præfabantur. Dio Caſſius auctor eſt lib. 53. & marmora oſtendunt, & ſtatuæ, quibus illud ſollemne inſcriptum reperias, DEVOTVS NVMINI, MAIESTATIQVE TVÆ. Mart. à Roa. Sing. lib. 1. c. 10.

CLI. *Sacrif. de bonis damnatorum, & vinum damnatorum.*

OLim ex bonis damnatorum fieri ſacra conſueuerunt. Seruius in illud Virg. 1. Æneid. *ſimul diuûm templis indicit honorem.* Indici autem dicuntur, quia pauperes maiorum ex collatione ſacrificabant: aut certè de bonis damnatorum, vnde

vnde & ſupplicia dicuntur. Idem Iſidor. in 6. & meminit Feſtus. Supplicationes quæ ſunt de bonis paſtorum ſupplicia. Hinc etiam ſacer homo, ſacra bona, & ſacrum pro execrando ſumptum, quia ſacræ res de bonis execrandorum fiebant. Iſidor, lib. 5. Supplicium propriè dicitur, non qui quoquo modo punitur, ſed ita damnatur, vt bona eius conſecrentur, & in publicum redigantur. Nam ſupplicia dicebantur ſupplicamenta, & ſupplicium dicitur, de cuius damnatione delibatur aliquid deo: vnde & ſupplicare. Vinum verò damnatorum nullum eſt aliud, niſi illud quod ex damnatorum mulcta, & ſupplicio comparabatur; ex quo dijs ſacrificare, ac proinde conuiuari etiam peracto ſacrificio veteres cõſueuere. Nam de generoſiſſimo vino, ijs propinato, qui ad ſupplicium raptarentur, meras eſſe nugas, meraque ſomnia quis non videat? Idem lib. 2. cap. 9.

CLII. *Naues coronabantur.*

NAues in lætitia, & victoria ramis ſolebant coronari. Virgil. 1. Geor.

Ceu preſſa cum iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuêre coronas.

Propert. lib. 3. eleg. 24.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ:
Traiectæ Syrtes: anchora iacta mihi eſt.

Ovid. 3. Amor. eleg. 10. quaſi ex Amore victoriam retuliſſet, ita canit.

Iam mea votiua puppis redimita coronâ.
Læta tumeſcentes æquoris audit aquas.
Et 2. de remed.
Hoc opus exegi: feſſæ date ſerta carinæ,
Contigimus portum, quò mihi curſus erat.
Idem lib. 2. cap. 12.

CLIII. *Principes viri lampadibus excipiebantur.*

INgredientibus vrbē principibus viris hic honos habebatur, apud Hebræos, Romanos, aliasque nationes. 2. Machab. cap. 4. Antiochus rex Hieroſolymam ingrediens, cum facularum luminibus exceptus eſt. Iudith. 3. Duci Holoferno vniuerſæ vrbes Syriæ, Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, Libyæ, atq; Ciliciæ cum ramis & lampadibus obuiam exiēre. De Romanis Plutarch. in Pompeio, de eius Neapolim ingreſſu, Multi præterea ſertis ornati, ſub lampadibus eum ſuſcepere. Suetoñ. de triumpho Iulij Cæſaris, cap. 37. Aſcendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantibus lychnuchos geſtantibus. In Ptolemæi etiam pōpa lampades prælatas apud Athenæum legas lib. 5. cap. 5. Antonius etiam triumvir, vt idem tradit lib. 4. in arcem Athenarum acceptus eſt, illuſtrata vrbe lampadibus è tectis fulgentibus, &c. Ibid. cap. 16.

CLIV. *A conuiuio prælatæ lucernæ.*

Apud

APud Romanos cum lucernis, aut lampadibus domum deducti convivæ. Hinc prælucentes ſerui Latinis, qui Græcis δᾳδοῦχοι. Meminit Sueton. in Aug. cap. 29. de ſeruo per nocturnum iter domino prælucente, quem fulgur exanimauit: & ſcribit Athen. in cœna Cleopatræ æthiopicos ſeruos, qui conuiuis domum redeuntibus prælucerent ab ea datos eſſe, ſcilicet quia noctu redibant. Dio Caſſius lib. 49. Seianus Floralibus ad ridendum Tiberium (caluus enim erat) omnia caluorum miniſterio ad noctem vſq; peregerat, lumen quoque diſcedentibus à theatro per puerorum raſis capitibus quinque millia præbuerat. Epicharmus in ſpe, ſiue Plato apud Athenæum lib. 6. cap. 5.

Nam multum edens, bibensq; multum protinus
Diſcedo, lucernam puer nec fert mihi.

Idem cap. 22.

CLV. *Cœna ſeruis, dominis miniſtrantibus.*

SAturnalium mos & Hebræis videtur vſitatus fuiſſe, quod Chriſti verba illa ſignificant. *Dico vobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcũbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Vbi cœnam videas fidelibus ſeruis, pro mercede nauatæ diligenter operæ à domino appoſitam, & eo quidem ipſo accumbentibus miniſtrante. Qui mos Kalend. Martijs à fæminis Romanis, à viris verò in Saturnalium celebratione ſolemnis; nec alia certè de

cauſſa, vt Macrob. tradit. Seruis, inquit, cœnas apponebant matronæ, vt domini Saturnalibus. Illæ, vt principiò anni ad promptum obſequium honore ſeruos inuitarent;hi,quia gratiam perfecti operis exſoluerent. Idem cap.24. Athenæus lib.14. morem hunc à Græcis ſumptum docet ex Caryſtio. Idem enim Mercurij feſtis diebus in Creta fiebat. Idem & apud Trezœnios menſe Gerçſtione,quo per multos die· ...menrus age-bantur, & nundinæ, horum certo die ſerui cum ciuibus talis publicè ludebant,& conuiuium domini ſeruis exhibebant. Ibid. Ex Beroſo, menſis Loi decimoſexto die feſtū celebrari apud Babylonios, Saceas nomine, cuius tempore ſerui dominis imperabant: & ex illis vnus præerat ædibus, veſtem indutus regiæ ſimilem.

CLVI. *Odores incenſi, & vnguenta profuſa.*

IN ſacris, nuptialibusque pompis, & in principibus viris excipiendis non ſolum odores incenſos publicè lego,ſed etiam vnguenta profuſa. Antiochus Syriæ rex in pompa, quam in honorē Daphnes inſtruxit,ducentas ferè puellas induxit, quæ vias vnguentis conſpergerent. Athenæus lib.5.cap.4 Acceſſerunt,inquit, & ſexcenti pueri regij,aurea vaſa habentes; mulieres poſtea ducentæ ferè vnguenta ex peluibus aureis aſpergebant. De incenſis odoribus idem lib.6.c.6. Non diſſimili apparatu Metellus Pius in vlteriorē Hiſpaniam

ſpaniam veniens exceptus eſt, vt ex Salluſtio narrat Macrobius. Alexander ſibi ingreſſuro etiam vnguenta ſpargi voluit, addito vino odorifero, vt nihil illi ad diuinum ſui cultum deeſſet. Athen. lib 12. cap. 8. Vide cætera. lib. 3 cap. 1. apud Martinum inquam de Roa.

CLVII. *Caput, pedes, pectus vngebant. Vnguentum pro apophoreto.*

SOlebant veteres non caput modò, & pedes, ſed pectus quoque vnguentis illinire, non ſolùm ob boni odoris gratiam: ſed quia vitæ, atque animæ ſedem in corde ſitam eſſe arbitrabantur, quod Athen. docet lib, 15. cap. 14. Sed conuiuis non ſolùm inuncti pedes, aut caput, ſed data etiã inter apophoreta, ſiue corollaria, vaſa magni pretij vnguenti plena, quod idem docet, maximè li. 4. cap. 1. vbi de Carani Macedonis conuiuio. Ingreſſæ poſtea ſunt aliæ, quarum ſingulæ duas lecythos vnguento plenas, aureiſque loris reuinctas attulerunt, hanc quidem argenteam, illam verò auream, cotylæ capacem, atque ſingulis cõuiuis obtulerunt, Idem cap. 1. Vide quæ ſequitur appendicem.

CLVIII. *Senectus honorata in conuiuio.*

INuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio eſſent interfuturi: ne ſenioris

aduentum diſcubitu præcurrerent: ſublataque menſa priores conſurgere, & abire patiebantur. Ex quibus apparet, cœnæ quoque tẽpore quàm parco, & quàm modeſto ſermone his præſentibus ſoliti ſint vti. Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

CLIX. *Dos vxoria.*

VEterum Germanorum inſtitutum fuit, vxori ducendæ boues iunctos, frænatum equũ, & ſcutum cum framea, gladioque mittere doris nomine; vt vxor, ait Tacitus, venire ſe laborum, periculorumq; ſociam his incipientis matrimonij auſpicijs admoneretur: Idem in pace, idem in prælijs ſe paſſuram, auſuramque. Laborem enim iuncti boues, bellum paratus equus, & data arma denuntiabant. Pierius hieroglyph. lib. 3.

CLX. *Veſtis alba.*

MAnumiſſione libertatem adepti, veſte alba decorabantur. Tertullian. Atqui & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine ac tribu, menſaque honoratur. Idem alibi teſtatur. Sacræ quoque tincturæ candidatis mos fuit albam veſtem induere, de quibus eleganter Pontius Paulinus.

Inde parens ſacro ducit de fonte ſacerdos
Infantes niueo corpore, corde, habitu.

Et Fortunatus.

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atq; vetus vitium purgat in amne nouo.

Ful-

Fulgentes animas veſtis quoq; candida ſignat,
Et grege de niueo gaudia paſtor habet.

Et quoniam per hebdomadem paſchatis vnà tingi plures conſueuerunt, ea de cauſſa feriæ illæ, quæ ad hoc inſtitutæ ſunt, & quæ ſubſequitur hebdomas in albis adhuc appellatur. Erat verò ſignum quoddam manumiſſionis, de quo ſupra dictum. Idem lib.40.

CLXI. *Saccus in luctu.*

APud Hebræos luctus, ſupremæque mæſtitiæ indicium erat veſtis ſaccus, & ſaccium appellata, humilis, abiectæ vilitatis, & informis, quæ quidem induta calamitatem, qua quis oppreſſus eſſet, indicabat; conſciſſa verò lætitiam. Sunt qui cilicium interpretentur. Sed & Græci ſacci vocabulum vſurpant. Vtcunque, veſtem huiuſmodi induere conſueuerant, cum in ærumnas, quæ omnem ſuperarent conſolationem, incidiſſent: quibus demum liberati ſaccum diſcindebant. Pſalmo 35. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar ſacco, & macerabam in ieiunio animam meam.* Idem lib.eodem.

CLXII. *Mappa in ludis.*

MAppa veli genus, quod mẽſis inſternimus, quoq; abſtergendis manibus vtimur, ſignũ erat in ludis circenſibus, quo equi de carceribus excitati curſum arripiebãt: mittebat enim Prętor eam cum ſignũ daret, quod nũc clangore tubarũ

ſigni-

patris. IV. Interdum Impp. in Caſtris, aut alibi, cum diadema ad manus non eſſet, torque aureo caput coronabantur, quod centurio quidam fecit Iuliano, cum eum exercitus Auguſtum proclamaret. Sid. 7 carm. *ac torque coronant Caſtrenſi mœſtum, donantq́; inſignia regni.* Etiam collo inijciebatur.

Corippus lib. 2.

Armati manibus ſacrati circulus auri
Impoſitus collo imperium ſublime dicauit.

V. Loculus, ſeu pheretrum ignobilium, plebeiorum, damnatorũ ſandapila vocabatur. Sueton. Domit. cap. 17. cadauer eius populari ſandapila per veſpillones exportatum ſcribit.

Martial. lib. 2. epig. 81.

Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit,
Dum tamen hæc tua ſit, Zoile, ſandapila.

VI. In nuptijs thalami reſpergebantur floribus, & poſtes ornabantur frondibus. D. Ambroſ. lib. 2. de Virginib. VII. Editores ſpectaculi publici peractis ludis, & conuiuijs munuſcula mittebant amicis abſentibus. Apophoreta autem proprie conuiuis abeuntibus dari ſolebant. Indicat Martial. præfat. lib. vlt. qui inſcriptus eſt eo nomine. Sed nomen id latius poſtea extenſum fuit, &c. Franciſcus Iuretus ad ep. 81. lib. 2. Symmachi VII. Principes etiam populum ſalutabāt in Circo, & ſpectaculis. Symmach. ep. 27. lib. 10. Oro atque obſecro, ne populum, quem triumphantes ſæpe veneramini, cæteris vrbibus confe-

tatis,

ratis. Claudiān. paneg. in 6. conſul. Honorij.

O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperij præſens ſpecies, quantumq́ rependit
Maieſtas alterna vicem: cum regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus, &c.

Ieretus. VIII. Controuerſiæ in templis cōponi ſolitæ. Iſocr. in Trapezitico. Plin. ep. 1. li. 5. Dio varijs locis. Cōponebantur vero iureiurando interpoſito. Sueton. in Cæſare ſub finem. Et iurabant per deos, heroas, magnosque viros defunctos, etiam viuos. Vnde apud Lucian. eſt ὄρκον εἶναι τινι pro obſeruari, coliq́ue ab aliquo officioſiſſimè. Caſaub. in Iulium.

CXLI. *Obuiam prodibant ſucceſſori.*

PRoconſul, vel alius, qui prouinciam adminiſtraſſet, cùm eſſet deceſſurus, non modo operiebatur ſucceſſorem ſibi datū, ſed etiam ei procedebat obuiam; & quò longius, eò honorificētius habebatur. Cic. ad Att. de Appio, & ad ipſum Appium, vbi ſe de hac re elegantiſſimè purgat. Gentil. in Apuleium.

CXLII. *Vnguenta in cibo, & potu.*

VEteres tam potibus, quam cibis vnguenta admiſcuiſſe. Plin. Plutarch. & Arſenius memoriæ mandarūt. Ratio autē erat, quod vt muſi-

cis

cis ſonis, cantibusque aures, ſpectaculis viſum, edulijs palatum: & ſic & varijs vnguentorum, atque florum odoribus nares in conuiuijs delectare ſtudebant. Mercurial.lib.2.cap.19.

CXLIII. *Labarum, & alia ſigna militaria adorabantur.*

LAbarum olim inter ſigna militaria primum: in eo coronatæ Imperatorum imagines, cum titulis Auguſtorum. Ideo Tacitus Annal. 2. ſigna appellauit propria legionum numina, & bellorum deos imagines Imperatorum. Ea & locata in téplis, & adorata docet Herodian.lib.4. Poſtquam in caſtra venit, & id ſacellum, in quo ſigna & imagines exercitus adorãtur. Et Tertull.in Apolog. religio tota caſtrenſis ſigna veneratur; ſigna iurat: dijs omnibus præponit. De labaro Sozom.lib.1.cap.4 Hoc ſignum venerabile maximè: quia & Principem antecedere, & adorari etiam à militibus ſolebat. Sueton. Calig.cap.14. Artabanus transgreſſus Euphraten, aquilas, & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adorauit. Martinus à Roa Singular.lib.1.c.

CXLIV. *Pugnæ ſignum tunica coccinea.*

ROmani, vbi decretum erat pugnare, tunicã coccineam in haſta proponebant: vt eo ſi-

gno

gno milites monerentur ſe, & arma parare: addo etiam, vt accenderentur ad pugnam; & ita exiſtimarent, ſibi pro vita, quæ in ſanguine ſignificatur, cuius color rubeus eſt ſignum, eſſe dimicandum. Plutarch. in Fabio. Pugnæ ſignum propoſuit: eſt autem tunica coccinea ſuper tabernaculum imperatoris extenſa. Idem in Bruto. Et Iſidorus. Ruſſata pridiè quàm dimicandum eſſet, ſolebat ante principia poni; quaſi admonitio, & indicium futuræ pugnæ. Idem Martin. ibid.

CXLV. *Dij variè picti.*

GEntes effingebant deos prout earum erant inſtituta, & mores. Lacedæmones deos, deásque plerumque armatos, quia delectabantur armis. Phœnices quia mercimonijs, & mercaturæ dediti, cum loculis nummarijs, quod pecunioſum beatum ducerent. Gyraldus libro 1. de dijs gent.

CXLVI. Γυναικόσμος.

MAgiſtratum, qui mulierum moribus præeſſet, ſic vocabant Græci. Quem intellexit Plautus in Aulularia, cum ait *Moribus præfectum mulierum hunc factum velim.* Quem magiſtratum Cic. in ea repub. quam fingebat, creari videtur noluiſſe. Nam 4. de repub. citante Nonio. Nec vero mulieribus præfectus præponatur, qui

apud Græcos creari ſolet: ſed ſit Cenſor, qui viros doceat moderari vxoribus. Fallitur Pet. Victor. lib. 21. ca. 6. qui putat præfuiſſe ornatui mulierum. Quanquam & huic præfuit, moderato, & modeſto ſcilicet. Tales àpud Lacedæmonas ἁρμόσυνοι dicebantur.

CXLVII. *Folia lauri inter bellaria.*

LEgimus apud Athenæum lib. 4. veteres inter bellaria poſt cœnam interdũ etiam folia lauri adhibuiſſe. Quod pluribus rationibus factum puto, ſed potiſſimùm duabus hiſce: tum vt vi foliorum exſiccatoria fumi ad caput elati abſumerentur? tùm vt etiam odor vini, àc ciborum, qui ſolet ſæpenumero à ſaturis hominibus grauis emitti, abſconderetur; id quod Martialis in 5. facètè, & clarè admodum nobis indicauit.

Fœtere multo Myrtale ſolet vino.
Sed fallat vt nos, folia deuorat lauri,
Merumq́ cauta fronde, non aqua miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paule, videris contrà,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

Mercurial. lib. 4. cap. 6.

CXLVIII. *Coronæ, & alia vitanda ebrietati.*

VT vitarent antiqui ebrietatem, ac interim multum biberent, interdum lauro, hedera, anetho, ſimilibusque alijs eos coronatos inter potandum legimus. Alij pumicem tritum, alij amygdalo amara, alij braſſicam præmandebant; quaſi non præſtaret ebrietatis turpitudinem ſobrietate cauere, quàm eam ſuccis, alijſvé medicamentis occultare. Idem ibid. Rhodigin. lib. 27. c. 26. cauſam reddit. Hederacea corona diſcumbentes ſe ornabant, quod inſita frigiditate vini potentiam retunderet, minusque inde afficeretur bibentes, ebrietatis violentia reſtincta hederæ vi frigorifica. Ob hoc ipſum in conuiualem lætitiam admittebantur corollæ ex floribus, quarum defluxus mirabiliter cerebrum aduerſus latentem graſſantis ebrietatis impetum communiret, & obſepiret. &c.

CXLIX. *Lauatio manuum in conuiuio.*

NOn ante mēſam modò, ſed in conuiuio meliore per ſingula fercula, & miſſus lauabant. Ita apud Athenæum lib. 4. cap. 1. in Carani Macedonis conuiuio iam medio leges, *καὶ ὡς ἅδην ἔχομεν βρώσεως, ἐχερνιψάμεθα*, & cum ſatis cibi ſumpſiſſemus, manus lauimus. Iterumque poſt aliud ferculum, *καὶ νιψάμενοι τὰς χεῖρας ἐστεφανούμεθα*, & manus loti coronas ſumpſimus. Et apud Lamprid. in Eligabalo. Exhibuit aliquando & tale cōuiuiū, vt haberet viginti duo fercula ingentium

epulatum, & per ſingula fercula lauarent. Ibid. Paraſitis in ſecunda menſa ſæpè ceream cœnam, ſæpe ligneam, ſæpè eburneam exhibuit: cum tantùm biberent per ſingula fercula, & manus, quaſi comediſſent, lauarent. Non ſurgebant, ſed auertebant ſe à menſa. Sidonius bene adſignificat lib. 1. cum apud Cæſarem epularetur. Retrorſuſque conuerſus, inquit, tanquam manibus aquam poſtularem, tantumque remoratus, quantum ſtibadij circulum celerantia miniſteria percurrunt, cubitum toro reddidi. Lipſ. de Gladiator. lib. 2. cap. 1.

CL. *Præfatio in aditu Principis.*

PRiſcis ſęculis, qui Principes ſuos alloquebantur, deuotos ſe illis, aut dicatos præfabantur. Dio Caſſius auctor eſt lib. 53. & marmora oſtendunt, & ſtatuæ, quibus illud ſollemne inſcriptum reperias, DEVOTVS NVMINI, MAIESTATIQVE TVÆ. Mart. à Roa Sing. lib. 1. c. 10.

CLI. *Sacrif. de bonis damnatorum, & vinum damnatorum.*

OLim ex bonis damnatorum fieri ſacra conſueuerunt. Seruius in illud Virg. 1. Æneid. *ſimul diuûm templis indicit honorem.* Indici autem dicuntur, quia pauperes maiorum ex collatione ſacrificabant: aut certè de bonis damnatorum, vnde

vnde & ſupplicia dicuntur. Idem Iſidor. in 6. & meminit Feſtus. Supplicationes quæ ſunt de bonis paſtorum ſupplicia. Hinc etiam ſacer homo, ſacra bona, & ſacrum pro execrando ſumptum, quia ſacræ res de bonis execrandorum fiebant. Iſidor, lib. 5. Supplicium propriè dicitur, non qui quoquo modo punitur, ſed ita damnatur, vt bona eius conſecrentur, & in publicum redigantur. Nam ſupplicia dicebantur ſupplicamenta, & ſupplicium dicitur, de cuius damnatione delibatur aliquid deo: vnde & ſupplicare. Vinum verò damnatorum nullum eſt aliud, niſi illud quod ex damnatorum mulcta, & ſupplicio comparabatur; ex quo dijs ſacrificare, ac proinde conuiuari etiam peracto ſacrificio veteres cõſueuere. Nam de generoſiſſimo vino, ijs propinato, qui ad ſupplicium raptarentur, meras eſſe nugas, meráque ſomnia quis non videat? Idem lib. 2. cap. 9.

CLII. *Naues coronabantur.*

NAues in lætitia, & victoria ramis ſolebant coronari. Virgil. 1. Geor.

Ceu preſſa cum iam portum tetigere carina,
Puppibus & læti nautæ impoſuêre coronas.

Propert. lib. 3. eleg. 24.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ:
Traiectæ Syrtes: anchora iacta mihi eſt.

Ovid. 3. Amor. eleg. 10. quaſi ex Amore victoriam retuliſſet, ita canit.

Iam mea votiua puppis redimita coronâ.
Læta tumeſcentes æquoris audit aquas.
Et 2. de remed.
Hoc opus exegi: feſſæ date ſerta carinæ,
Contigimus portum, quò mihi curſus erat.
Idem lib. 2. cap. 12.

CLIII. *Principes viri lampadibus excipiebantur.*

INgredientibus vrbẽ principibus viris hic honos habebatur, apud Hebræos, Romanos, aliaſque nationes. 2. Machab. cap. 4. Antiochus rex Hieroſolymam ingrediens, cum facularum luminibus exceptus eſt. Iudith. 3. Duci Holoferno vniuerſæ vrbes Syriæ, Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, Libyæ, atq; Ciliciæ cum ramis & lampadibus obuiam exiêre. De Romanis Plutarch. in Pompeio, de eius Neapolim ingreſſu, Multi præterea ſertis ornati, ſub lampadibus eum ſuſcepere. Sueton. de triumpho Iulij Cæſaris, cap. 37. Aſcendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantibus lychnuchos geſtantibus. In Ptolemæi etiam põpa lampades prælatas apud Athenæum legas lib. 5. cap. 5. Antonius etiam triumvir, vt idem tradit lib. 4. in arcem Athenarum acceptus eſt, illuſtrata vrbe lampadibus è tectis fulgentibus, &c. Ibid. cap. 16.

CLIV. *A conuiuio prælatæ lucernæ.*

Apud

APud Romanos cum lucernis, aut lampadibus domum deducti convivæ. Hinc prælucentes ſerui Latinis, qui Græcis δᾳδοῦχοι. Meminit Sueton. in Aug. cap. 29. de ſeruo per nocturnum iter domino prælucente, quem fulgur exanimauit: & ſcribit Athen. in cœna Cleopatræ æthiopicos ſeruos, qui conuiuis domum redeuntibus prælucerent ab ea datos eſſe, ſcilicet quia noctu redibant. Dio Caſſius lib. 49. Seianus Floralibus ad ridendum Tiberium (caluus enim erat) omnia caluorum miniſterio ad noctem vſq; peregerat, lumen quoque diſcedentibus à theatro per puerorum raſis capitibus quinque millia præbuerat. Epicharmus in ſpe, ſiue Plato apud Athenæum lib. 6. cap. 5.

Nam multum edens, bibensq; multum protinus
Diſcedo, lucernam puer nec fert mihi.

Idem cap. 22.

CLV. *Cœna ſeruis, dominis miniſtrantibus.*

SAturnalium mos & Hebræis videtur vſitatus fuiſſe, quod Chriſti verba illa ſignificant. *Dico vobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcũbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Vbi cœnam videas fidelibus ſeruis, pro mercede nauatæ diligenter operæ à domino appoſitam, & eo quidem ipſo accumbentibus miniſtrante. Qui mos Kalend. Martijs à fæminis Romanis, à viris verò in Saturnalium celebratione ſolemnis; nec alia certè de

cauſſa, vt Macrob. tradit. Seruis, inquit, cœnas apponebant matronæ, vt domini Saturnalibus. Illæ, vt principiò anni ad promptum obſequium honore ſeruos inuitarent; hi, quia gratiam perfecti operis exſoluerent. Idem cap. 24. Athenæus lib. 14. morem hunc à Græcis ſumptum docet ex Caryſtio. Idem enim Mercurij feſtis diebus in Creta fiebat. Idem & apud Trezœnios menſe Gereſtione, quo per multos die . . . mentus agebantur, & nundinæ, horum certo die ſerui cum ciuibus talis publicè ludebant, & conuiuium domini ſeruis exhibebant. Ibid. Ex Beroſo, menſis Loi decimoſexto die feſtũ celebrari apud Babylonios, Saceas nomine, cuius tempore ſerui dominis imperabant: & ex illis vnus præerat ædibus, veſtem indutus regiæ ſimilem.

CLVI. *Odores incenſi, & vnguenta profuſa.*

IN ſacris, nuptialibusque pompis, & in principibus viris excipiendis non ſolum odores incenſos publicè lego, ſed etiam vnguenta profuſa. Antiochus Syriæ rex in pompa, quam in honorẽ Daphnes inſtruxit, ducentas ferè puellas induxit, quæ vias vnguentis conſpergerent. Athenæus lib. 5. cap. 4. Acceſſerunt, inquit, & ſexcenti pueri regij, aurea vaſa habentes; mulieres poſtea ducentæ ferè vnguenta ex peluibus aureis aſpergebant. De incenſis odoribus idem lib. 6. c. 6. Non diſſimili apparatu Metellus Pius in vlteriorẽ Hiſpaniam

ſpaniam veniens exceptus eſt, vt ex Salluſtio narrat Macrobius. Alexander ſibi ingreſſuro etiam vnguenta ſpargi voluit, addito vino odorifero, vt nihil illi ad diuinum ſui cultum deeſſet. Athen. lib 12. cap. 8. Vide cætera. lib. 3 cap. 1. apud Martinum inquam de Roa.

CLVII. *Caput, pedes, pectus vngebant. Vnguentum pro apophoreto.*

SOlebant veteres non caput modò, & pedes, ſed pectus quoque vnguentis illinire, non ſolum ob boni odoris gratiam: ſed quia vitæ, atque animæ ſedem in corde ſitam eſſe arbitrabantur, quod Athen. docet lib, 15. cap. 14. Sed conuiuis non ſolùm inuncti pedes, aut caput, ſed data etiã inter apophoreta, ſiue corollaria, vaſa magni pretij vnguenti plena, quod idem docet, maximè li. 4. cap. 1. vbi de Carani Macedonis conuiuio. Ingreſſæ poſtea ſunt aliæ, quarum ſingulæ duas lecythos vnguento plenas, aureiſque loris reuinctas attulerunt, hanc quidem argenteam, illam verò auream, cotylæ capacem, atque ſingulis cõuiuis obtulerunt, Idem cap. 1. Vide quæ ſequitur appendicem.

CLVIII. *Senectus honorata in conuiuio.*

INuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio eſſent interfuturi: ne ſenioris

Fulgentes animas veſtis quoq; candida ſignat,
Et grege de niueo gaudia paſtor habet.

Et quoniam per hebdomadem paſchatis vnà tingi plures conſueuerunt, ea de cauſſa feriæ illæ, quæ ad hoc inſtitutæ ſunt, & quæ ſubſequitur hebdomas in albis adhuc appellatur. Erat verò ſignum quoddam manumiſſionis, de quo ſupra dictum. Idem lib. 40.

CLXI. *Saccus in luctu.*

APud Hebræos luctus, ſupremæque mæſtitiæ indicium erat veſtis ſaccus, & ſaccium appellata, humilis, abiectæ vilitatis, & informis, quæ quidem induta calamitatem, qua quis oppreſſus eſſet, indicabat; conſciſſa verò lætitiam. Sunt qui cilicium interpretentur. Sed & Græci ſacci vocabulum vſurpant. Vtcunque, veſtem huiuſmodi induere conſueuerant, cum in ærumnas, quæ omnem ſuperarent conſolationem, incidiſſent: quibus demum liberati ſaccum diſcindebant. Pſalmo 35. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar ſacco, & macerabam in ieiunio animam meam.* Idem lib. eodem.

CLXII. *Mappa in ludis.*

MAppa veli genus, quod mēſis inſternimus, quoq; abſtergendis manibus vtimur, ſignū erat in ludis circenſibus, quo equi de carceribus excitati curſum arripiebāt: mittebat enim Prętor eam cum ſignū daret, quod nūc clangore tubarū ſigni-

ſignificatur, de quo apud Martialem, *Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam.* Nero libertos ſuos id facere voluit, quod tanto apud veteres honori ducebatur. Pierius lib. 40. Mappam mittere, pro ſignum dare apud Tertullianum contra Valentinianos. Vide Iunij Adagia. Quaſi mappa miſſa.

CLXIII. *Bulla ingenuorum.*

APud Romanos pueri ingenui bullam aureã in forma cordis de collo ſuſpenſam ante pectus gerebant, vt eam inſpicientes, ſe tum demũ homines futuros cogitarent, ſi corde præſtarent. Ideo Tarquinij Priſci filium, quatuordecim non amplius annos natum, virili edito facinore, hoſte quippe in acie cæſo, bulla primum omnium ea ætatula donatum aiunt, &c. Cic. Verrin. Bulla in toga prætexta erat ornamentum pueritiæ, indicium atque inſigne fortunæ. Pier. lib. 41.

CLXIV. *Coronæ aureæ Imperatoribus.*

SÆpius publicè à ciuitatibus, & prouincijs coronas ad Imperatores miſſas non vno ex ſcriptore didicimus. Curtius lib. 4. In eo concilio, (vt ſunt Græcorum temporaria ingenia) decernunt, vt duodecim legarentur ad regem, qui ob res pro ſalute ac libertate Greciæ geſtas coronam auream donum victoriæ ferrent. Ammian. lib. 23. de Iuliano Imp. In ſtatione ſub pellibus manſit,

vbi

vbi Saracenorum reguli genibus ſupplices nixi, oblata auri corona tanquam nationum ſuarum dominum adorarunt. Auctor Panegyr. ad Conſtantin. Meritò igitur tibi, Conſtantine, & nuper ſenatus ſignum dedit; & paulò ante Italia ſcutum, & coronam, cuncta aurea dedicarunt, vt cōſcientiæ debitum aliqua ex parte releuarent: debetur enim, & ſæpè debetur, & diuinitati ſimulacrum aureum, & virtuti ſcutum, & corona pietati. Dionyſ. Petauius noſter Notis in Syneſ.

CLXV. *Somniorum obſeruatio.*

Olim homines ſuperſtitioſi non tantùm ad ſua ſomnia attendebant; ſed etiam ad aliena de ſe. Inde ortus mos, vt qui dè republica aliquid ſomniaſſent id ſusque deque non haberent; ſed notum omnibus facerent, vel præconis voce, vel pittacio, quo id contineretur. Artemidorus Onirocrit. lib. 1. cap. 11. Meminit & Apollonius in admirandis hiſtorijs eius moris, ni fallor. Caſaubon. Animaduerſ. in Sueton. lib. 2.

CLXVI. *Inſtitutio puerorum ingenuorum.*

APud Athenienſes, & Græcos ferè omnes in more poſitum fuit, vt liberos, ſi domeſticæ facultates permitterent, tribus pręſertim exercitationum, ſeu ludorum generibus inſtruendos curarent; litteris nimirum, quo ijs formati, vitæ genere politiores, honeſtioresque, & ad rempub.

cape-

capeſſendam aptiores euaderent: tum muſica, vt grauiora ſtudia honeſta voluptate lenirent; & deniq; palęſtra, ne delicatior cultus corpora molliret, eneruaretq; ; ſed firmandis viribus, augendoque robori potius operam darent. Itaq; Terentianus Parmeno eunuchum Thaidi traditurus, vti iuſſus erat, tanquam patriciũ, & ijs omnibus, quæ ingenuo adoleſcenti, liberaliterq; educato conuenire exiſtimabat, inſtructum, ornatumque commendat his verſibus.

——fac periculum in litteris,
Fac in palæſtra, in muſica. Quæ liberum
Scire æquum eſt adoleſcentem, ſollertem dabo.

Sic Herculem puerum inſtitutũ Theocritus memorat, &c. Bernard. Martin, lib. variar. 2. cap. 15.

CLXVII. *In ſenatum legebantur pro pœna.*

CVm Syneſius epiſtola 38. ad Aurelianum, cui cognatum ſuum Herodem commendat, ita ſcribit: poſteaquam dux factus eſt, eadem quæ recens in ſenatum adſcripti tributa exigitur, duas vt penſitationes ſoluat, vnam quidem bonorum, aliam verò magiſtratus, quem geſſit, nomine, inde colligere licet (vt notat interpres Petauius) nouis Senatoribus, hoc eſt, in ciuitatum conſiliũ allectis, munia quædam publica obeunda, ſumptuſque in rempub. faciendos fuiſſe. Quare plerumq; ſupplicij loco erat inter ſenatores cenſeri,

& Con-

& Conſtantinus ille libertatis Eccleſiaſticæ vindex, inter cætera beneficia hoc quoque Chriſtianis impendit, vt ij liberarentur, *ὅσοι διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν κατεδικάσθησαν βουλευτηρίοις ἐναριθμεῖσθαι, μὴ βουλευταὶ ὄντες πρότερον.* Sozom. lib. 1. cap. 8.

CLXVIII. *Superſtitio ex offenſione pedis.*

VEteres, ſi inter eundum pedem offendiſſent in terra, omen hoc eſſe inſtantis mortis, & quaſi vocantis credebant. Accipimus ex Laërtio in vita Zenonis, lib. 7. Quum abiret è ſchola, offendit, digitumque perfregit. Manu verò terram feriens, dixit illud ex Niobe, *En adſum, quid me orco vocas?* Continuoque ſe ſtrangulans interijt. Meurſius in Mantiſſa, cap. 7.

CLXIX. *Vnicæ nuptiæ.*

PVdicæ matronæ, & quibus pudicitiæ gloria curæ erat, ſemel tantum viro nubebant: itaque nuptijs quoque in auſpicium, & votum ſingularis matrimonij pronubæ capiebantur vniviræ. Lege totum cap. 10.

CLXX. *Perſonæ tragœdorum Baccho ſuſpenſæ.*

TRagœdos Baccho ſacros fuiſſe nemo ignorat. Itaq; vt emeriti milites arma ſua Marti, gladiatores rude donati Herculi, paſtores fiſtulã

Pani,

Pani, mulieres vetulæ, & effœtæ pectinem Veneri ſuſpendebant: ita hi, cùm artem ſuam deſinerent, perſonas in templo Bacchi conſecrabant. Idem.

CLXXI. *Manducorum pictura.*

GVrges eſt propriè homo prodigiosè vorax, & tranſlata deinde ſignificatio ad hauiuoros illos fluuiorum vortices. quod Grammaticorum hactenus nemo ſciuit. Etiam Manduci dicebantur, & ad voracitatem repræſentandā pingebantur malis magnis, & hiantibus turpiter ad formidinem vſque, & terrorem infantiū. Feſtus. Manducus, effigies in pompa antiquorum, inter cæteras ridiculas, formidoloſaſque ire ſolebat, magnis malis, ac latè dehiſcens, & ingentem dentibus ſonum faciens, &c. Idem cap. 12.

CLXXII. *Feſtum duplex Imperatoris.*

DVplex feſtum Imperatoris celebrabatur: vnum diei natalis, alterum coronationis, ſiue acquiſiti imperij. Erantque tunc ludi in theatro: in circo certamina, & venationes, &c. Lege cap. 16.

CLXXIII. *Amiſſorum inquiſitio.*

QVi aliquid amiſiſſent, columnę alicui inſcribebant, & rem amiſſam, & nomen cuius ea eſſet;

eſſet; item vbi habitaret, promiſſa quoq; Inuentori ſtipe, vt redderet. Vel per præconem etiam quærebant. Si neque per præconem recipere potuiſſent, à Prætore conquiſitóres impetrabant. Confirmat hæc idoneis teſtimonijs idem cap. 22.

CLXXIV. *Potentiorum ciuium cultus.*

FVit apud maiores (Romanos) non modica laus illis, qui ex claris familijs erãt, quàm plurimos clientes, non modo cateruas togatorum, ſed & tenuiores amicos habere, à quibus obſeruarentur quotidiè, & colerentur, cumque his ad forum abducerentur, frequenti comitatu. Namque maximi decoris erat, amplos viros, illuſtresque etiam ab infima plebe quotidie ſalutari, appeti, deduci, reduci, & conſuli, eisque decedi, & aſſurgi. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 24.

CLXXV. *Imperatorem ſalutaturi.*

IMperatorem ſalutaturos, antequam admitterentur interiores aulici ſcrutabantur, ſinumque prætentabant, ne quis cum telo eſſet. De Claudio quidem Dio lib. 57. Omnes qui ſe adirent & viros, & fæminas excuti, ac perquiri iuſſit, ne quem pugionem gererent. Laudantur

Veſpaſian.(Sueton.cap.vigeſimo primo.(M.Antoninus (Capitolin.) Alexander Seuerus (Lamprid.)quod ſalutarentur parente cubiculo,miniſtris admiſſionalibus remotis. Sic enim dicuntur aulici,qui Principem conuenturos admittūt. Etiam Magiſtri admiſſionū, vt ex Ammiani lib. 15. Tiraquellus in idem cap.Alexand.annotauit. Ad Dionyſium Iuniorem nemo non excuſſus,ac perquiſitus prætet Platonem admittebatur. Ad ſeniorem qui adibant,veſtem in foribus ſummutare cogebantur, vt nudi explorarentur, & alias veſtes ſumebant. Plut.in Dione.

CLXXVI. *Matronæ Róm. Græcis liberiores.*

NOn eadem omnibus honeſta atque turpia: ſed omnia maiorum inſtitutis iudicantur. Quem enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primū locum tenet ædium, & in celebritate verſatur (non ſtat in prima parte domus, hoc eſt, ἐν πρoθύρῳ, & in loco celebri, id eſt, in frequentia hominū, in locis celebribus, nempe quæ ab hominibus celebrantur.) Quod multo fit aliter in Græcia. Nam neque in conuiuium adhibetur, niſi propinquorum: neque ſedet,niſi in interiore parte ædium,quę gynæ conitis appellatur,quò nemo accedit, niſi propinqua cognatione coniunctus. Æmil.Probus præfat.

CLXXVII. *Medium digitum oſtendere.*

FVit priſci moris, vt ſi quos flocci penderent, aut inſigni contumelia, vel deformi conuicio afficerent, obiectu medij digiti, inter alios contractos protenſi facerent. Is ab Athenienſibus catapygos, quaſi cinœdus, & ſcortum adnominatur, quod infamiam incuteret, & conuiciũ faceret. Alex. ab Alex. lib. 4. ca. 26. in quo alia multa de hoc digito. Græcis *ἰατρὸς* medicus dicitur.

CLXXVIII. *Ritus funebres perridiculi.*

NAſamones curabant, vt morientes ſedendo, non cubando ſpiritum extremum ederent. In Lycia affines & propinqui muliebres veſtes induebant in funere, vt eam deformitatem pertæſi citius à lacrymis abſtinerent. Valer. lib. 2. ca. 6. vt maturius ſtultum proijcere mœrorem velint. Græci quidam nummum dentibus mortui inſerebant, quem Charonti pro naulo porrigeret, Quam conſuetudinem Lucian. de luctu irridens, nec illud prius expendunt, inquit cuiuſmodi numiſma legitimum ſit, ambuletque apud inferos, & apud illos valeat, Atticus, an Macedonicus, an Æginenſis obolus. Ac ne id quidem cogitant, multo ſatius eſſe, non poſſe naulum reddere. Sic enim fiet, vt non recipiente portitore poſtliminio redeant in vitam.

Apud Galatas defuncti familiares, & affines inſcriptas epiſtolas in rogum conijciebant, velut apud inferos mortui illas mox lecturi forent. Gerri Scythica gens defuncto rege, in tumulo, vbi cadauer odoribus delibutum erat, pręcipuam concubinatum, coquum, agaſonem, ac miniſtrum, vnà tumulare, equoſq;, & L. miniſtros ad rogum præfocare aſſuerant. Ex Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

CLXXIX. *Fœcunditas in coniugio honorata.*

Lacedæmonij conſtituerunt, vt trium liberorum parens à cuſtodia, & excubijs: quatuor verò ab omni onere immunis foret. Quia etiam præturas, quæſturas, & conſulatus, honoreſque, & magiſtratus Romani veteres niſi parentibus plurium liberorum comitijs dedere. Quare exemplis palam factum, plures candidatos cùm ad comitia in campum deſcenderent, fictis adoptionibus liberos ſibi peſſimo more ementitos fuiſſe. Quod poſtea ſenatusconſulto ſublatum fuit, ne ſimulata filiorum adoptio, veris parentibus fraudi eſſet: ſemperque mariti, & plurium liberorum parentes, in omni negotio pauciores habentibus liberos, aut ſine vxore degentibus antelati fuere, Perſarum more, qui ingentia munera, his qui plures genuerant filios proponere ſoliti ſunt: quorum reges, ſiquando Perſidem adirent, ſingulis mulieribus ad ſobolis

inuitamenta ſingulos aureos dare conſuenere, prægnantibus verò duplices. Alex.ab Alex.lib.4. cap. 8.

CLXXXI. *Pœna adulterorum.*

IN metallum, vel ad inſulas in perpetuum, vel præfinitò relegare, aut aqua & igni interdicere, aut ad beſtias damnare frequens etiam Romanis pœna fuit. Illis enim aqua, & igni interdicebatur, quibus commercium, ſocietaſque hominũ, ne quis eos vrbe, menſa, lecto, aut lare reciperet, vetabatur. Ad beſtias damnabantur nequiſſimi ſerui, aut hoſtes infeſtiſſimi, plerumque homines pernicioſi, & immanes, qui ob multiplicia crimina, defectioneſque indigni venia fuêre: quibus in theatro, vt cum immaniſſimis belluis depugnarent, negotium datum eſt, qui beſtiarij dicti. Nonnunquam ob crimen damnatos, auro effodiendo, aut lapicidinis veteres deſtinarunt, vt vincti opus facerent perpetuò, vel præfinitò, &c. Idem lib.3.cap.5.

CLXXX. *Pœna damnatorum.*

APud veteres Ægyptios ſi quis ſine vi adulterauerat, virgis cędebatur ad mille plagas. Lege Solonis deprehenſum mœchum interimere licebat. Plura de varijs eorum pœnis apud diuerſos populos. Idem lib.4.cap 1.

CLXXXII. *Pœna periurij.*

ÆGyptij periuros capite multabant, tanquã qui duplici tenerẽtur ſcelere; vt qui & pietatem in deos violarent; & fidem inter homines tollerent, maximum vinculum ſocietatis humanæ. Diodor. lib. 2 cap. 3.

CLXXXIII. *Regnorum abdicatio voluntaria religionis cauſſa.*

REx Cochimi in India poſtremò ſeſe ab omnibus regni negocijs abſtraxit, vt in templo dijs, quod reliquum erat vitæ dicaret. Huic ſororis filius de gentis more ſucceſſerat. Erat autem in more poſitum, vt ſi rex aliquis religione tactus, ſe regni adminiſtratione abdicaret, in tẽplo aliquo, ab humanis tumultibus ſecreto vitam in religione conſumeret: poſt illius mortẽ, is, qui in locum illius ſucceſſerat, cogeretur regni procurationem relinquere, & in idem templum gratia religionis immigrare: vt quemadmodum in regno auunculi ſucceſſor extiterat: ita religionis etiam hæreditatem, quamuis inuitus adiret. Is deinde, ad quem regni hæreditas legibus veniebat, regnum occupabat. Oſorius de rebus Emman. lib. 7.

Exempla relictarum prouinciarum, regnorumque, à Principibus & regibus, vt vitam viuerent monaſticam, Chriſtiana religio multa ſuppedi-

peditaverit. Carolomanni Caroli Martelli F. fratris Pipini regis Franciæ, Inæ, & Etelnolphi regum Britanniæ, Suatocopij regis Morauiæ, Ioannis regis Armeniæ, Imberti Delphini Viennenſis, & aliorum, de quibus Baptiſta Fulgoſus lib. 4. c. 1. Adde his Teleſphanem regem Æthiopum, de quo Surius Tom. 5. Richardum regem Anglorum, de quo Tomo 1.

CLXXXIV. *Iaua maior, & minor inſulæ.*

SVnt rdmodum fertiles, & opimæ, fruges multiplices, & fructus varios proferunt, & maximam vim pecorum, & armentorum, & equorum nutriunt. Venatu, & aucupio mirifice redundant: piperis, & aliorum aromatum copiam paſſim efferunt. Mediterranea loca homines dediti ſimulacris incolunt: qui maritimas oras habitant, maxima ex parte Mahometanis inſtitutis viuunt, nudi plerumque vmbilico tenus incedunt. Multi tamen lautiores veſtibus bombycinis, aut goſſipinis amiciuntur. Barbas euellunt. Anteriorem capitis partem radunt: reliquam ſtudioſè criſpant. Nullum integumentum in capite gerunt. Indignum enim hominis præſtantia cenſent, hominis principatū, quem in capite conſtituunt, aliquo velamento, quaſi rem probroſam, tegere. Si quis caput alicuius manu tangit, eam iniuriā armis acerrimè perſequūtur.

Sunt in bello feroces, & intrepidè ſe in quoduis magnum diſcrimen inijciunt. Artibus fabrilibus dediti ſunt. Arma, tormenta, variaque telorum genera ſingulari opere perficiunt. Æs ad quoduis inſtruméti genus egregiè fundunt. Naues ingentes ædificant: aſtra diligenter obſeruant: & magicas diſciplinas incredibili ſtudio colunt. Syluas venandi ſtudio peragrant: neq; ſolum canibus, & venabulis ad apros, atque ceruos eminus figendos, verùm & accipitribus ad volucres capiendas vtuntur. Omnes colorati ſunt (fuſci.) Mulieres neque deformem faciem, nec obtuſum ingenium gerunt. Eleganter excoluntur. In ſaltationibus non mediocrem præ ſe venuſtatem ferunt. Curribus inuectæ cum viris ſyluas, & nemora luſtrant, & venatione oblectantur. Oſorius de reb. Emman. lib. 8.

CLXXXV. *Cerebrum, & capita animalium non edebant.*

PHiloclis verſus eſt, *ὡς ὑδ' ἂν ἐγκεφάλων ἐσθίειν λίποι*, hic vel cerebra ſine fine comederit. Dictum *παροιμιῶδες* ac venuſtū de homine ſceleratiſſimo, aut certè voraciſſimo. Nam veſci cerebris, antiquitus peſſimi hominis erat argumentum. Quinimmo ne nomine quidē tenus cerebrum appellabant. Vide Iun. Cent. 7. prouerb. 1.

Quod Pallas è Iouis cerebro nata eſſet, & cerebrum in homine ſapientiæ ſedes, & officina,

reuerenter eius eſu Athenienſes abſtinebant. A capitibus porrò animalium eſitandis temperabant, quod in capite omnium ſenſuum collocata ſedes: & quod ſacrum caput exiſtimarent. Indicium eſt iurandi per ipſum conſuetudo, & ſternumenta, quæ ex ipſo prodeunt adorandi veluti ſacra. Quin etiam quæ aſſentiuntur, & comprobant, capitis nutu confirmandi. Athen. lib. 2. Ægyptiorum maximè fuit hęc conſuetudo, qui tam inſano cultu caput omne venerabantur, vt à capitibus, & atmis brutorum prorſus abſtinerent, diuinitati iniuriam facere arbitrati, ſi quis illa eſitaſſet. Pier. lib. 32.

CLXXXVI. *Caput, & ſternutamentum.*

CAput fuiſſe veteribus rem ſacram, triplici argumento probat Athenæus, vt vidiſti. Iurâſſe veteres Hebræos, Græcos, Romanos per caput ſuum, tranſlatitium, & omnibus notum eſt. Sternutamentum autem adoratione explabant: quod non ſacrum eſſe tantum putabāt, vt in Hiſtorijs ſcripſit Ariſtoteles: verum etiam deum, Xenophon de expedit. Cyri lib. 3. τοῦτο δὲ λέγοντος αὐτοῦ, πτάρνυταί τις. ἀκούσαντες δὲ οἱ στρατιῶται πάντες μιᾷ ὁρμῇ προσεκύνησαν τὸν θεόν. Hæc eo dicente quidam ſternutat. Tum milites omnes ſimul conuerſi deum illum adorarunt. Alij morbum, aut morbi indicium ſternutationem interpretabantur.

bantur. Ideo ſternutantibus bene precabantur, vſitata formula. ζεῦ σῶσον. Iupiter ſerua. Caſaub. in Athen.lib.2.cap.15.

CLXXXVII. *Equites ſine ſellis.*

SEllas iſtas equeſtres altiuſculas, & è ferro, ligno que compaginatas veteres non habebant: ſed ſtragula quædam è panno, corio, pelle, quibus equos inſternebant, eaque & ſtrata dicebāt: fere vt hodie noſtri agaſones. Seneca epiſt. 80. Stultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius, & frænos. Græci στρώματα pariter dixêre; item ἐφίππια, qua voce & latini vſi. Cæſar 4. Gallicor. cum Germanos oſtendit ijs caruiſſe, hoc quoque addocer, Romanos habuiſſe: quos eo nomine vt molles ij contemnebant. Tales Germani olim, & in dorſis equorum nudis: nunc ſellæ iſtæ altiores, & fabræ factæ, eorum quaſi peculiares. Lipſ. de milit.Rom. lib.3.dial.7.

CLXXXVIII. *Oſcula Romanorum, & Perſarum.*

ERant quotidiana Romanis oſcula, quæ obvij, quamvis non magna familiaritate coniūcti, invicem impertiebantur. Erant & cognatorum, amicorumque. Sed ea tum maximè præbebant,

bant, cum iam profecturi valedicebāt; vel reuerſi peregrè, ſalvere iubebant ſuos. Perſæ, vt auctor eſt Herodotus lib. 1. ſi pares ſibi inuicem occurrerent, ſeſe mutuò oſculabantur: ſi alter paulò inferior, genibus oſculum dabat: ſi multò, proſtratus velut adorabat. At Romani in oſculis etiam minori dandis minus parci: maioribus obvij, ſi tecto fortè erant capite, illud aperire, necnon de via cedere, atque de equo, vel vehiculo deſcēdere, prætereuntibus quoque aſſurgere ſolebāt: interdum verò venerationis cauſſa dextras oſculari. Torrent. in Horat. Oden. 36. lib. 1.

CLXXXIX. *Athenienſium, & Arcadum conuiuia.*

IN cœnis Atticis varia ſimul apponebantur obſonia: verùm quacunq; de re admodum parū, omniaque illa fercula in vno collocata (id autem grandis quædam erat patina, in qua plures continebantur patellæ) media in menſa conſtituebantur. Apud Arcades fuerat in more poſitū, iuuenes, eos qui in ſacris eorū conuiuijs multū, valenterq; comediſſent, miris extollere laudibus, optimaq; ſibi de illis ſolere polliceri. Admirabile enim apud illos, & honoris, gloriæque plenum nimia edacitas exiſtimabatur. Nicol. Leon. lib. 2. cap. 89.

CXC. *Mos vetuſtiſsimus expurgandi ciuitates fame, aut peſtilentia laborantes.*

Cum

CVm ciuitas aliqua fame, aut peſtilentia, aut aliqua enormi calamitate laboraret, diſquirebant hominem in ea turpiſſimum, quē Catharmum, & Pharmacum appellabant, eumq́ue ad locum quēdam ſacrificio illi conſtitutum deducebant, manu tenentem caſeum cum placenta, & ſiccas ficus: quem poſtea ſepties caprifico, & ſcylla agreſti, alijsq́; virgultis ſylueſtribus partes pudendas verberatum, ſcrobe eo loci facta, lignis ſylueſtribus comburebant, confectumq́ue cinerem pro vrbis illius expurgatione, & piaculo in mare proijciebant. Idem lib.3.cap.106.

CXCI. *Dies natalis repetitus.*

EX auaritia diem natalem non ſolum ſemel Clytus, ſed crebrius per annum celebrabat, vt ab amicis munuſcula ſępius acciperet. Martial, lib.8.epig.69.

Vt poſcas, Clyte, munus, exigasq́;
Vno naſceris octies in anno.

Natali enim dona mittebantur ab amicis. Celebrans natalem ſuum Martial. epig.24.li.10. annos ætatis ſuæ numerat 57. optatq́ue addi 25. vt ad 84. perueniat. Ibid. de muneribus quotquot Kalendis Martijs, natali ſuo ſibi mitti ſolitis.

CXCII. *Mamma, Tatta, Lallare.*

IN epiſtola illa longiuſcula, eademq́ue diſertiſſima, quam calentibus adhuc rhetorum ſtudijs ad He-

ad Heliodorum S. Hieron. conſcripſit, ad vitam ſecum in ſolis locis traducendam eum exhortãs, inter alia ſic ait. Forſitan & laxis vberum pellibus mater arata rugis fronte antiquum referens, mammæ lallare cõgeminet. Vbi Marianus Vict. in ſcholijs. In lactandis prolibus, & alloquendis non matres ſe, ſed mammas appellant, & patres tattas, accommodantes ſe ipſis infantibus, qui ſic loquuntur. Lallare autem vox eſt, qua mater infantem ad lac ſugendum inuitat: ſicuti per pappare ad eſum pultis, quam pappam ijdem vocant.

Vox mamma, vt Græca μάμμη, pro matre, nutrice, auia vſurpatur. Cato, pueri cibum ac potionem primùm buas ac pappas, & matrem mammam, patrem tatam. Hinc pappare cibum poſcere pappa iterando, vel etiam edere. Lallare autem propriè dicitur nutrix, næniam canẽdo puerum in cunis demulcens, eiq́ue ſomnum concilians. Perſius igitur ſat. 3. molles quoſdam, & voluptuarios iuuenes notans, quęrit cur non etiam tenero columbo (olim quippe impenſo ſtudio à viris fœminiſq́ue alebantur columbi) aut regum, hoc eſt nobilium, ac diuitum pueris ſimiles ſe faciant, qui delicatius educantur, cibumq́ue præmanſum, ſeu pappam ſibi à matre, vel nutrice in os ingeri poſcant, eidemq́ue irati, quod facile ſolent infantes, eius lallare recuſent, ac dormire præ moroſitate nolint. Hæc carptim ex Comment. Caſaubon. Verſus ſic habent.

——— at cur non potius teneroq́ columbo,
Et ſimilis regum pueris pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas?

Fallitur autem in explicanda notione vocis lallare Marianus, vt didiciſti. Lallus, ait Tornorup. in Perſium, eſt nænia nutricum, qua infantibus inducunt ſomnum, ſubinde repetendo lalla lalla. Vnde lallare infantes dicuntur, cum hac cantiuncula ſomno declinant oculos. Vide Scalig. in Auſon. Turneb. lib. 19. cap. 39.

CXCIII. *Deſiderium liberorum gignendorum.*

LAcedæmone eos qui non habebant vxores per feſtum quoddam mulieres circum aram trahẽtes alapis cædebant; quò contumeliam iſtã fugientes, deſiderio liberorum caperẽtur, atque idonea ætate connubia inirent. Athen. lib. 13.

CXCIV. Αὐτὸς, καὶ ἐκεῖνος.

VOces ſunt ſeruorum quas honoris cauſſa propriorum nominum loco in heris, ac dominis adhibebant, cùm de ijs loquerentur, quod in Ranas Ariſtophanis teſtatur Scholiaſtes, *αὐτὸς ἀντὶ τοῦ δεσπότης.* Sic apud Latinos Plaut. Caſina, vbi Stalino, & ancilla loquuntur. St. *Quid tu hîc agis?* An. *ego eo quò me ipſa miſit.* Ipſa, id eſt, hera mea. Terent. Hecyra. *Sed Pamphilum ipſum ſtare video ante ædes.* Donat. Ipſum, à quo miſ-

ſus

ſus ſum; vel, dominum, vt Græci αὐτόν. Idem notat Aſcon. in quendam Verrinar. locum. Erat & diſcipulorum vox, cum de præceptore loquerentur. Vnde illud Pythagoræorum, αὐτὸς ἔφα. Ariſtoph. Nebulis.

Στ. φέρε, τίς γὰρ οὗτος ὁ ἐπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ,
Μα. αὐτός. Στ. τίς αὐτός; Μ. Σωκράτης.

Scholiaſtes ibi, Honoris cauſſa non ſtatim Socratis nomen profert. Apud Platonem in Protagora pulſantibus fores Calliſtę Sophiſtæ, reſpondet ianitor, οὐ σχολὴ αὐτῷ, Doctori non vacat. Comment. in Charact. Theophraſti.

CXCV. Τίμιος apud Athen. & Dominus apud Romanos.

VT olim apud Romanos ſuperiores dignitate ab inferioribus Domini in congreſſionibus ſalutabantur: ſic apud veteres Atticos τίμιοι. Declarat locus Theophraſti περὶ ἀναισχυντίας de Impudentia. Εὐωχοῦ τίμιε Der Herr wölle eſſen. Euripid. Supplicib. πρὸς τε γὰρ τοῦ δυστυχοῦς ὃς εὐτυχήσει τίμιος γεραίρεται. Et in Hecuba ait idem, pleroſque homines inſoleſcere: alium propter opes: alium ἐν πολίταις τίμιον κεκλημένον, quod Dominus vulgò ſalutetur. Poſtea Romanos imitati ſunt Græci, & ſeſe inuicem ſalutarunt δεσπότας, καὶ κυρίους: quæ vox deinde in κῦρος degeneravit. Idem ibid.

CXCVI. Fa-

CXCVI. *Faces, & lucerna in itinere nocturno.*

VEteres cum νυκτοποεία plurimum vterentur, vt de Alex. Iulio Cæſare, Auguſto, alijsq; legimus, ad iter nocturnum faces adhibebant, vel lucernas, laternæ incluſas. Nicetas de Manuele Comneno, ὑκῶν τὰς νύκτας ἴαυεν ἀύπνοσσι, καὶ πρὸς τὴν πορείαν ἐχρῆτο φωτὶ ποιητῷ. In Cõment. Græcorum legimus, peculiarem in vſum viatorum faces ſolitas incidi è ligno querno, vel lignis, quę γάβια vocabant. Præcipua cura fuit, ne vento facile cederent. Factum tamen ſæpe, vt lumina extinguerentur, atque ita via decederent. Sueton. in Iulio cap. 13. Dein poſt ſolis occaſum mulis è proximo piſtrino ad vehiculum iunctis, occultiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſt, & cũ luminibus extinctis deceſſiſſet via, diu errabundus. In Animaduerſ. ad idem cap. Caſaub. Adi & Turnebum. lib. 3. cap. 22. Morem iſtum prodit Ovid. 1. Metamorph. vbi æſtuantem Phœbi animum in Daphnen per comparationem oſtendit.

Vt facibus ſepes ardent, quas forte viator
Vel nimis admouit; vel iam ſub luce reliquit.

CXCVII. *Crines detonſi ſacrabantur Apollini.*

IN adoleſcentia etiam, ſeu integra ætate comã tondebant, & Apollini κυροτρόφῳ adoleſcentum nutri-

nutritori conſecrabant; & θρεπτήειον πλόκαμον vocabant, quod eam quaſi nutritionis præmium offerebant (nutritionis enim cauſſam Apollini, & fluminibus, quibus eundem honorem habebant, ob humectam, feruidamque naturam acceptam ferebant) ſicut quem in luctu adulti, πενθήειον luctuoſum, ſiue lugubrem. Sed illum θρεπτήειον non ſine aliqua ſollemni cærimonia, vocãtes κυρόσυνα festum illum diem, ſicut ὀνομαςήεια, quo primùm nomẽ eis impoſitum fuiſſet (quod nono ab ortu die fiebat) & κατοικέσια, quo primùm ſedem in aliquo ſolo, vel in aliquã domo collocaſſent. Iulius Gabriel. Scholijs in Apolog. Nazianzeni.

CXCVIII. *Euangelij cantus.*

PEr totas orientis eccleſias, quando euangeliũ eſt legendum, accenduntur luminaria, iam ſole rutilante: non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Hieronym. epiſt. 53.

CXCIX. Ἀνθρωποφάγοι.

MAſſagetæ, & Derbices miſerrimos putant, qui ægrotatione moriuntur: & parentes, propinquos, cognatos; cùm ad ſenectam venerint iugulatos deuorant: rectius eſſe ducentes, vt à ſe potius, quam à vermibus comedantur. Hieronym. contra Iovian. lib. 2.

CC. *Dare manus.*

QVi ſe victum fatebatur, aduerſario manus tendebat, quaſi nectendas, vt deditícius. Lucr.lib.12.

——— ſed magis acri
Iudicio perpende; & ſi tibi vera videntur,
Dede manus: aut ſi ſunt falſa, accingere contra.

Virgilius 12. *viciſti, & victum tendere palmas Auſonij videre.*

CCI. *Pœnitentes in Eccleſia naſcente.*

IN cunabulis S. Eccleſiæ πρόσκλαυσις, καὶ ὑπόπτωσις partes, vel gradus fuêre ἐξομολογήσεως publicæ confeſſionis, qua pœnitens proſtratus humi, facie inculta, veſte lugubri, incompta cæſarie prouolutus ad aras Dei, ad pedes ſingulorum, ambiret collacrymantes ſingulos, vt pro ſe diuinam miſericordiam elicerent. Morellus Notis ad Syluas. Statij.

CCII. *Dapes ante imagines mortuorum Regum, & Principum.*

MOs etiamnum apud nos (Gallos) obtinet, in Principum, & Regum defunctorum honorem, per aliquot dies ante eorum ceream effigiem toro locatam menſas parari, dapibuſque

ſolitis onerari à conſueta miniſtrorum, & familiari turba: ſed pio & Chriſtiano inſtituto, ad alenda profluis illis cibis miſerandæ plebis examina, non ad inania ἐπιδείξεως, vt apud Herodianum. Idem ibidem.

CCIII. *Adulterarum pœna.*

IN Ægypto adulteris vxoribus nares præcidebant: vt quæ pars corporis ad formæ elegantiam ſummopere neceſſaria videretur, ea, quoniam intemperantiæ legibus vetitæ ſubſeruiſſet, adimeretur: vel ad ipſam deformitatem, quam pœnæ loco eſſe iuris ſcientes non ignorant. Diodor. lib. 2. c. 3. Hoc eſt Plauto in Capt. os denaſare. *Os denaſabit tibi, propius ſi acceſſeris.*

CCIV. *Spartanorum de hoſtibus ſpolia.*

SPartani hoſtibus erepta ſpolia dijs non ſuſpendebant, quia timidis detracta. Putabant enim dijs nihil offerendum, quod cum aliqua imperfectione eſſet implicitum. Ac ne ea à iuuentute quidem aſpectu dignanda æquum ceſebant. Carol. Paſchal. de Coronis lib. 1.

CCV. *Vota dijs affixa.*

SOlebant vota ſua, & preces in tabella conſcriptas cera conſignare, atque ita deorum ſtatuis affigere. Vnde ſignare vota pro ſalute Imp. ſæ-

pe in epiſtolis ad Traianum : & adſignata oratio apud Tertullian. de Orat. & crura deorum, vel genua incerare apud Iuuenal. & ſaxa, id eſt, deorum ſtatuæ ceris illita Prudentio lib. 1. contra Symmachum. Apul. in Apolog. Votum in alicuius ſtatuæ femore alligaſti. Gentil. ibid.

CCVI. *Iouis σωτῆρος vxor πειθαρχία, filia εὐπραξία.*

VEteres vt indicarent Regem bonis legibus populo conſulere : populumque ſi velit fortunatus eſſe, illis exacte parere debere, finxerunt Iouem σωτῆρα, à quo ſalus prodeat. Huic vxorem addebant πειθαρχίαν obedientiam, quæ legibus, & magiſtratibus exhibetur : & ex his nuptijs natam prolé, quæ vocatur εὐπραξία, Fælicitas. Hoc indicat Æſchylus in Septem ad Thebas, πειθαρχία γάρ ἐστι ἡ εὐπραξίας μήτηρ, γυνὴ σωτῆρος, ὧδ᾽ ἔχει λόγος, vt eſt in prouerbio. Delrius lib. 2. Adagial. ſacror.

CCVII. *Anathemata.*

SOlebant veteres labore aliquo, vel metu, vel periculo defuncti dijs nonnullum ſuorū præteritorum malorum inſigne, ac monumentum conſecrare: vt gladiatores arma Herculi: naufragi Neptuno tabulam, quæ ſui naufragij imaginē expreſſam contineret. Ita & pueri bullam penatibus

tibus, ſeu laribus togam virilem ſumpturi, & virgines nuptutæ puppas Veneri. Lamb. ad illud ſat. 5. lib. 1. *donaſſet iamne catenam ex voto Laribus.*

CCVIII. *Noua nupta, & ſocrus.*

LEpti, quæ Africæ vrbs eſt, moris eſt patrij, vt poſtridie nuptiarum ſpōſa ad ſocrum mittat petitum ollam. Illa verò negat, neque ſe habere ait, cum conuicio: vt nouercalem ſocrus animū initio ſtatim ſponſa experta, ſi quid poſtmodo contingat aſperius, non ferat iniquiore animo. Plutarch. in præcept. coniugal.

CCIX. *Sepulchrorum ſtructura magnifica.*

ÆGyptij domos diuerſoria, ſepulchra domos ſempiternas vocabant. Ideò domus ædificandæ curam contemnentes, ſepulchra ſplendidè ædificabant. Diodor. lib. 1.

CCX. *Maßilienſium quædam inſtituta.*

SEueritatis cuſtos acerrima hęc ciuitas, nullum aditum in ſcenam Mimis dabat, quorū argumenta maiori ex parte ſtuprorum continerent actus: ne talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumeret. A condita vrbe gladius

 erat

erat ibi, quo noxij iugularentur, rubigine quidē exeſus, & vix ſufficiens miniſterio, ſed index, in minimis quoq; rebus omnia antiquæ conſuetudinis monumenta ſeruanda. Intrare oppidum illorum nulli cum telo licebat: præſtoq; eſt, qui id cuſtodiæ gratia acceptum reddat: vt hoſpitia ſua quemadmodum aduenietibua humana ſunt, ita ipſis quoque tuta ſint. Valer.lib.2.c.6.

CCXI. *Libertus ingratus.*

ATthenis conuictus à patrono libertus ingratus, iure libertatis exuitur. Superſedeo, inquit, habere te ciuem tanti muneris impium æſtimatorem. Nec adduci poſſum vt credam vrbi vtilem, quem domui ſceleſtum cerno. Abi igitur, & eſto ſeruus, quoniam liber eſſe neſciſti. Ibidem.

CCXII. *Animoſi Spartani.*

NOn ante ad dimicandum deſcendere ſolebant, quàm tibiæ concentu, & anapæſti pedis modulo cohortationis calorem animo traxiſſent, vegeto, & crebro ictus ſono ſtrenuè hoſtem inuadere admoniti. Iidem ad diſſimulandum, & occultandum vulnerum ſuorum cruorem puniceis in prælio tunicis vtebantur: non, ne ipſis aſpectus eius terrorem, ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid afferret. Ibid. & Plutarch. in Lycurg. & inſtitut. Lacon.

CCXIII. *Homines, & dij meridiantes.*

VEteres Græci vt ipſimet cibo meridie ſumpto ſomno ſe tradebant, meridiabanturque, ita etiam deos eadem facere credebant, & locum quietis in templo cuique ſuo ad ianuam adiudicabant. Ea de cauſſa nefas meridiè templum intrare: quod deos in via eſſe, eoq; ire meridiatum putarent. Præterea cauebat quiſq; ſedulò à cantu, omniq́ue alio ſtrepitu, ne dei ſui, quem præcipuè colebat, ſomnum ac quietem interturbaret. Meurſius in Crit.

CCXIV. *Iudices quomodo pingerentur.*

ANtiquis temporibus ita pingebantur, vt nudum ſuum Regem intuerentur. Qua re duo ſignificabant. 1. vt ſcirent alium quendam eſſe ſuperiorem, à quo ipſi Iudices facti eſſent. 2. vt in ſententijs ferendis eius iuſtam voluntatem, omniq; perturbatione nudum animum ſemper intuerentur. Serarius noſter in lib. Iud. pag. 54.

CCXIV. *Coronæ in conuiuijs.*

VEteres conuiuia celebrantes coronare ſe cõſueuerunt, cuius rei principium à diademate ſimplici fuit, vt ſcilicet frontem faſcia cõſtringerent, quod inſtitutum eſt ſalubritatis cauſſa,

 vt tra-

vt tradit Athenæus, propterea, quod conuiuarũ mos ſit ſeſe ad bibendum liberius inuitare. Ne igitur vinum equo largius ſumptum moleſtos ad caput vapores attolleret, experimento compererunt plurimum prodeſſe frontem ita colligare. Poſteritas verò ſalubri huic inuento decus, & ornamentum adiecit, atque ideò faſcias illas floribus perueſtire cœperunt, quæ res in effuſiſſimum poſtea luxum euagata eſt. Pierius lib. 41.

CCXVI. *Salutantes.*

SAlutantes iuſiurandum aliquando addebant priſci, vt hoc ſedulò, & ex animo facere viderentur. Terent. Hecyra. *Salue mecaſtor.* PARM. *Et tu ædepol Syra.* Brod. in Antholog.

CCXVII. *Salitura infantium.*

EX Ezechiel. cap. 16. patet Hebræos infantiũ ſuorum corpora ſale aſpergere conſueuiſſe. *Quando nata es in die ortus tui, non es lota in ſalutẽ: nec ſale ſalita.* In quem locum S. Hieron. Tenera infantium corpora dum adhuc vteri calorem tenent, & primo vagitu laborioſæ vitæ teſtantur exordia, ſolent ab obſtetricibus ſale contingi, vt ſicciora ſint, & conſtringantur. Hoc item ex medicinæ præcepto, inquit Ioann. à Pineda de rebus Salomon. lib. 1. cap. 13. Nam Galen. 1. de ſanit. tuenda cap. 7. eam tuendæ valetudinis rationem præſcribit, vt primum ſale modico inſperſo cutis

eius

eius denſior, ſolidiorque, ijs quæ intus ſunt partibus reddatur. In vtero enim æquè cum reliquis mollis erat, cum nec durius vllum externũ corpus ibi contigerit; nec aër illi vlquam frigidus inciderit. Sed iam molliſſima hæc ætas noſtra non modò non perfricationem, ſed ne leuem quidem inſperſionem ſalis admittit.

CCXIIX. *Dies Hilariorum.*

DIes Hilariorũ alij erant priuati, velut ſi quis celebraret nuptias, aut ſi filius alicui natus eſſet: alij vulgares, & publici, vt cum aliquis rex publice proclamatus publicas Hilarias ſubditis exhibebat. Et his quidem diebus neque lugere licebat, ſed ſpectacula, & ſacrificia quotidie perficiebantur publicè: quin & iudicia haberi ceſſabant, ludos ſpectabant, & conuiuijs continuis peragebant dies Hilarijs deputatos. Turneb. ex Maximo Dionyſij Areop. interprete libro 24. cap. 45.

CCXIX. *Miſsilia in coronat. Imper.*

ANteqnam ſe videndum exhibeat, per aliquẽ ſenatorij ordinis ſparguntur in populũ miſſilia, quæ vocantur epicombia. Id huiuſmodi eſt. Segmenta ex panno fiunt, & in vnoquoque ſegmento nomiſmata, aurea quidem tria, argentea totidem, & tria ex obolis colligantes projciunt

in multitudinem. Sparguntur hæc miſſilia in aꝛreis, quæ ſunt antè veſtibulum templi, aut in Auguſtali, ſtante eo qui proijcit ſuper Auguſtalis gradus. Codinus in Off. palatij Conſtantinop.

CCXX. *Quid victi præſtarent victoribus.*

APud Græcos olim ſi quando belli dirimendi gratia eſſent initæ σπονδαὶ ἐξ ἐπιταγμάτων, deuictus populus muros diruebat: obſides, naues, atque arma, & interdum quoque pecuniæ vim permagnam victori dabat, vt Athenienſibus Thaſij, & item Æginetæ, ac Samij, &c. Petrus Faber lib. 1. Semeſt.

CCXXI. *Tonſura ſincipitis, & raſura genarum.*

QVi pueritiam exceſſiſſent, Delphos profecti crinem deo conſecrabant. Venit eo Theſeus, & totondit ſinciput tantum; quod genus tõſuræ Theſeis propter ipſum nuncupatũ, quo genere Abantes primi vſi ſunt, quia erant bellicoſi, comminusq́; pugnare ante alios docti, ne apprehendi crinibus ab hoſtibus poſſent. Quod etiam Alexander Macedo ſenſit, qui vt raderent genas Macedonum ducibus præcepit: quod promptiſſimè in conflictibus aliquis ijs poſſet apprehendi. Plut. in Theſeo. Sane Alexandri temporibus barbæ radendę inductam conſuetudinẽ ex Chryſippo Athenæus docet lib. 13.

CCXXII. *Manuum lotio.*

IN diuinis litteris per manus actiones ſignificabantur, eò quod per eas opera fieri ſoleant. Earum autem puritas inſontem oſtendit. Vnde geſtus abluendarum manuum innocentiæ ſignum, & profeſſio eſt. Antiqui certè, quando conteſtari volebant, ſe alicuius eſſe ſceleris innoxios, neque impuris facinoribus ſe immiſcuiſſe, aſſenſumvé præbuiſſe, in multitudinis conſpectu manus abluebant, &c. Pier. lib. 35. Sic Pilatus Chriſtum voluntati Iudæorum tradés, vbi manus lauit, *Innocens*, inquit, *ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis.*

CCXXIII. *Humana corpora cum brutorum capitibus.*

ÆGyptij ſolebāt humana corpora beſtiarum capitibus inſignire, prout hoc vel illud animal alia atque alia præ ſe ferebat ſignificata. Teſtimonio ſunt quæ in gemmis, in marmoribus, in ære monumenta ſuperſunt. Idem lib. 32.

CCXXIV. *Seræ antiquorum.*

PEnſiles erant, tranſmiſſis catenis, quas poſtiti inſerebant: vt dum ianuæ eſſent aperiendæ, è catenis quibus inhærebant ſeræ eximerentur, longe alio ritu quam hodie fit: nam ſeræ priſcorum exemptiles, noſtræ fixæ. Turneb.

lib.

lib. 19. cap. 7. Ovid. *Tota patet dempta ianua no-ſtra ſera.* 1. Faſt.

Et iam contigerant portam Saturnia, cuius
Dempſerat appoſitas inuidioſa ſeras.

Propert. lib. 4 eleg. 12. *Et iaceat tacita lapſa catena ſera.* Dempſterus in Corippum. Mutuatus eſt à Paſſeratio, qui hac de re fuſius in eleg. 7. lib. 4. pag. 654.

CCXXV. *Imp. Conſtantinop. & Rex Perſarum.*

QVi Conſtantinopoli ſumpſerant imperiũ, id regi Perſarum ſignificabant, & cõtra Perſarum nouus rex Imperatori. Simocata lib. 8. ca. 15. Menſe quinto per litteras ſuam ipſius renuntiationem Phocas Choſroæ ſignificauit, & Liliũ miſit nuntium. Hoc enim Romani, & Perſæ ſolent, cum ad imperium euehuntur. Et lib. 3. cap. 17. Ormiſdas ſuꝑ pro diademate elatus faſtu cõſuetudinem reſcindit, tollens ſignificationẽ ſuæ promotionis, quaſi Tiberium hoc honore non dignaretur. Ex Bulengeri lib. 1. de Imp.

PRISCI RITVS, ET CONSVETVDINES CHRISTIANÆ.

I. *Superſtites moribundis commendabant animas ſuas.*

D Gregorius auctor eſt homil. in Euangelia xxxv. morem ſuo tempore fuiſſe, vt homines ad morientes, quos ſanctè vixiſſe exiſtimarant, in agone poſitos currerent, eiſque animas ſuas commendarent. Stephanum, inquit, patrē monaſterij Reatinæ vrbis, virum ſanctum, quum dies mortis egredi de corpore vrgeret, conuenerunt multi, vt tam ſanctæ animæ de hoc mundo recedenti ſuas animas commendarent. Onuphrius de ritu ſepeliendi. cap. 1.

II. *Viſitationes ægrotantium.*

EPiſcopi, & Presbyteri ſolebant ægrotos viſitare. Tradit Metaphraſtes, Ioannem Eleemoſynarium, Epiſcopum Alexandrinum magna cura ad ægrotos acceſſiſſe, ac ſæpe oculos morientium ſuis manibus clauſiſſe. Legebant autem circumſtantes ægrotum euangelia, & pſalmos, hymnoſque canebant, eiuſque animam deo precibus commendabant.

III. *Lauatio corporis defuncti, & expoſitio.*

VEteres Chriſtiani ſtatim vt exſpiraſſet mortuum

tuum lauabant. Exemplum eſt Actor. cap. 9. de Tabitha. Plura teſtimonia vide apud Onuphrium cap.2. Vngebant præterea myrrha, & aromatibus condiebant, veſtiebant, cap. 6. Lotum cadauer in cœnaculis, & publica parte domus exponebant. Iterum cap. 9. de Tabitha. Corpus Caroli M. more ſollemni lotum, & curatum, maximo totius populi luctu in Eccleſia Aquisgranenſi expoſitum, & ſepultum eſt. cap. 3.

IV. *Quomodo efferretur mortuus.*

CORpora defunctorum efferebantur accenſis luminibus & cereis, cum cantu pſalmorum, modulis lugubribus. Nazianz. in laudat. S. Baſilij. Idem 1. inuectiua in Iulianum de funere Conſtantij. Conſtantius communibus omnium elatus eſt laudibus, ac pompis, iisque venerandis, ac noſtris; nec non cantibus tota nocte reſonantibus, ac luminibus accenſis, quibus Chriſtiani tranſitum honorare pium cenſemus; panegyrisque poſt mortem dicta eſt, & corporis facta deportatio cum comitatione, &c. cap. 5.

V. *Funera Romanor. Pontificum.*

REfert D. Gregorius morem ætatis ſuæ, vt funera Roman. Pontificum dalmaticis contegerentur; quas poſt ſepulturam populus conciſas reuerentiæ cauſſa aſſeruabat. Quem morem

ipſe improbat, ſtatuitque vt feretrum, quo Romani Pontificis corpus ad ſepeliendum ducebatur, nullo tegmine velaretur. Vide c.6.

VI. *Qualia ſepulchra, & eorum duo genera.*

IN cœmeterijs erant priuatorũ ſepulchra marmorea, lateritia, & loculos habentia, in quibus Chriſtiani ſepeliebantur. Ex ſepulchris verò quædam fuiſſe hæreditaria, quædã donatitia certum eſt. De hæreditarijs Hieronym. ad Marcellam: de donatitijs Nazianzenus. orat. funebri in fratrem Cæſarium, &c. cap.7.

VII. *Sepulturæ in porticibus templorum, & ipſis templis. Lychni ad ſepulchra.*

CVm antiquitus tantum extra vrbem in cœmeterijs corpora ſepelirentur, pace Eccleſijs data intra vrbes ad templorum limina, poſtea in ipſis templis ſepeliri mos inualuit. Quanquã hic honos potius Principibus vtriuſque ſexus, & ijs, qui pietatis laude, aut rerum geſtarum magnitudine claruiſſent, eſt habitus. Nobilium autem ſepulchris lychnos ſuſpendebant, &c. cap.7.

VIII. *Epitaphia.*

EXtant adhuc multa ſanctorum martyrum epitaphia carmine facta, quibus Damaſus Papa co-

pa eorum ſepulchra exornauit. Reliquorum etiam hominum ſepulchris epitaphia addiderunt, quorum infinita pene ante mille annos facta, per vrbis Romæ eccleſiarum pauimenta viſuntur. cap. 7.

IX. *Eleemoſynæ, preces, ſacrificia pro mortuis.*

CОndito,& curato funere dabantur eleemoſynæ, teſtes Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus; preces, & ſacra anniverſaria fiebant. Tertulianus.

X. *Cœmeteria.*

LOca erant Chriſtianorum ſepulturæ ſpeciatim aſſignata. Nam quemadmodum veteres tam antiquæ, quàm nouæ legis patres, mortuos dormire dicebant (quod frequenter diuinæ ſcripturæ commemorant) ſic eorum ſepulchra appellabant eo nomine, quæ ſignificarent loca ad quietem, & ſomnum comparata. Deinde quia ſolebant ad ſepulchra ſanctorum martyrũ, quorum ſacroſancta erat memoria, anniuerſario die paſſionis eorum conuenire, ampla, & capacia cœtibus publicis orationum loca, cœmeterijs adiacentia, etiam cœmeteria vocarunt. Itaque hæc cœmeteria erant Chriſtianis (quod & nunc ſunt) velut templa, & orationum loca, in quibus Epiſcopi ſynodos congregabant, ſacramenta admi-

niſtra-

niſtrabant, verbum dei concionabantur. &c. cap. 11. Catalogum cœmeteriorum Romanorum ibidem lege, ſi placet.

XI. *Dies feſti, ſacrificia, oblationes, memoriæ ſanctorum.*

APud veteres in martyrum diebus feſtis oblationes, & ſacrificia fieri ſolita fuiſſe indicat Origenes lib. 3. in Iob. Antiqui natiuitatis dies celebrabant, inquit, vnam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc verò nos non natiuitatis diem celebramus, cum ſit dolorum, atque tentationum introitus, ſed mortis diem; vtpote in omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem; quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea & memorias ſanctorum facimus, & parentũ noſtrorum, vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes, &c. cap. 14.

XII. *Tranſlationes Sanctorum.*

IN tranſlatione reliquiarum veteres Chriſtiani vſi ſunt iiſdem pæne ritibus, quibus in funeribus. Nam præcedentibus triduanis ieiunijs, preces, cantus, vigiliæ, miſſarum ſollemnia, oblationum diſpenſationes factæ ſunt. In huiuſmodi

tranſlationibus ſæpe multa miracula deus ipſorum ſanctorum meritis eſt operatus. cap.15.

XIII. *Odium nominis Chriſtianus. Tabella damnationis.*

TErtullian. in Apologet. oſtendit, nihil fuiſſe, quod in Chriſtianis puniretur, præter nomẽ, cuius ſummum fuit odium, cum tamen ne eiuſdem quidem verbi ſignificatio, vt ab aduerſarijs proferebatur (Chreſtus, & Chreſtiani dicebant: χρηστὸς autem eſt bonus, benignus, placidus, ſuauis) quidquam non amabile præ ſe ferret. Et cum damnarentur Chriſtiani, hoc ſolo plerumque nomine damnabantur. Tertullian. ait, tabellam damnationis tantum continuiſſe, reum eſſe Chriſtianum; quæ tabella ad ſupplicij locũ præferebatur; vt in amphitheatro Lugdunenſi cum Attalus iam damnatus circumduceretur, præferebatur tabula, in qua ſcriptum, HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS. Franciſc. Balduin. in epiſt. Plin. XCVIII. ad Traianum.

XIV. *Die Dominico agebant conuentus.*

HAbebant certos, & ſolemnes, quibus præcipuè conuenirent ſuos dies. Docet Iuſtin. in Apologet. die Solis, vt loquitur, hoc eſt, Dominico, frequentiores fuiſſe, & ordinarios eorum cœtus. Paulus vocat primam ſabbatorum, qua die

die etiam Chriſtianos conueniſſe ſignificat. Tertullian. lib. de fuga in perſecut. meminit Dominicorum ſollemnium: & in Apologet. cap. 16. fatetur Chriſtianos diem Solis lætitiæ indulſiſſe. Fuit autem ſtatus hic dies Chriſtianæ ſynaxis, propter memoriam Dominicæ reſurrectionis. Idem

XV. *Antelucanæ, & nocturnæ congregationes.*

SOlitos ante lucem cœtum celebrare in precibus & hymnis, teſtatur & Plin. ad Traianum. Tertullian. lib. 2. ad vxor. meminit etiam nocturnæ conuocationis. Et lib. de fuga in perſecut. ſignificat, ſi interdiu non poterant, noctu collectos fuiſſe. Sed & nocturnarum precum mentionem facit in Apologet. Arnob. lib. 8. teſtis eſt, ſuo adhuc tempore aduerſarios Chriſtianis obiciſſe, atque exprobraſſe nocturnas congregationes, & occulta, atque nocturna ſacra, & in eos exclamaſſe, LATERNOSA, ET LVCIFVGA NATIO. Quid facerent miſeri? Interdictum ijs erat locis publicis, & ipſa prope luce ſolis, vt igni & aqua. Certe vbi licuit, in aperta, & publica luce conuenerunt. Idem.

XVI. *Contumelioſè appellati Chriſtiani.*

CHriſtianos olim dictos fuiſſe furioſos, inſa-

nos, ſtultos, fatuos, dementes intelligi facile poteſt ex Iuſtino, Tertulliano, Arnobio, Lactantio, Euſebio. Tertull. quidem Apologet. ca. 27. Quidam dementiam exiſtimant, quod cum poſſimus & ſacrificare in præſenti, & illæſi abire, manente apud animum propoſito, obſtinationem ſaluti præferamus. Idem.

XVII. *Chriſtianorum ſancta confœderatio.*

FVit hæc aliquando Mileſiorum conſpiratio. NEMO NOSTRVM FRVGI ESTO. Chriſtianorum verò hæc olim videtur fuiſſe, NEMO NOSTRVM SCELERATVS, AVT NEQVAM ESTO. Neque ſanè fuit hæc eorum inanis pactio. Talis fuit eorum vita, qualis oratio. Tertullian. ad Scapul. Depoſitum non abnegamus: matrimonium nullius adulteramus: pupillos piè tractamus: nulli malum pro malo reddimus, &c. Idem.

XVIII. *Eorum ἀγάπαι, ſeu conuiuia.*

COire ſolitos ad capiendum cibum promiſcuum, & innoxium ait Plin. Quibus verbis videtur ſignificare ea conuiuia, quæ ab illis vocabantur ἀγάπαι. Nam ad vinculum mutuæ charitatis vnà cibum capere in publico ſolebant, ac velut de ſybolis eſſe; quod etiam apud Corin-

rinthios factum Paulus ep. 1. cap. 10. indicat. Ne quis verò putet lautitias, aut ſplendidas epulas fuiſſe apparatas, vel appoſitas, ait Plin. fuiſſe cibum promiſcuum, id eſt facilem paratu,& obuium; ſiue, vt Græci vocant, ἐυπόριστον, καὶ τὸ τυχόντα, qui non conſtaret cæde, & ſanguine multarum pecudum. Deſcribitur hoc genus convivij à Tertulliano Apologet.cap.39. Huiuſcemodi ἀγάπας, id eſt, charitatiua, & fraterna conuiuia à Chriſtianis veteribus in natalitijs martyrũ, in funeribus, in nuptijs, in dedicationibus eccleſiarum frequẽtari ſolita demonſtrat Ioan. Fridericus Critices Chriſtianæ lib. 1.cap.2.

XIX. *Veneratio Imperatoris.*

IMperatorem quamuis paganum, Chriſtiani ſummopere venerabantur, eique omnia fælicia precabantur, vt ex Tertulliano, alijſque ſcriptoribus diſcimus.

XX. *Reuerentia panis, & potus.*

VErba ſunt Tertulliani, lib. de corona militis. Calicis, aut panis etiam noſtri aliquid in terram decuti anxiè patimur. Sic ille. Honorem haberi alimento omnium communiſſimo, & antiquiſſimo, maximeque neceſſario par eſt. Quandiu panis ſuppeditabit, à morte ſeruabimur. Huius etiam fragmenta ne perirent, colligi Saluator iuſſit, Ioan.6. Eius nomine in Dominica preca-

tione non cibus modò, verum omnia ad tuendam vitam requiſita comprehenduntur.

XXI. *Signum ſanctæ crucis.*

AD omnem progreſſum, atq; promotum, ad omnem aditum, atque exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, & cubilia, ad ſedilia, quæcunq; nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Tertull. de coron. mil. Auguſtin. in Ioann. Signum crucis Chriſti à nobis expellit exterminatorem; ſi tamen cor noſtrum Chriſtum habeat inhabitatorem. Sciti ſſimè dictum de hoc ſacroſancto ſigno à Patre quopiam Græcè, οὗ ἄνευ οὐδὲν εὖ. Latinè tam venuſtè non poteſt. Sine qua nihil bene. Lactant. lib. 4. cap. 26. Signum ſanguinis, id eſt crucis, quæ ſanguinem fudit, in ſua fronte cōſcripſerunt. Hieron. Epitaph. Paulæ. cum os, ſtomachumque ſignaret, & matris dolorem crucis niteretur impreſſione lenire. Adde Prudentium. *Frontem, locumq; cordis crucis figura ſignat.*

XXII. *Eulogiæ.*

VEteres Chriſtiani diebus ſollemnibus, vt Paſchæ, Natalis, &c. vel myſterij ſignificandi, vel in ſignum etiam communis cuiuſdam lætitiç, ſibi mutuò eulogias, ſeu placentas, aut ſacra eiuſmodi munuſcula miſſitabant. Appellabant ſic, quod cum benedictione, & affectu pio charitatis

mitte-

mitterentur. Quod dicebant etiam benedictionem mittere. 2.Corinth.cap.9. Paulus loquitur de oblatione, ſiue eleemoſyna, quam Corinthij exemplo aliarum Eccleſiarum erant per Paulum in pauperes tranſmiſſuri. Græcè eſt εὐλογίαν. In hiſtorijs anachoretarum, & religioſorum vox non infrequens.

XXIII. *Sacræ imagines.*

HAs venerationis ergò capitibus, & faciebus admouebant, oſculabanturq́; inſuper proculdubio: quas conſcindunt, conſtringunt, comburunt noui Iconoclaſtæ cum veteribus.

XXIV. *Chriſtianorum oſcula.*

IN vijs etiam publicis ſeſe ſalutando oſculabantur. Ex 2.Apol.Iuſtini, ex Tertull.lib.2.ad vxor. ex lib.de orat. cap.penult. Et ante conſecrationem, Dionyſ.cap.3. de eccleſiaſt. hierarch. Clemens lib.2.conſtit.cap.61. & lib.8. cap.13. Cyrill. catecheſ.5. Chryſoſtom. lib. 1. de compunct. Et quia in ſalutationibus mutuis frequens erat vſus oſculi, quod ſanctum vocat Apoſtolus ad Roman. 16. & Ignat. ad Tarſenſes, & alij, ideo ἀσπάζομαι, quod vtrumque, & ſalutare, & oſculari ſignificat, Chriſtiani doctores libentius vſurpant.

XXV. *Martyres, Confeſſores.*

MArtyrum nomen olim, & potiſſimum ſæculo Cypriani illis quoque tribuebatur, qui à confeſſione nominis Chriſti nulla tormentorum atrocitate abduci poterant: quos eleganter Tertullian. lib. ad Martyres deſignatos martyres appellat. Alibi ſimpliciter martyres. Confeſſorum vocabulum hodie in alio vſu eſt, quam fuit quondam. Attribuitur etiam illis, qui nihil pro Chriſti nomine perpeſſi, ſed ſola vitæ ſanctitate Chriſtum confeſſi ſunt. Pammel. in epiſt. Cypriani.

Nunc ex Nazianzeno legem martyrij audiamus. *Lex martyrij hæc eſt, vt nec nosmetipſos in periculum vltro conijciamus, vt & peccatoribus, & infirmioribus athletis conſulatur: nec in diſcrimen adducti certamen detrectemus. Illud quippe temerarij, ac præcipitis eſt animi: hoc timidi & ignaui.* In Exhortat. Clemens Alexand. *Qui non fugit perſecutionem eſt audax, & temerarius, & inconſultè ſe in manifeſta pericula conijcit*, & plura ibidem contra hos, Stromat. lib. 4. Notatu dignum, quod lego apud S. Hieronym. in vita Malchi monachi. *Chriſti Eccleſiam* ait, *poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentia quidem, & diuitijs maiorem: ſed virtutibus minorem factam eſſe.*

XXVI. *Chriſtus ludibrium gentilibus.*

CHriſtum Chreſtum, & Chriſtianos Chreſtianos, vt ante dictum, gentiles appellitabant, pingebantque Saluatorem togatum, auribus aſininis, pede altero inungulatum, librum geſtantē, cum inſcriptione, *Deus Chriſtianorum* ὀνόχηλος, aſinungulus. Tertullian. Apologet. cap. 16. Crinit. lib. 1. cap. 9. Pithœus lib. 2. cap. 3. Sic Cyprianus, poſtquam Chriſtiana ſacra eſt amplexus, per ludibrium neſcio à quo philoſopho, Coprianus eſt dictus, à κόπρος fimus, ſtercus.

XXVII. *Peruigilium Paſchæ.*

TRaditio Iudæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudine Ægyptij temporis, quando Paſcha celebratum eſt, & Exterminator venit, & dominus ſuper tabernacula tranſijt, & ſanguine agni poſtes noſtrarum frontium conſecrati ſunt. Vnde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt in die vigiliarum Paſchæ, ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exſpectantes aduentum Chriſti. Et poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta, feſtum cunctos agere diem. S. Hieronym. in cap. 25. Matthæi.

XXVIII. *Oſcula ſanctorum liminibus.*

QVi Romam petebant religionis cauſſa, limina Apoſtolorum oſculabantur, & aliorū

quoq; Sanctorũ. Prudent. *Apoſtolorum, ac Martyrum Exoſculantur limina.* Paulin. in 3. Natal. S. Fœlicis. *Cernere tunc paßim eſt ſacra purgata medela Pectora liminibus ſterni.* Vide Sidonij ep. 5. lib. 1. & in eam comment. Ioan. Sauaronis.

XXIX. *Diptycha.*

IN veteri Eccleſia tum eorum pro quibus offerebatur, tum omnium qui in cõmunione Eccleſiæ perſiſtebant Epiſcoporum tam viuorum, quàm defunctorum nomina è ſacris tabulis, quæ δίπτυχα, καὶ πτύχα vocabantur, in miſſa recitabantur. Erant tabulæ duæ, quarum vni viuorum, alteri mortuorum nomina inſcribebantur. Pamel. in Cyprian.

XXX. *Stationes.*

EX Tertull. de corona milit. patet, non quemlibet conuentum eccleſiaſticum, ſed eum qui dominico die fiebat vocaſſe ſtationes: vnde dies ſtationum dicebatur, metaphora à militibus, qui dum præſidium certo loco collocant, ſtationem facere dicuntur. Ita Chriſtiani nunc in hac, nunc in alia baſilica, nonnunquam & apud Martyria, id eſt, martyrum ſepulchra diebus dominicis conueniebant, deum ſtantes precabantur, ſacrificio intererant, & corpus domini (teſte Tertulliano lib. de Orat.) accipiebant. Si quid denique

tiſque difficultatis occurriſſet, in eo conuentu tractabatur. Vnde fiebat, vt (eodem teſte lib. de ieiunio) nonnunquàm ſtationes vſque in veſperum producerentur. Pammel. in Cyprian.

SYNTAGMA QVINTVM.

SALES.

Vbi & Epigrammata.

Præfatio.

LOcum de Salibus, immò Salium, facetiarum, iocationum, dicteriorum, ridiculorum, acutè, vrbanè dictorum (omnibus enim hiſce nominibus eandem propè rem appellatam obſeruo) ab Apophthegmatũ claſſe viſum eſt ſecludere, ac ſeparare, quò commodiùs, hoc eſt, diſtinctiùs, & intelligentius ageremus, quã ad diligentes, & aſſiduos in ſtudio litterarum, Muſarumque θεράποντας liberaliter, honeſteque relaxandos agere à principio inſtituimus. Nullam hîc artem, nullas leges, cautionesq́; praſcribemus. Non locos enumerabimus, vnde facetiæ ernantur, & ad quos reuocentur: quod in II. de Orat. ſub perſona Antonij factum à M. Tullio. Non in genera certa, ac definita diſpertiemus. Non quid inter vrba-

num,

num, facetum, ſalſum, feſtiuum, lepidum interſit, docebimus. Ne multis, Huiuſmodi omnia, vt ab inſtituto noſtro aliena, prætermittimus; ſolis exemplis contenti, quæ in congreſſibus, circulis, conuiuiis, conſeſſibus, familiari, ac ciuili conſuetudine, ſermonumq; communicatione, aut alia quauis opportunitate, & occaſione prolata, legendis auctoribus ſtudioſè notauimus; ruſticiate, ſcurrilitate, laſciuia, obſcœnitate, ſordibus ac fœditate, detractione, & irriſione religioſorum Ordinum, cærimoniarumq; eccleſiaſticarum penitus poſthabitis: quod minimè omnium plerique præſtiterunt, qui ridiculorum libros ediderunt; homines proterui, & de fama ſua parum laborantes. Quin potius Cicer. 1. Off. vbi de temperantia eſt diſputatio, hunc in modum de ludo, iocisq; præcipientem auſcultabimus, quantumq; poterimus, ad illius normam, & amuſſim ſales noſtros accommodare contendemus. Ludo autem, & ioco, *inquit*, vti quidem illis licet: ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, cùm grauibus, ſerijsq; rebus ſatisfecerimus. Ipſumque genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum, & facetum eſſe debet. Vt enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. *Grauiter iſta, & prudenter, nec minus ea, quæ ſequuntur. Mox enim duplex iocandi genus conſtituit,* vnum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum; alterum elegans, vrbanum, ingenio-

ſum, facetum: quorum hoc, ſi tempore fiat, ac remiſſo animo, libero dignum, alterum ne homine quidem ſit, ſi ad rerum turpitudinem adhibetur verborum obſcœnitas. *Sunt tamen, (vt hoc παρέργως moneam) non meditata, & inexſpectata iucundiora, & gratiora in facetijs: ſicut & quæ tacitam approbationem, nonnunquam cum admiratione, magis, quàm riſum mouent: vtraq; enim ingenium demonſtrant. Ipſum habitum Iouian. Pontanus facetudinem ἀναλόγως dici poſſe arbitratur. Facetia, facetitas, faceties, durinſcula ſunt vocabula. Ex eius viri libris de Sermone* v. & vi. *potiſſimùm exempla compluſcula delibauimus; quos vt legant, qui hæc noſtra legent, atq; adeo illius, quæ Moralia conſcripſit omnia, magnopere ſuademus. Parum ſanè ſapuit Eraſmus, vt ſæpe item in multis locis, qui præter orationis non inamœnum fluxum, & verborum tinnitum nihil in eo vehementer ſuſpicit. Quanto rectius, ac verius de eodem vir magnus inter ſectarios?* Non video quem auctorem huic ſummo viro præferamus: qui ita coniunxit vniuerſum orbem doctrinarum, vt in ſingulis artibus conferri cum ſummis artificibus poſſit. Et ad philoſophiam tractandam duas res adhibet, quæ valent plurimum, iudicium, quod cum ei natura contigit acerrimum, tum acuit vſus maximarum rerum, & eloquentiam. Quare & prudenter videt quid dicendum ſit, ac dilucidè, & cum ſumma dignitate id exponit. *Lege itē Tullianar. Quæſt. lib. 5. cap. 6. Andreæ Schotti no-*

ſtri,

ſtri, quo libro Cicero à calumnijs vindicatur. Cuius facetiæ, & lepores à Tirone aliquot libris collecti, ſi extarent, potuiſſet inde huic Syntagmati non modica fieri acceſſio. Legendus præterea Macrob. Saturnal.lib.2.cap 1.& ſequentibus. Sales autem appellati ſunt, quod veluti ſale gratiſſimo condimento ſermonem condiunt, ſapidumq; reddunt.

I. *Et beſtiæ quandoque imitandæ.*

QVod bene vertat, à pietate, & ſacris honeſtè, & liberaliter iocandi ducamus initium. S. Martinus forte ouem recens tonſam conſpiciens, Euangelicum, inquit, mandatum iſta compleuit: duas habuit tunicas; vnam largita eſt non habenti. Et ad diſcipulos conuerſus: ita & vobis eſt faciendum. Sulpit.in vita.

Chriſtus Saluator reſpicere nos & volatilia cœli, & conſiderare lilia agri iubet pro exemplo vitandæ cibi, potus, veſtis immodicæ ſollicitudinis. Eſt autem ouis homini multimodis vtile animal, quod eum non ſolum lacte, caſeo, & agnis, & ſua demum carne moriens alit, verum etiam lana ſua veſtit. Quas vtilitates Pythagoras 15. Metamorph. dum ex animantibus maximè bouem, & ouem miſeratur, quoniam cibi cauſſa necantur, his verbis eſt complexus.

Quid meruiſtis oues placidum pecus, inq; tuendos
Natum homines? pleno quæ fertis in vbere nectar,

Mol-

Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas
Prabetis, vitamq́; magis, quàm morte iuuatis.

II. *Garrulus comes.*

PVb. Mimographi eſt, Facundus comes in via pro vehiculo eſt. Facetè vir quidam doctiſſimus contrà: garrulus comes pro ſarcina eſt, etiam in vehiculo.

Quid enim paucorum verborum, & taciturnus homo præſertim minus, quam illam inanem verborum profluentiam, & tanquam multarum muſcarum iteratas punctiunculas ferre queat? Facundiſſimus, & nitidiſſimus ſcriptor Iouian. lib. I. de Sermone, vbi de eius vitijs diſputat, garrulos ait haud eſſe diſſimiles nugatoribus. Obtundunt autem cum vanitate rerum, tum inanitate verborum, quibus in omnibus & nimij ſunt, & importuni, valdeque indecentes. Vitium autem ipſum garrulitas ab auibus ductum; neque enim ceſſant, & in ijſdem aſſiduò verſantur, vel potius interſtrepitant. Loquaces videri poſſunt taciturnis aduerſarij, taciturnitasque ipſa loquacitati.

III. *Luſus ex contrario.*

IN Regulum, virum non probandis moribus, nec bonum oratorem, mirificè Herennius Senecio Catonis illud de oratore è contrario inuec-

& in eo Muſarum, & Apollinis in pariete pictas imagines, ſiue ſtatuas, numero x. quærenti quot illi eſſent diſcipuli, σὺν τοῖς θεοῖς δώδεκα, inquit, cum dijs, duodecim. Duobus modis græca poſſunt exponi. Vel vt dixerit, dijs illis annumeratis habere ſe XII. diſcipulos: vel deorum beneficio ſe tot habere. σὺν particula Græcis auxilij, atque opis ſignificationem habet. Delectatus eſt igitur ambiguo. Victorius lib.2.cap.23.

Ex ambiguo dicta vel argutiſſima putantur, inquit Cic.2.de Orat. Sed non ſemper in loco, ſæpe etiam in grauitate verſantur.

VI. *In improbum.*

IDem Stratonicus aiebat, plurimum ſe admirari matrem Satyri, hominis improbiſſimi: quòd quem ciuitas non potuiſſet ferre x. dies, ipſa tuliſſet x. menſes. Athen.lib.8.

Lepidiſſimè Gelaſinus paraſitus in Plautina Sticho de ſe, & matre ſua Fame, quam viciſſim conceperit, & tamdiu in ventre geſtet.

Famem fuiſſe ſuſpicor matrem mihi.
Nam poſtquam natus ſum, ſatur nunquam fui.
Sed quam ego matri meæ refero inuitiſſimus,
Ea mihi nunquam retulit mater gratiam;
Nam me illa in aluo menſes geſtauit decem;
At ego illam in aluo geſto plus annos decem.
Atq; illa puerum me geſtauit paruulum,
Quo minus laboris illam cepiſſe exiſtimo:

At ego non pauxillulam in vtero geſto famem,
Verùm m hercle multo maximam, & grauiſſimam,
Vteri dolores mihi oboriuntur quotidie,
Sed matrem parere nequeo, &c.

VII. *In decoctorem.*

PAulus Marcheſius Neapolitanus Iureconſultus, cum audiret notum ſibi hominem, quiq; breui patrimonium ſuum omne diſſipaſſet, ab vxore ad diuortium compelli, quòd is poſt aliquot annos matrimonium nōdum conſummaſſet: mirum, inquit, quomodo matrimonium nō conſummauerit, qui patrimonium tam citò conſummarit. Iouian. de Serm. lib. 3.

VIII. *Nihilne de vitello?*

FEſtiuum eſt quod habet 2. de Diuinat. M. Tullius de coniectore, & conſultore. Defert ad coniectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ouū pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis. Eſt hoc in Chryſippi libro ſomnium. Reſpōdit coniector, theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto. Fodit: inuenit auri aliquantum, idq́; circundatum argento. Miſit coniectori quantulum viſum eſt de argento. Tum ille, nihil ne de vitello? id enim ex ouo videbatur aurum declaraſſe: reliquum, argentum.

IX. *Scriptio deleta.*

AVguſtus Cæſar affectauit iocos, ſaluo tamen maie-

maieſtatis, pudoriſque reſpectu: nec vt caderet in ſcurram. Aiacem tragœdiam ſcripſerat, eandemque quòd ſibi diſplicuiſſet, deleuerat. Poſtea Lucius grauis tragœdiarum ſcriptor interrogabat eum, quid ageret Aiax ſuus? Et ille, in ſpongiam, inquit, incubuit. Macrob. Saturnal. lib.2.cap.4.

Aiax Telamonius poſtquam in petitione armorum Achillis cauſſa cecidit, eaque Vlyſſi competitori adiudicata vidit, iratus in ſuum ipſe gladium incubuit. Metam. 13. quò Aug. faceriſſimo dicto ſuo reſpexit.

X. *In iactabundum.*

Saxo in expeditione percuſſum, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamẽ ſua opera iactantem, ſic leniter caſtigauit Auguſtus. Attu cum fugies, nunquam poſt te reſpexeris. Idem ibid.

XI. *Iudæorum* Χειϛοκτονία.

Etiam poſt mille quingentos iam annos adhuc à Germanis cantari lætum illud, & gratulabundum canticum de Chriſto rediuiuo, toto tempore, quod inter Paſcha, & Pentecoſten intercedit, vehementer mirabatur Iudæus, & quærebatur apud Maximilian. I. gentem ſuam tamdiu traduci, cum cantilenarum omnium ſit poſt annum ſatietas; & odia ex homicidio contracta

At ego non pauxillulam in vtero geſto famem,
Verùm m hercle multo maximam, & grauiſſimam,
Vteri dolores mihi oboriuntur quotidie,
Sed matrem parere nequeo, &c.

VII. *In decoctorem.*

PAulus Marcheſius Neapolitanus Iureconſultus, cum audiret notum ſibi hominem, quiq; breui patrimonium ſuum omne diſſipaſſet, ab vxore ad diuortium compelli, quòd is poſt aliquot annos matrimonium nõdum conſummaſſet: mirum, inquit, quomodo matrimonium nõ conſummauerit, qui patrimonium tam citò conſummarit. Iouian. de Serm. lib. 3.

VIII. *Nihilne de vitello?*

FEſtiuum eſt quod habet 2. de Diuinat. M. Tullius de coniectore, & conſultore. Defert ad coniectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ouũ pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis. Eſt hoc in Chryſippi libro ſomnium. Reſpõdit coniector, theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto. Fodit: inuenit auri aliquantum, idq; circundatum argento. Miſit coniectori quantulum viſum eſt de argento. Tum ille, nihil ne de vitello? id enim ex ouo videbatur aurum declaraſſe: reliquum, argentum.

IX. *Scriptio deleta.*

AVguſtus Cæſar affectauit iocos, ſaluo tamen maie-

maieſtatis, pudoriſque reſpectu: nec vt caderet in ſcurram. Aiacem tragœdiam ſcripſerat, eandemque quòd ſibi diſplicuiſſet, deleuerat. Poſtea Lucius grauis tragœdiarum ſcriptor interrogabat eum, quid ageret Aiax ſuus? Et ille, in ſpongiam, inquit, incubuit. Macrob. Saturnal. lib.2.cap.4.

Aiax Telamonius poſtquam in petitione armorum Achillis cauſſa cécidit, eaque Vlyſſi competitori adiudicata vidit, iratus in ſuum ipſe gladium incubuit. Metam. 13. quò Aug. facetiſſimo dicto ſuo reſpexit.

X. *In iactabundum.*

SAxo in expeditione percuſſum, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamē ſua opera iactantem, ſic leniter caſtigauit Auguſtus. At tu cum fugies, nunquam poſt te reſpexeris. Idem ibid.

XI. *Iudæorum* Χειϛοκτονία.

ETiam poſt mille quingentos iam annos adhuc à Germanis cantari lætum illud, & gratulabundum canticum de Chriſto rediuiuo, toto tempore, quod inter Paſcha, & Pentecoſtēn intercedit, vehementer mirabatur Iudæus, & quærebatur apud Maximilian. I. gentem ſuam tamdiu traduci, cum cantilenarum omnium ſit poſt annum ſatietas: & odia ex homicidio contracta

eo ſpatio apud Iudæos finiri, & in amicitiam rediri ſoleat. Nos autem mortis Chriſti vnius ab ipſis perpetratæ tamdiu meminerimus, & tam diuturnis eorum miſerijs expleri non poſſimus, Ex German.

XII. *Melius bene dormire, quàm bene cœnare.*

HOmo nobilis in diuerſorio cōſtitutus, cum cæteri diuerſores de lauta cœna ſollicitè cū hoſpite tranſigerent, ipſe tantùm de lecto, mundisq; linteis lecticarijs ſollicitus erat; quia, vt aiebat, cœna vix horam, ſopor autem, & quies nocturna ad 7. vel 8. horas duraret.

An non bene ratiocinatus videtur? Laudabunt argumentum, quibus parcius cœnari, quàm prandeti placet; de quo ſcimus quæſitum eſſe. Schola Medica Salernitana. *Vt ſis nocte leuis, ſit tibi cœna breuis.*

XIII. *Mulier otioſa, & puer operarius ceſſans.*

PIgritiæ plena mulier à viro accepta verberibus cum clamaret, indignè ſe verberari, quādoquidem nihil faceret, cauſſamq; ab eo quæreret. Ob id ipſum, inquit ille, te verbero, quia nihil facis.

M. Gallus architectus Auguſtæ puerum ope-

rarium

rarium pulſabat, ex ijs qui fabris cæmentarijs arenatum ad ſtructuram murorum apportare ſolent, qua vacantem penitus cernebat. Puer hominem apud Conſulem accuſat. Vocatur; quæritur quid egerit; cauſſa cognoſcitur. Iubetur bono animo diſcedere. Introducitur rurſum puer; interrogatur denuò à Conſule quid fecerit vt verbera acciperet; nihil, inquit. Tum conſul, hoc eſt, mi fili, cur te pulſauit, quia nihil faciebas. Oportebat te aliquid facere. Vade igitur, & deinceps fac aliquid, & nihil mali patiere. Hoc vt narratũ domi noſtræ audiui, ita in litteras retuli.

XIV. *Parcus conuiuator.*

EXceptus eſt Auguſtus à quodam cœna ſatis parca, & quaſi quotidiana. Nam pæne nulli ſe inuitanti negabat. Poſt epulum igitur inops, ac ſine vllo apparatu diſcedens valedicenti hoc tantum in aurem inſuſurrauit: non putabam me tibi tam familiarem. Macrob. lib. 2. cap. 4.

Quali cœna excepturus fuerit Septitium Clarum Plin. iunior, qui cum promiſiſſet, non venerat, vide epiſt. 15. lib. 1. cuius extremum adſcribã. Quantum nos luſiſſemus, riſiſſemus, ſtuduiſſemus? Potes cœnare apparatius apud multos, nuſquam hilarius, ſimplicius, incautius. Experire: niſi poſtea alijs te potius excuſaueris, mihi ſemper excuſa. Idem epiſt. 12. lib. 3. cum Catilio Seuero cœnam expeditam, nempe non lon-

gam (ſic enim interpretor) & parcam paciſcitur; & quæ Socraticis tantum ſermonibus abundet.

XV. *Iocus ſub necem.*

CApitales dum ad mortem ducuntur, interdum ob animi perturbationẽ ſummam non ſatis vident quid, aut quàm tempeſtiuè loquantur; vt iocentur etiam nonnunquam. Exemplũ hoc eſto. Cum capitalis quidam ſubmergendus duceretur, turbaque puerorum, vt conſueuit, præcurreret occupandi loci ad ſpectandũ, inuicemque anteuertere niterentur, conuerſus ille; haud properato opus eſt filij, inquit: lentius itote. Quanquam enim ego tardius incedo, tamen ſine me præſente hæc tragœdia non agetur. Similis ille, qui per portam vrbis in crucem agendus egrediens, vocato cuſtode, quaſi arcanum quiddam dicturus, in aurem ita eſt locutus. Heus tu, hodie veſperi portam hora ſolita claudas licet, ne me exſpectes; nõ enim redeo. Ex Germ.

XVI. *Tyrannus deceptus.*

ANus Syracuſana, cum dijs pro Dionyſij tyranni diuturna vita preces faceret aſſiduas; interrogata ab eo fuit, cur ſola hoc ageret. Tum illa, *quia metuo, ne te extincto deterior tyrãnus ſuccedat.* Vetè παρὰ προσδοκίαν. Longè enim aliud exſpectabat, quo delectaretur. Tetigit hominẽ.

Accommodatè ad hoc reſponſum aniculæ ruſticulus ille, qui de Antigono rege viuo queſtus, cum obijſſet ſucceſſore peiore, terram laborioſè inuertens, & votorum iam pœnitens, Antigonum, inquit, refodio. Lipſ. Cent. 1. Miſcellan. epiſt. 4.

XVII. *Vitioſus orator.*

ORator quidam malus, cum in epilogo miſericordiam ſe mouiſſe putaret, poſtquam aſſedit, rogauit Catulum, videreturné miſericordiam mouiſſe? Ac magnam quidem, inquit Catulus. Neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua miſeranda viſa ſit. Cic. 2. de Orat.

XVIII. *Diſſimulatus intellectus.*

POntidius percunctanti, qualem exiſtimas qui in adulterio deprehenditur? tardum inquit. Cic. ibid. Qui interrogabat, ad magnitudinem ſceleris reſponſum expectabat. Alter autem interrogationem de fuga accipiebat. Sic Anacharſis ſciſcitanti quænam eſſet nauis ſecurior, ea, inquit, quæ in portum venerit.

XIX. *Opes ex adulatione.*

ARiſtippus ad magnas diuitias per Dionyſium tyrannum, cui adulabatur, peruenerat. Dicenti igitur Socrati, vnde tibi tam multa? reſpondit mox, & vnde tibi tam pauca? Cum eundem

potentia ſua inflatus Dionyſius forte ſputo reſperſiſſet, admirantibus patientiam, & ſubijcientibus, non ferendam adeò inſignem contumeliã, ſic occurrit. Si piſcator vt gobium capiat vndis aſpergi ſe patitur, cur non ego me cõſpui patiar, vt balænam accipiam? Agnoſcis aſſentatorem puto.

Germanum iſtis, quod refert Poggius. Dantes Florentinus aliquandiu Veronæ, liberalitate Canis de la Scala Principis ſuſtentatus eſt. Qui alebat alium quendam Florentinum ignobilem, indoctum, & nulli rei, præterquam iocis, & riſibus mouendis idoneum. Ita per Canem ad magnas diuitias peruenerat. Cum hunc vt belluam inſulſam Dantes vir doctus, ſapiens, modeſtus contemneret, Quomodo, inquit ille, tu, cum habearis doctiſſimus, tamen pauper & inops es; ego ſtultus, & indoctus diues ſum? Tum Dantes, quando reperero dominum mihi & moribus ſimilem, ſicut tu tuis, is ſimiliter me ditabit.

XX. *Rei nomen Sextusdecimus.*

NIcolaus Porcinarius Prætor admodum ſeuerus, tres cum torſiſſet eadem de cauſſa reos, adductuſque eſſet quartus ad funem, interrogauit quo is eſſet nomine; reſpõdit illico reus, ſibi nomen eſſe Sextodecimo. Dein ratus Nicolaus raritatem cum eſſet nominis, ſubdidit ille: A re ipſa, reique ipſius euentu nomen mihi hoc obtin-

obtingit, Prætor. Nam cum tres illi quaternatim, hoc eſt, duodecies funiculo ante me contorti ſint, nimirum ſextadecima mihi tortura obuenit. Quo quidem dicto delectatus ille, à ſupplicio temperauit. Iouianus de Serm. lib. 3.

Iratus admodum ſeruo captiuo Hegio ſenex in Captiuis, propter dolum & fallaciam, qua ab eo fuerat circumuentus, à lorarijs in latomias lapidarias deduci iubet, & addit.

Ibi cum octonos alij lapides effoderint,
Niſi quotidianum ſeſquiopus confeceris,
Sexcentoplago indetur nomen tibi.

XXI. *Cœna medica.*

DIverterat aliquando familiaris quidã meus peregrè iter faciens ad meritoriam. Appoſita eſt ei cœna omni ex parte olitoria; vinum itẽ dilutiſſimum: omnia demum adminiſtrata parciſſimè. Poſtquam igitur cœnauit, iuſſit ad ſe vocari medicum ad mercedem capiendam. Cum reſpondiſſet caupo, Ecquid (malum) in viculo maximè agreſti medicũ requiris? Ibi ille. Numne, ô bone, te ipſum ignoras? Quo ſit igitur merces operæ par, medici pretium accipe, non cauponis, quando vt ægrotum me pauiſti. Idem ibidem.

XXII. *In anum impudentem.*

PVella & modeſta, & catula, cùm à muliere

quadam iracunda, atque annoſa non ſolum amatoris, verùm etiam impudentibus inceſſeretur dictis, Quando, inquit, vt video, abundas annis, mulier, pudoriſque egena es admodum, te hortor, vt huiuſce ſumas aliquid aliunde mutuum. Idem ibid.

Iocus eſt Plautinus. Nam in Amphitruone Alcmenę maritus falſum affirmanti, quod tamē ipſa verum credebat, *quid illac impudente audacius? Saltem tute, ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.*

XXIII. *Aſtu penſata ſimplicitas.*

AMicum ob vxorem mortuam vt conſolaretur vicinus, dixit verborum circuitione, ſeu ἐυφημισμῷ, quàm molliſſimè; dolere ſe, coniugē eius in cœlum abijſſe. Tum alter callidè eadem figura ſermonis velut bene illi, & immortalitatem precans; faxit deus, vt tu nunquam in cœlum abeas. Ex German.

XXIV. *Legatio, & deliberatio.*

ROmanis Legatos tres in Bithyniam deligentibus, vnum podagricum, alterum cui foraminibus, & exciſionibus caput erat excauatum, (qui quondam ſaxo caput percuſſus, fœdas cicatrices præferebat. Appian. in Mithridaticis) tertium pro ſtolido habitum, irridens Cato, legationem

tionem à Romanis miſſam dicebat, quæ neque pedes, neque caput, neque cor haberet. De Achaicis exulibus à Scipione rogatu Polybij compellatus, cum multis res in ſenatu verbis ageretur, alijs reditum dantibus, alijs obſtantibus, ſurrexit, &, quaſi vero, ait, quod agamus deſit, ſedemus hic de ſenibus Græcis diſputantes totum diem, à noſtris ne, an ab Achaicis efferri debeant ſandapilarijs. Plut. in Caton.

XXV. *Dominorum interitus paraſitorum mors.*

MElanthius paraſitus interrogatus, quo pacto Phœreorum tyrannus, à quo paſcebatur, interfectus eſſet; gladio, inquit, per ventrem meum.

Paraſitus ex vi vocis dicitur, qui cibi gratia ſubſeruit, aut laborat. Ante omnes eum Homerus induxit, quem φίλον εἰλαπιναστὴν appellauit, amicum menſalem. Veteres paraſitos dixêre colacas, id eſt, adulatores. Eos Plautus in Capt. & alibi egregie nouit deſcribere. Auctor Plutarch. in Solone, quondam ſic dictos, qui publico victu in Prytaneo alerentur. Multa de his in Horis ſubſeciuis Lælius noſter Biſciola lib. 11. cap. 12.

XXVI. *Eraſmi Chriſtianus miles.*

DE libello Roterodami, quē inſcripſit Miles Chri-

Chriſtianus, quidam pronuntiauit, plus in illo conſpici ſanctimoniæ, quàm in auctore. Eius vanitatem, & ineptias riſi, cum in epiſtola quadam dolere ſe fatetur, non indidiſſe ſibimet nomen ἐράσμιος, id eſt, amabilis, quum primum ſcribere cœpiſſet, editisq́; libris innoteſcere. Quis enim vnquam, inquit, quenquam mortalium Amorem audiuit appellari, id quod Græcis ſonat ἐρασμός? Similiter reprehendendi ſunt, qui pro Ioanne ſeſe Ianos, pro Petro Pierios, Pomponios Lætos ſeſe nuncupari inſtituerunt: ſcilicet vt ſæculis vetuſtiſſimis vixiſſe videantur, & vel Iano ipſo, & Muſis, & propemodum ipſo Adamo antiquiores.

XXVII. *Homo pannoſus.*

SVmma, & aſperrima hyeme quidam villoſa, & craſſo filo contexta veſte indutus, & aduerſum frigora probè munitus, tenuiter, ac trita tunica veſtito, læto tamen, nec de frigore quidquam conquerenti occurrit. Quærit, cum tam malè ſit coopertus, quomodo non frigeat, cum ipſe à veſte longè inſtructior, adhuc tamen algeat. Reſpondet pannoſus, quia omnes veſtes meas mecum habeo, tu plures deſideras. Ex German.

XXVIII. *Vini pernicies abite lympha.*

Ingreſ-

INgreſſus quidam cauponulam vt biberet, allato vino cum aquam eidem diluẽdo ab ancillula cauponaria peteret, ſubiecit illa; nihil iſthac opus eſſe aqua: ſe heſterno die in ipſum vas hydriam aquæ plenam infudiſſe, ac proinde ſatis dilutum bibiturum. Ex German.

Quod tacitum oportebat, puella ſimplex & ἰδιωτὸς prodidit. Spurcum vinum Feſto aut aqua miſtũ, aut igne calefactum, aut muſtum antequã deferueſcat: vt ſit ſpurcare vinum, aqua infuſa vitiare. Tametſi Græcorũ vina legimus perfundi aqua ſolere ad lenitatem excitandã: ſed marina, & ſalſa. Auctor Plin. lib. 14. ca. 19. Græci prouerbio, ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ, perdidiſti vinũ aqua infuſa, de ijs, qui beneficia commodè collocata importune cõmemorantes, eorum gratiam perdunt: aut qui res præclarè geſtas paruulo aliquo errato dehoneſtant. Bud. in Pandect.

XXIX. *Mentis aberratio.*

VEhementer ęgrotos ex diminutione mentis aliena loqui haud mirum. Vicinus iam morti agricola inter cætera conſolationis verba ab amico audiebat, breui affuturos angelos, qui ipſũ in paradiſum deportarent. Sanè, inquit, bonum affers nuntium. Nam ſi eò iter foret longius, profectò pedibus conficere nequirem; adeò, quod tute vides, emaciatus, & defectus ſum viribus. Ex German.

XXX. *Auarus.*

OEnopola Chius alijs pretio vendebat vinum optimum, quæſtumque faciebat non modicum, ipſe acidum, & vappam ad vſum ſuum reſeruabat. Percunctabatur forte quiſpiam ſeruum eius, quare ab hero fugiſſet? audiuit, in bonorum copia eum quærere ſibi mala; id quod omnes ſordidi, & auari faciunt, quibus æquè deeſt quod habent, quàm quod non habent.

Hiſtoriam hanc refert Plutarch. lib. de Tranquillit. animi. Alciatus Emblem. 85. hoc genus hominum ſimile facit aſino, qui cum obſonia delicata tergo portet, ipſe interim carduis paſcitur. Verſiculos adnumero tibi.

Septitius populos inter ditiſſimus omnes,
Arua ſenex nullus quo magis ampla tenet:
Defraudans geniumq; ſuum, menſasq; paratas,
Nil præter betas, duraq; rapa vorat.
Cui ſimilem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
Anne aſino? ſic eſt: inſtar hic eius habet.
Namq; aſinus dorſo pretioſa obſonia geſtat,
Seq; rubo, aut dura carice pauper alit.

XXXI. *Bene pileatus, & nudipes.*

FActi ſunt obuiam inter ſe agreſtes duo, alter albenti pileo, eoque grandiore intectus ca-

put, alter nudatis pedibus, ac plantis. Atque hic quidem è veſtigio verbis in illum illatus, Quanti, inquit, fungulus iſte? pileum videlicet irridẽs. Ille ſublato ſtatim ſupercilio, conuerſis mox ad pedes eius oculis, reſpondit, Quanti calceoli tui, ac denariolo pluris. Statim omnes in riſum conuerſi ſumus. Iouian. de Serm. lib. 4.

XXXII. *Suo ipſius telo ictus.*

CVm ſtaret forte nobis è regione ſutor ſenex, & quidem ſordidus admodum ſenex, cui ad naſum pendebat pituita grãdiuſcula ſanè, ac pellucida, præteriens homullus diaculus, & ipſe pãnis tamen, atque annis obſitus, iocandique opportunitatem nactus, perpulchrum inquit, adamanta, & pretioſum. Tum alter, & annulo tuo dignum. Idem ibid.

Huiuſmodi adamantas à naſo, velut à tecti ſuggrundijs ex ſtillicidio, frigore concreto dependentes Martialis alicubi ſtirias vocat. *Turpis ab inuiſo pendebat ſtiria naſo.*

XXXIII. *Eiuſdem generis.*

TElum in ſe contortum, quomodo in auctorem retorſerit Iulius Cæſar, ex Suetonio audiamus, cap. 22. Socero igitur, generoque ſuffragantibus, ex omni prouinciarum copia, Gallias potiſſimùm elegit: cuius emolumento, & opportunitate idonea ſit materia triumphorum.

Et initio quidem Galliam Ciſalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per Senatum Comatam quoque; veritis Patribus, ne, ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperauit quin paucos poſt dies frequenti curia iactaret, inuitis, & gementibus aduerſarijs adeptum ſe quæ cōcupiſſet. Proinde ex eo ſe inſultaturum omnium capitibus. Ac negante quodam per contumeliam, facile hoc vlli fæminæ fore, reſpondit, quaſi alludens, in Aſſyria quoque regnaſſe Semiramin, magnamq; Aſiæ partem Amazonas tenuiſſe quondam.

De hac fæmina, Nini regis Aſſyriorum vxore, quomodo ſimulato ſexu virili ad regnum peruenerit, eiuſque fines protulerit, & res magnas geſſerit, Iuſtinus principio lib. 1. Idem de Amazonum origine, incrementis, facinoribus, libro 2.

XXXIV. *Pecunia deſpecta, & iocus ex verbo.*

ARiſtippus perdicem emi iuſſit drachmis L. Luxuriam grauiter ferenti reſpondit, tu iſtā obolo non emeres? Annuenti; mihi verò, inquit, 50. drachmæ pro obolo ſunt. Idem cum propoſitum ænigma vrgeretur ſoluere. Quid, ô ſtolide, vis me ſoluere, inquit, quod etiam ligatum exhibet nobis negotium? Laert. lib. 2.

XXXV. *Capillorum, & barbæ diſsidium.*

PAulus III. Pont. Anconæ cum verſaretur, audiretque illic adeſſe proxenetam quendam Senenſem, virum intelligentem, &, vt putabatur, ſupra omnes ætatis ſuæ perſpicacem, eum, vt qui talibus ingenijs delectaretur, ad ſe acciri iuſſit. Poſt aliquantum colloquium, voluit Pontifex eiuſdem annos cognoſcere. Vnum & ſexageſimum ſum natus, inquit. Hîc cum Pontifex dubitare videretur, nudauit ille caput, & canos ſuos oſtentauit. Admirans Papa quomodo non barba incanuiſſet, ſed vix quadragenarium demonſtraret, audiuit; ne admireris, Pater ſancte, quandoquidem capilli amplius viginti annos barba ſeniores ſunt. Ex Italico.

XXXVI. *Epitaphium bibonis.*

ROmæ extra portam Capenam in potatorem inſignem fertur extare hoc epitaphium, eo dignum profectò.

Heus, hîc ſitus eſt Offellius Bubalus
Bibulus: qui dum vixit, aut bibit, aut minxit.

Tale eſt Simonidæ in Timocreontem poëtam, & athletam, comedonem, & potatorem nobilem, Anthol.3. Ipſe loquitur.

Πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
Ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

Multa vorans, multumq́; bibens, & plurima in-
omnes
Probra vomens, iaceo Timocreon Rhodius.

Habet Venerem & hoc Hippolyti Capilupi.

Dum vixi, ſine fine bibi. Sic imbrifer arcus,
Sic tellus pluuias ſole peruſta bibit.
Sic bibit aſſiduò fontes, & flumina pontus;
Sic ſemper ſitiens ſol maris haurit aquas.
Ne te igitur iactes plus me, Silene, bibiſſe:
Et mihi da victas tu quoq́;, Bacche, manus.

XXXVII. *Deluſa fatuitas.*

C Caligula Imp. ſibi exquiſita fieri ſacrificia mandauit: ſe ab ipſa Victoria coronatum eſſe; & lunam in ſuos complexus deſcendere, ſeque cum Ioue ſecreta miſcere colloquia affirmauit. Id cum amici cuiuſdam teſtimonio vellet comprobari, ille homini pulchre os ſubleuit. An neſcis, inquit, à nobis mortalibus veſtra, qui dij eſtis, geſta videri non licere? Sueton. cap. 22. Xiphilinus.

XXXVIII. *Laqueo ſuo irretitus.*

CVm Alexander Lampſacum deleturus videret ad ſe accedere Anaximenem philoſophum pro patria rogaturum, iurauit ſe non facturum

ſtatū quod peteret. Tum ille petit deleri Lampſacum. Sic regi religionem iniecit, ne faceret quod ſtatuerat. Pauſan. lib. 6.

XXXIX. *Verborum portenta conſectantes.*

CVm audiſſet Eraſmus docentem Baptiſtam Pium, cuius oratio monſtroſa, & inuſitatis verbis referta, interrogatus ab amico, quid iudicaret, reſpondit, longè vicit opinionem meam. Quî nam? ſubiecit ille. Quia, inquit, antea ineptum eſſe iudicaui: nunc prorſus inſanum eſſe comperio.

De hoc Iouius in Elogijs. Exoleta enim, & rancida vetuſtatis vocabula delectu inſano ſectabatur, admirante quidem diſcipulorum inſcia turba, quum plane à non inſulſiſſimis irrideretur. Siquidem eius ſermo, ſtylusque Oſcorum, & Aborigenum linguam pingui, atque aſpera nouitate referebant, quam nonnulli laſciuè ludentes diſcere percuperent, &c. Huius militiæ ſunt hodie, qui conſectantur verba priſca, obſoleta, inuſitata, *Attius & quidquid, Pacuuiusq; vomunt.*

XL. *Conuicium bellè regeſtum.*

AD Demadem exclamantem, Demoſthenes me corrigere vult, nēpe ſus Mineruā. At iſta,

inquit, Minerua priore anno in adulterio deprehenſa eſt. Plutarch. de ciuili inſtitut.

XLI. *Verbi reprehenſor.*

PHauorinus philoſophus cum verbum quoddam eius Adrian. Imp. reprehenderet, ceſſit. Arguentibus autem amicis quod malè cederet in verbo, quod idonei auctores vſurpaſſent, riſum iucundiſſimum mouit; ait enim: non rectè ſuadetis familiares, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere, qui habet x x x. legiones. Spartian. Crinit. lib. 12. cap. 11. addit ſimile. Nam cum in Pollionem Aſinium Feſcenninos Auguſtus ſcriberet; at ego taceo, inquit Pollio: non enim facile eſt in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere. Relatum prius à Macrobio lib. 2. cap. 4.

XLII. *Altile non bene aſſum.*

INuitatus Franciſcus Pudericus ad prandium, cum appoſita eſſet altilis non bene aſſa, conuerſus ad eum qui pullum deartuabat, importunè, inquit, accubuimus: neque enim ad prandium vocati, ſed ad cœnam fuimus. Iouian. de Serm. lib. 4. Ad cœnam quippe propter ſpatium temporis aſſari commodius potuiſſet pullus ille.

XLIII. *Senis in ſenem.*

Craſ-

CRaſſus in Parthos proficiſcens, ad Deiotarum in Bithyniam diuertit, nouam tunc vrbem ædificantem. Itaque in eum ludens, quod eſſet ſenectute iam cõfectus, duodecima, inquit, diei hora nouam vrbem ædificare aggrederis? Ad quæ Deiotarus renidens (nam & Craſſus erat ſexagenario maior, eo autem aſpectu, vt etiã maioris ætatis videretur) nec tu, reſpondit, ô Craſſe, ſatis matutinus in Parthos proficiſceris. Vterque perquam familiariter, ac iucundè; neque vt laceſſerent, verùm vt iocarentur, Plutarch. in Craſſo. Appian. in Parthicis.

Duodecima hora intelligẽda eſt diei vltima. Etenim ſolaria apud antiquos in horas tam diei, quàm noctis temporales, non æquinoctiales diuiſa proponebantur, vt ſinguli dies noctesq; horis continerẽtur duodecim. Vnde apud Coſmographos horam ſextam pro meridie poſitam inuenies. Sic apud Plin. lib. 2. hora vndecima eſt, quæ nũc diceretur tertia & vigeſima. Ex hac porrò historia concinnari adagiũ poteſt, vt quiſquis Acherontius, vt ille ait, & in peculio Proſerpinæ iamiam connumerandus quid magnificũ, & præcellens ſtruit, duodecima hora illum ædificare dictitemus; vt qui iam ad vitæ finem peruenerit, de futuro tamẽ multa pergat ſibi polliceri: etiamſi diuerticulo vti eodem poteſt, quo agricolæ veteres, qui interrogati quibus ſererent, reſpondebant, dijs immortalibus. Ex Rhodigin. lib. 12. cap. 9.

XLIV. *Ira, & offenſio dictis mitigata.*

CAuendum in iocis, ac facetijs, ne quid acerbius, aut petulantius in Principes potiſſimũ iaciatur. Quorum indignatio interdum lepidiore dicto deſiniit, idemq; pro ſolutione argumenti eſt. Cum animaduertiſſet Auguſtus equitẽ Romanum bibere in ſpectaculis præter morem, dignitatemque eius ordinis, miſiſſetque ad eum, qui ſub obiurgationis ſpecie diceret, ego ſi prandere velim, domum iuerim: tum ille reſpondit perquam modeſtè, & ingenuè; nequaquam Auguſtum timere, locum in orcheſtra ſi reliquerit, illum ne non recuperet. Quo reſponſo & minax Auguſti dictum facetè diluit; & Principis à ſe iram per iucunditatem auertit, habita & loci, & temporis, & perſonarum ratione. Tarentini iuuenes, cum conuicti eſſent, quod multa inter cœnandum licentius de rege Pyrrho locuti eſſent, ratioque maledictorum repoſceretur, tum vnum ex ijs iocabundum dixiſſe, nunquid, ô Pyrrhe rex, hoc mirare, & quereris? Per Herculem, ipſa te in cœna confeciſſemus, ni lagena nos deſtituiſſet. Quo dicto, vt & vrbano, & ingenuo profecto ab homine, omnis è veſtigio ira diſſoluta eſt. Auctores Plut. in vita, Valer. lib 5. cap. 1. Quintil. lib. 6. cap. 3. Accuſatus iuuenis quiſpiam, quod in menſa intemperantiùs locutus eſſet aduerſus ſacerdotem, vocatuſq; ob id

in iu-

In iudicium, atque interrogatus à iudicibus; ſi eodem, reſpondit, pacto rurſus in cœna me inuitauero, vel duodecim quoque Apoſtolos inſectabor fuſtibus. Statimque inter iudices exorto riſu, cognitoque vini vitio, ab illis abſolutus eſt; pœna tamen à ſacerdote irrogata, vti quatriduo vino abſtineret. Iouian.lib.5.

XLV. *Spretæ ſecundæ nuptiæ.*

AVrelia Iouiani filia amiſſo Paulo marito, cum à patre ad alterum virum, torúmque hortaretur ſecundum, Cur tu, pater, inquit, non ſecundas nuptias inis? Quía, reſpondit, nullam matri tuæ ſimilem me reperturum ſpero. Id ipſum, occurrit illa, me retinet, pater, quod mihi placiturum Paulo æquè ſimilem adepturam ſperem neminem. Hæc & ſimilia reſponſa quãuis riſum non, afferunt tamen approbationem. Idem ibid.

Germanum huic filiæ Catonis. Cum ei propinquus quidam ſecũdas nuptias ſuaderet, quód eſſet ætate integra, & facie bona, nequaquam inquit. Nam ſi bonum maritum inuenero, vt antè habui, nolo timere, ne amittam: ſi malum, quid neceſſe eſt poſt bonum perferre peſſimum? Valeria ſoror Meſſallarum poſt obitum mariti nubere amplius noluit, cauſſam addidit, ſibi maritum ſuum ſemper viuere.

XLVI. *Bellè repercuſſum.*

IN Philopœmenem Achæorum ducem cum iocaretur aliquando Titus Flaminius, deformitati corporis eius illudens, diceretq; vultu quam maximè iocoſo & hilari, Quid hoc, Philopœmẽ, cum pulchras manus, crura etiam perquam pulchra habeas, quod ventrem non habes? Ad ea Philopœmen eadem eum hilaritate, & vultu, Quid, ô Romanorum Imp. eximie, cum egregios pedites, ſtrenuos maximè equites habeas, quod pecuniam minimè habes? Nam & Flaminius inopia rei pecuniariæ perſæpe laborabat, quemadmodum Philopœmenes exiguitate ventris, ac medij corporis gracilitate. Idem lib. 6.

XLVII. *Luculli cœnæ.*

CVm diſpenſator rei familiaris ab eo accuſaretur, quod parciorem paraſſet cœnam, & ille reſpondiſſet, quòd ſolus quidem cœnaturus eſſes, non putabam lautiore apparatu opus fore. Ibi ipſe vultu quàm maximè feſtiuo, an ignorabas apud Lucullum ipſum cœnaturum eſſe Lucullum? Plutarch. in Lucullo, vbi & hæc. Nouum genus diuitiarum in quotidianis cœnis Lucullus oſtentabat, non modò veſte ſtragula purpurea, poculis gemmatis, choris, & cãtilenis, ſed & omnibus generibus ciborum, cupediarumq; ſummo artificio apparatarum varietate illiberalium excitans æmulationem.

Adno-

Adnotatum in Græcis auctoribus, Democraticam vocari menſam, quæ ſumptu modico plures alat, cuiuſmodi fuit Athenienſis Cimonis. Satrapicam verò, quæ impenſa nimia ὀλίγους τρυφῶντας, id eſt, paucos admittat, delicijs diffluentes, qualis viſebatur Lucullea: vnde illud Catonis in adoleſcentem, πλουτῶν ὡς κράσσος, ζῶν ὡς λύκουλλος, λέγων ὡς κάτων. Diues vt Craſſus; viuens (in luxu) vt Lucullus, dicens, ſeu loquens vt Cato. Rhodigin. lib. 7. cap. 11. Ad temperantiam tamen in victu ſeruandam, idem Lucullus hanc de ſe præfecturam ſeruo dabat; vltimoque probro maius, in cibis triumphalibus ſedenti dicebatur, vel in capitolio epulanti, pudenda re, ſeruo ſuo facilius parere quàm ſibi. Idem lib. 30. cap. 13. Temperantiæ veterum Romanorum complura exempla ponens Athenæus li. 6. Lucullum primum poſt victos Mithridatem, & Tigranem, induxiſſe luxum confirmat.

XLVIII. *Sorices.*

CVm Catonem quidam conſuleret, quid oſtenti eſſet, quod ſorices noctu caligas arroſiſſent: reſpondit, non eſſe oſtentum, ſi ſorices caligas abrodant: ſed ſi caligæ ſorices ipſos abroſiſſent. Salsè ſuperſtitioſum riſit.

XLIX. *Tardiùs è lecto ſurgens.*

NObilis adoleſcens vrbanioris ingenij ad-

imodum ſerò è cubitu ſurgere conſueuerat. Eam tarditatem ſocijs culpantibus reſpondit, ſe duas mulieres quotidie ad ſe venientes, & coram ſe litigantes auſcultare, Sollicitudinem, & Pigritiam. Illam hortari ad ſurgendum, & ad res agendas, tempusque bene ponendum: hanc increpare illam, atque ad diutius quieſcendum, & in lecto propter frigus manendum incitare, ac dicere, non ſemper vacandum laboribus. Contrà Sollicitudinem aduerſariã confutare, & cauſſam ſuam argumentis roborare. Cum itaq; diutius contendere inter ſe, & diſputare ſoleãt, ſe vt iudicem vtramq; partem audire, & dum ipſis cõueniat, in lecto cubantem morari. Eò fieri, vt ſeriùs ſurgat, quia finem litis exſpectet. Poggius.

Hac tam ſcita purgatione vtantur licet ſcholaſtici noſtri apud magiſtrum, ſi ſomno altiore diutius, quàm ſtudiorũ, & ſcholæ rationes patiebantur, detenti tardiùs aduentarint: controuerſantes ſcilicet haſce mulieres audire debuiſſe.

L. *Vinum vafrè negatum.*

ERat Peruſino cuidam doliolum vini lectiſſimi. Cum ciuis eius puerum cum vaſe grandiore ad eum eius copiam petitum miſiſſet, ille ſumpto in manus vaſe, atque ad nates admoto, Ohe, inquit, iſtuc vas admodum fœtet. Nunquam huic vinum meum tam nobile commiſero. Vacuum reporta domum ad herum tuum, ſicut vacuum attuliſti. Poggius.

LI. *Com-*

LI. *Compotoris lepos.*

CIuis Senenſis Romæ ab honeſto ciue, æſtuante cœlo ad ſimul bibendum cum pluribus inuitatus, cum vnicuique, vt moris eſt, ante potum fruſtillũ panis fuiſſet præbitum, ne quid cruditatis hauſtus pareret, nullo ſubſtrato fundamento; alijque panẽ illum comederent, ſolus ipſe ſuum ſeruare, & ad os ſæpius admotum non edere. Cauſſam rogatus cur non ederet, ridens, inuitatori, hic tuus panis, inquit, vltra omnes, quos viderim reuerens, ac modeſtus eſt. Nam cùm ſæpius illum ad os admouerim, nullo pacto efficere potui, vt vinum præire vellet. Docuit non ſemper cibi aliquid, in magna ſiti præſertim, antecedere potum oportere. Idem.

LII. *Adriani iocus balnearis.*

PVblicè frequenter, & cum omnibus lauit, ex quo ille iocus balnearis innotuit. Nam cùm quodam tempore veteranum quendam notum ſibi in militia, dorſum, & cæteram partem corporis vidiſſet atterere, ſeu affricare, percunctatus cur ſe marmoribus deſtringendum daret; vbi audiuit hoc idcirco fieri, quod ſeruum non haberet, & ſeruis eum donauit, & ſumptibus. Verùm alio die cum plures ſenes ad prouocandam liberalitatem Principis pariter & ſe attererent, euocari eos iuſſit, & alium ab alio inuicem defricari, Spartian.

LIII. *Eiuſ-*

LIII. *Eiuſdem in petitorem.*

CVm cuidam caneſcenti quiddã negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite, reſpondit, iam hoc patri tuo negaui. Spartian.

Capillum canum hic petitor nigro tinxit, vt alius, & iunior videretur. Facetè igitur nunc prioris filium vocat, qui idem erat.

EPIGRAMMATA.

EX ANTHOLOGIA.

In vehementer naſatos, ſeu naſones.

THEODORI.

HErmocrates naſi: quoniam ſi dixero naſus
Hermocratis, paruis grandia do nimium.

TRAIANI CÆSARIS.

SI ſoli opponas naſum, deinde ore dehiſcas,
Oſtendes horas non malè præteritas,

Naſus quippe tuus erit pro gnomone, dentes pro notis numerorum, ſuperioris inquam ordinis, vt ab extremo à ſiniſtra incipias numerare.

INCERTI.

CAſtoris eſt naſus fodiendis commodus aruis,
Ad meſſem falx eſt, inq́ſopore tuba eſt.
Anchora nauigijs ſpargenti ſemina vomer,
Piſcatori hamus, fuſcina multiuoris.
Lintribus eſt ſcalprum, viti nec inutile ferrum,
Aſcia item fabris, cardo etiam foribus,

Vſq; adeo Caſtor ſibi vas eſt utile adeptus,
Naſus ei ad quoduis nam bene ſeruit opus.

AMMIANI.

HAud manibus Proclus potis eſt emungere naſum;
Nam Procli naſus longior eſt manibus.
Sternutando Iouem nunquã vocat: auribus iſtum
Tam procul à naſo non capit ille ſonum.

Sternutamentum, inquit Ariſtot. Problem. ſect. 33. q. 9. bene caput valere, poſſeque concoquere indicio eſt. Cum enim capitis calor humorem, ſpiritumvè conuincit, tunc moueri ſternutamẽtum conſueuit. Quare moribundos interdum ſternutatorio excitamus, tanquã, ſi hoc affici nequeant, ſpes nulla ſalutis ſit. Perinde igitur quaſi bonæ indicium valetudinis partis optimæ, atque ſacerrimæ, ſternutamentum adorant, beneq́ue augurantur. Hæc ille. Ex quibus patet falſitas opinionis vulgaris, à quodam genere peſtilẽtiæ, qua ſternutantes illico interirent, conſuetudinem illis bene precandi introductam, quod & Brodæus Anthol. 2. tit. εἰς λεπτοὺς annotauit.

Et quoniam audiſti iocantes in naſos ſeſquipedales: nunc contra facetè ludentem audi M. Antonium Muretum in naſum minutiſſimum.

Exiguum ſi quis naſum vidiſſe laborat,
Paulum adeat, Paulo ſi modò naſus ineſt.
Non etenim eſt naſus: ſed pars centeſima naſi,
Et quo quis viſo dicere poſſit, vbi eſt?

Talis

LIII. *Eiuſdem in petitorem.*

CVm cuidam caneſcenti quiddã negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite, reſpondit, iam hoc patri tuo negaui. Spartian.

Capillum canum hic petitor nigro tinxit, vt alius, & iunior videretur. Facetè igitur nunc prioris filium vocat, qui idem erat.

EPIGRAMMATA,

EX ANTHOLOGIA.

In vehementer naſatos, ſeu naſones.

THEODORI.

HErmocrates naſi: quoniam ſi dixero naſus
Hermocratis, paruis grandia do nimium.

TRAIANI CÆSARIS.

SI ſoli opponas naſum, deinde ore dehiſcas,
Oſtendes horas non malè prateritas,

Naſus quippe tuus erit pro gnomone, dentes pro notis numerorum, ſuperioris inquam ordinis, vt ab extremo à ſiniſtra incipias numerare.

INCERTI.

CAſtoris eſt naſus fodiendis commodus aruis,
Ad meſſem falx eſt, inq́; ſopore tuba eſt.
Anchora nauigijs ſpargenti ſemina vomer,
Piſcatori hamus, fuſcina multiuoris.
Lintribus eſt ſcalprum, viti nec inutile ferrum,
Aſcia item fabris, cardo etiam foribus.

Vſq; adeo Caſtor ſibi vas eſt vtile adeptus,
Naſus ei ad quoduis nam bene ſeruit opus.

AMMIANI.

HAud manibus Proclus potis eſt emungere naſum;
Nam Procli naſus longior eſt manibus.
Sternutando Iouem nunquã vocat: auribus iſtum
Tam procul à naſo non capit ille ſonum.

Sternutamentum, inquit Ariſtot. Problem. ſect. 33. q. 9. bene caput valere, poſſeque concoquere indicio eſt. Cum enim capitis calor humorem, ſpiritumvé conuincit, tunc moueri ſternutamẽtum conſueuit. Quare moribundos interdum ſternutatorio excitamus, tanquã, ſi hoc affici nequeant, ſpes nulla ſalutis ſit. Perinde igitur quaſi bonæ indicium valetudinis partis optimæ, atque ſacerrimæ, ſternutamentum adorant, beneque augurantur. Hæc ille. Ex quibus patet falſitas opinionis vulgaris, à quodam genere peſtilẽtiæ, qua ſternutantes illico interirent, conſuetudinem illis bene precandi introductam, quod & Brodæus Anthol. 2. tit. εἰς Λειοδεῖς annotauit.

Et quoniam audiſti iocantes in naſos ſeſquipedales: nunc contra facetè ludentem audi M. Antonium Muretum in naſum minutiſſimum.

Exiguum ſi quis naſum vidiſſe laborat,
Paulum adeat, Paulo ſi modò naſus ineſt.
Non etenim eſt naſus: ſed pars centeſima naſi,
Et quo quis viſo dicere poſſit, vbi eſt?

Talis

Talis ineſt naſus muſcis: ſed & his quoq; maior,
Et melius naſi nomine dignus ineſt.
Quàm quæ per radios volitant corpuſcula ſolis,
Maiorem naſum vix puto Paulus habet.

In Pythagoram.

LAERTII.

NOs quoq; non ſolus tu animatis abſtinuiſti.
Quis viuum abſumpſit? dic mihi Panthoide.
Nam cum quid coctum eſt, cum eſt aſſum, cumq; ſalitum,
Tunc anima caſſum eſt, tum quoq; nos edimus.

Cur Pythagoras carnium eſum interdixerit, & animalia mactari ob eam cauſſam prohibuerit, norunt mediocriter eruditi. Tranſmigrare animas hominum in pecudes ſtultus ſomniabat, cũ eas immortales crederet, & inferos tolleret. Multa de hoc 15. Metamorph. Ouid.

In medicum imperitum.

AGAHTIÆ.

MIttebat medicus natum mihi forte docendum,
Formandum & primis Grammaticæ ſtudiis.
Qui mox vt didicit magni tria carmina Homeri,
A quibus exorſus eſt opus ille ſuum:
MVSA *iram canito Pelidæ docta ſuperbi,*
Arigiûum caſtris quæ mala multa dedit,
Egregiaſq; animas heroum ad tartara miſit:
Ecce ſuum gnatum detinet ille domi.

Dein

Drin me conſpecto, grates ago, dixit, amice:
Commodius natum hoc ipſe docere queo.
Namq; ego non paucas animas ad tartara miſi.
Hic mihi Grammatici nil opus eſt opera.

In perpuſillos, & macros.

LVCILLII.

EXatomis Epicurus ait conſiſtere mundum,
Alcime, quippe quibus nil minus eſſe putat.
Si tunc vixiſſet Diophantus, is ex Diophanto
Ipſas dixiſſet progenitas atomos.

EIVSDEM.

CHaremum tenuem raptauit in aëra ventus,
Nam palea leuior totus homillus erat.
Quem cœlo iactauiſſet, ſed ſtamine arachnes
Implicitus ſummo triſte pependit onus.
Quinq; miſer durans ſic penſilis ille diebus,
Cum tela ſexto decidit inde die.

EIVSDEM.

CVm macer optaret ſuſpendere ſe Diophantus,
Collo aptat filum de trabe araneoli.

EIVSDEM.

COmpoſitum vento geſtans vmbratile corpus,
Ne quenquam propius ſuadeo adire velis:
Ne quis dum ſpirat raptat te naribus intro,
Exſuperas auras qui leuitate tua.
Nil eſt quod mortem metuas: quia ſtamine rupto,
Spectro ſemper eris, vt modò, perſimilis.

AMMI-

AMMIANI.

PArvum Macronem ſopitum æſtate retraxit
In caua paruus mus, hunc pede corripiens.
Qui cum experrectus murem iugulaſſet in antro,
Exclamat diuos, alterum hic Herculem habet.

LVCILLII.

AVſus formica nanus conſcendere tergum,
Credebat domito ſeſe elephante vehi.
At verò vt curſu fertur nimis ille ſuperbo,
Infœlix media præcipitatur humo;
Calcatusq; miſer, Quid rides, inuide, caſum
Dixit, communem cum Phaëtonte mihi?

Plin. lib. 11. cap. 49. Pumilionum genus in omnibus animalibus eſt, atque etiam inter volucres.

In poëtam, & chirurgum malos.

LVCILLII.

DEucalionais non tot periere ſub vndis,
Nec flammis, Phaëthon, tot periere tuis,
Quot Potamon homines irato Helicone poëta,
Aut quot chirurgus perdidit Hermogenes.
Quattuor hæc igitur ceciderunt heu mala mundo,
Deucalion, Phaëthon, Hermogenes, Potamon.

In Rhetorem ſolœcizantem.

ABBIANI.

QVinq; ſolœciſmis donaui rhetora Flaccum,
Millenos ſubitò reddidit ille mihi.

Atq; ait: hos paucos tibi nunc contentus habeto,
In Cyprum veniens ſaxo habeas modium.

In poëtam malum, ſeu poëtaſtrum.

POLLIANI.

SVnt Furiæ & Muſis, quæ te fecere poëtam.
Hinc ſine iudicio carmina multa facis.
Plura ergo ede poëmata, quando precari
Maiorem hac nequeo, more, tibi maniam.

NICARHI.

NEctere heri laqueũ cupiens Dinarchas auarus,
Glauce, ob ſex obolos nectere permetuit.
Sex obolis laqueus conſtabat: ſed dare nolens
Quærit mortem aliam, vt vilius intereat.
O malam auaritiam: qui morte perire volebat,
Glauce, ob ſex obolos morte perire timet.

In auarum.

INCERTI.

MVlorum inſtar agit, theſauros Artemidorus
Dum ipſe ſuos reputat, promit & inde nihil,
Auri ſæpe gerunt ingentia pondera dorſo
Muli, ſed ſiccum non niſi gramen edunt.

In inuidum.

LVCILLII.

CVm magis excelſa Diophon ſocium in cruce fixum
Cerneret, inuidia diſcruciatus obit.

In Marcum pigrum.

INCERTI.

IN ſomnis piger eſt viſus ſibi currere Marcus.
Abſtinet hinc ſomno, curre dum metuit.

In bene barbatum philoſophum.

PALLADÆ.

SI promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat.
Barbatus poßit quin caper eſſe Plato?

In anum ebrioſam epitaph.

INCERTI.

MOrtas anus, quæ tot duxi dum vita manebat.
Ad ſacros Bacchi pocula plena lacus,
Puluere non condor, tumuli vice ſuaue peractæ
Vitæ argumentum doliolum impoſitum.

In pictorem, qui Phaëthontem, & Deucalionem male pinxerat.

LEONIDÆ.

DEucalion abs te, Phaëthonq; Meneſtrate, pict⁹
Quo nam ſit pretio dignus vterq; rogas?
Rebus vtrumq; ſuis dignabimur: ille ſub vndas
Mergendus, Phaëthon igne cremandus erit.

In malum pictorem.

EIVSDEM.

HÆc tua quam nuper pinxit Diodorus imago,
Cuiusuis magis eſt quàm tua, Menodote.

In Aſtrologum.

LVCILLII.

SÆpe patri frater quod debeat eſſe ſuperſtes,
Hoc velut vno omnes aſtrologi ore canunt.
Aſt Hermoclides obiturum præ patre ſolus
Dixit: ſed dixit poſtquam obijſſe videt.

In anum vinoſam.

INCERTI.

QVadam anus exitiũ vini, cum aliquando doleret,
Diuino fecit talia vota Ioui.
Si Phlegethontiacæ ardorem vitauero febris,
In centum ſoles ros mihi potus erit.
Poſtquam autem euaſit morbi ſuperabile fatum,
Luce eadem tales eſt fabricata dolos.
Arripuit cribrum pertuſum, & vidit apertè
Tot ſoles quot erat pollicitata Ioui.

EX LATINIS RECENTIORIBVS.

In Aſtrologum.

MORI.

NOn Cumæa ſacro vates correpta furore,
Certius afflata mente futura videt,
Quam meus aſtrologus diuina clarus in arte,
Præuidet inſpecto ſidere præterita.

In eundem.

MORI.

SÆpe ſuam inſpectis vxorem Candidus aſtris,
Prædicat, vt vates, omnibus, eſſe bonam.
Inſpectis iterum, poſtquam vxor adultera fugit,
Prædicit vates omnibus, eſſe malam.

In Nicolaum indoctum medicum.

MORI.

NVnc video haud rerum tantùm, ſed & ipſa virorum
Nomina non temere, ſed ratione dari.
Nicoleos nomen medici eſt: quî conuenit? inquis,
Hoc potius nomen debuit eſſe ducis.
Dux populos armis vincit: ſed & iſte venenis
Et populum, & fortes ſternit vbiq; duces.
Sæpe ducem bello repetunt: his nemo rebellat
Huic medico: vero eſt nomine Nicoleos.

Nicolaus, & ἀττικῶς νικόλεως, eſt victor populi. Qui ergo tam multos malè medendo ad mortem dat, nunquid falsò dicetur Nicoleos?

In furem, & patronum.

MORI.

DVm furti metuit damnari Clepticus, amplo
Non ſine conſuluit mune cauſidicum.
Hic vbi ſæpe, diuq; immenſa volumina verſat,
Spero, ait, effugies, Cleptice, ſi fugies.

Epitaphium in Abyngdonium cantorem.

MORI.

HIc iacet Henricus, ſemper pietatis amicus,
Nomen Abyngdon erat, ſi quis ſua nomina quærat.
VVellis hic eccleſia fuerat ſuccentor in alma,

Regis & in bella cantor fuit ipſe capella.
Millibus in mille cantor fuit optimus ille.
Præter hæc & iſta fuit optimus orgaq;niſta.
Nunc igitur Chriſte quoniam tibi ſeruijt iſte
Semper in orbe ſoli, da ſibi regna poli.

Verſus leonini ſunt. Nominis cauſſam ignorare ſe fatetur Iul. Scaliger Poëtices lib. 2. cap. 29. Nam ab animante ſic appellari eſt prorſus incredibile, cum eius cauda ventri nec par, nec ſimilis ſit, quomodo in his extremũ aſſonat medio. Fuit hæc poëſis quondam adeo accepta, vt nihil ferè niſi ad iſtum modum carmine ſcriberetur. In poëticis meis Inſtitutionibus lib. 2. ca. 10. de iſtoc vitio pluribus diſſerui.

In quendam cui mala vxor.

MORI.

VXor, amice, tibi eſt ſemper mala: quum male tractas
Fit peior: ſed fit peſſima quando bene.
Sed bona ſi moriatur erit: melior tamen id ſi
Te faciat viuo: aſt optima ſi propere.

In malum pictorem.

MORI.

CVm cane ſit pictus lepus eſt, vt dicere nemo
Eſſet vterue canis poſſet, vterue lepus.
Pictor vbi hoc didicit, quod inerti defuit arti,
Suppleuit miro callidus ingenio.

Res vt aperta foret, longeq́ facesſeret error,
Subſcripſit tantum, eſt hic canis, iſte lepus.

In Fuſcum potorem.

MORI.

POtando medicus periturus dixit ocellos
Fuſco: qui cum ſe conſuluiſſet, ait.
Perdere dulcius eſt potando, quàm vt mea ſeruem
Erodenda pigris lumina vermiculis.

In alium.

MORI.

PErdis, ait Fuſco medicus tua lumina vino,
Conſultat ſecum quid velit ergo ſequi.
Sidera, terra, fretumq́, ſolent quæcunq́ videri
Omnia ſunt, inquit, viſa reuiſa mihi.
Multa mihi ſed vina tamen guſtanda ſuperſunt,
Multa refert annus quum noua muſta nouus.
Iam certus, firmusq́, valebitis, inquit, ocelli:
Quando ſatis vidi, non ſatis vſq́ bibi.

In German. Brixium, qui hendecaſyllabum tredecim ſyllabarum fecerat.

MORI.

QVod verſus adeo faceres enormiter amplos,
Quàm nemo antiquus, nemo poëta nouus:
Sæpe diu mecum miratus quærere cœpi,
Accidit hoc Brixi qua ratione tibi.
At tandem didici, metiri te tua ſuetum
Non numero, aut pedibus carmina, ſed cubitis.

In

In poëtam improbum.

MVRETI.

AVrea non vana iactas tua carmina voce,
Purgari ſolo nempe quod igne queant.

Χρυσᾶ ἔπη, Aurea carmina inſcribuntur Pythagoræ verſus Parænetici. Meritò. Latiſſimè autem ſuperiore ſæculo regnauit, & hoc regnat iſtoc verbi, multaque ſcripta nominantur aurea, & libri aurei, quos inauratos oportebat potius dicere; quod decus à bibliopegis adipiſcuntur.

In Corellium ſemper inopem.

EIVSDEM.

SVtor es, & piſtor, lanius, lenoq́ue, cocusq́ue,
Mercatorq́ue bonus, cauſidicusq́ue bonus.
Te tamen in tota non eſt mendicior vrbe,
Nec quem paupertas arctius agra premat.
Dic agedum, quî ſit (nam res eſt mira Corelli)
Cum tot res facias, rem facere vt nequeas?

In Pontilianum poëtam bibonem.

EIVSDEM.

CVr tua vix vnquam ſint ſalſa epigrammata quæris?
Diluis hæc nimio, Pontiliane, mero.

De cuiusdam ſtupenda memoria.

EIVSDEM.

ESſe aliquam ſi quis memorandi perneget artē,
Hoc qui confirmet Lucius vnus erit.
Ille etenim nuper curaq́; adiutus, & arte
Tres verſus totidem noctibus edidicit.

Decoctoris iocus.

SABINI.

CVm ſua decoctor ſubeuntem limina furem
Quærere ſperatas nocte videret opes:
Nocte quid in noſtris circumſpicis ædibus? inquit,
Hic ego nil media cernere luce queo.

Huiuſcemodi aſotis, & decoctoribus Luxuria apud Plautum in Prologo Trinummi filiam ſuam deſpondet Inopiam.

Adoleſcens quidam eſt (Lesbonicus) qui habitat in hiſce ædibus.
Is rem paternam me adiutrice perdidit.
Quoniam ei quî me aleret nihil video eſſe reliquum,
Dedi meam gnatam, qui cum ætatem exigat.

De quodam auariſſimo.

CLAVD. ROSELET.

SVb terra nuper qui fuluum condidit aurum,
Quantum vix cepit diuitis arca Midæ:
Is ſemel (ah demens) voluit ſuſpenſus ab alta
Fronde dea, propria conſcius eſſe necis.
Sed timet vt laqueum tenui mercarier ære,
Stramineo fecit fune ſibi laqueum.

Emi-

Eminus hunc meſſor proſpectans ante cucurrit,
Mox miſerum infauſto liberat à laqueo.
Neſcius vlli homini benefactum reddere, nedum huic,
Qui dulcis vitæ libera cauſſa fuit,
Maſtè, ægreq́; ferens ad iudicis ora tremenda
Meſſorem ingratus mane venire iubet,
Cogat vt effractum funem perſoluere. Nunquam
Verterit ingenium gratia læta malum.

De medico, & ægroto.

IACOB. ROGERII.

VEnerat ad medicum mulier triſtißima, cuius
Torquebat miſerum febris acerba virum.
Ille per vrinam morbi cauſſamq́; modumq́;
Edoctus, ſcriptum tradidit antidotum.
Fac tuus hoc potet coniux primo; inquit, Eoo,
Sentiet optatam, crede, ſalutis opem.
Læta domum properat, nec pharmaca curat, at ægro
Ex vino oblata eſt charta voranda viro.
Iuſſa facit fidente animo. Nunc febre fugata
Viuit, & eſt medico gloria rara ſuo.

De pugna duorum Grammaticorum.

INCERTI.

CErtarunt duo Grãmatici, Probus, & Polydorus
Vnus dicendum num ſit, an vna dies.
Acris vtrinq; fuit magna contentio voce,
Armatas donec conſeruere manus.

Vnamdumq́, diem defendit vindice dextra,
Tres Probus in laua perdidit hebdomadas.

Dies virili genere vnius diei curſum ſignificat, vt hic, ille, primus dies, meus natalis dies: muliebri autem temporis ſpatium, vt Tibull. *Longa dies homini docuit parere leones.* Cic. ad Att. ep. 1. lib. 16. ego diem ſtatui ſatis laxam. Sed hoc diſcrimen nec poëtæ, nec oratores interdum ſeruant. Cic. ad Att. lib. 5. ep. 2. Vt ea die manerem in Trebulano.

In Scadricium.

EIVSDEM.

CLaro maiorum te natum ſanguine iactas,
Dictus ab antiquo nomine Scadricius.
Sed cum plurima te ſcabies, & pſora fatiget,
Appellandus eris nunc mihi Scabricius.

Ad Gallicum medicum.

EIVSDEM.

SVrdaſtrum curare ferunt te, Gallice, Coſmam,
Et quod ei certam pollicearis opem.
Heu nihil efficies, licet omnem extenderis artem:
Nam malè perpetuos audiet ille dies.

Ludit in ambiguo. Malè audit Latinè, de quo infamis eſt ſermo: bene audit, de quo omnes ſentiunt, & loquuntur bene. Quem autem vulgus ſemilatinum dicit malè audire, is dicendus eſt ægrè, grauiter audire.

De medicis.

EIVSDEM.

TRes medicus facies habet: vnam, quando rogatur,
Angelicam: mox eſt, cum iuuat, ipſe deus.
Poſt vbi curato poſcit ſua præmia morbo,
Horridus apparet, terribilisq́; Sathan.

Reſponſum pediculoſi.

LEOD. QVERCVLI.

QVæſitum à quodam, cum multa animalia haberet,
Cur non eſſet ei copia maior opum,
Tunc ita reſpondit. Quoniam hæc animalia quamuis
Gratis vendantur, ſumere nemo volet.

Lurco Sexagenarius.

EIVSDEM.

OLim quærebam quodam à lurcone, quot annos
Natus erat, quoniam certum erat eſſe ſenem.
Reſpondens, annum ſolum ſum natus; at annus
Hic iam multoties eſt iteratus, ait.

Quæſtio.

EIVSDEM.

GRyllus cum ex homine in ſuem fuiſſet
Transformatus ab herbulis malignæ
Circes, cur ſpeciem ſuis tam amauit,

Vt tunc maluerit manere ſus, quàm
Vir rurſum fieri? anne, quaſo, forſan
Quod viuunt melius ſues? minusq́;
Peccant, quàm faciant viri? hercle opinor.

Alia quæſtio.

EIVSDEM.

MArcus cerdo domunculam extruebat,
Qua dempſit miſero exeunti ocellum.
Quæro ergo, anne domunculam hanc vocemus
Recte democulam? nam ocellum ademit.

In malum poëtam.

BELLAII.

DVm canit Eurydicen, ſiluaq́; & ſaxa ſequuntur,
Et tenet immanes Thracius ipſe feras.
At tu cum horriſonis ſiluas concentibus imples,
Attonitæ fugiunt in ſua luſtra feræ.

EX FLORIBVS EPIGRAMMATVM.

In Simulatorem.

IVras te ſtudijs renuntiaſſe,
Et muſas Latias, Achaicasq́;
Tota, vt dicitur, expuliſſe arena.
Verùm hoc tam bene, tam facis diſertè,
Vt quantò acrius, ampliusq́; iuras,
Tantò te acrius, ampliusq́; iurent
Te, Lili, tua dicta peierare.

In poëtam ineptum.

DVm ſeſe egregium Sapidus putat eſſe poëtam,
Deſipit, & Sapido nil magis inſipidum.

In tonſorem.

RAdendam ad barbã ſi tantũ es, Pete, vocatus.
Cur mea cum barba eſt raſa crumena tibi?

In fœminam iracundam.

TRes habuit furias quondam: ſed Veſbia manes
Vt petijt, furias quattuor orcus habet.

Tres ſunt affectus, qui homines in omni facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. Propterea poëtæ tres furias eſſe dixerunt, quæ mentes hominum exagitent. Ira vltionem deſiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Lactant. lib. 6. cap. 19.

De rege, & nauta.

EXiguo regem ducebat nauta phaſelo,
Dum fremerent raucum ventus, & vnda ferox.
Rex nautam aggreditur: patriam, patremq́ roganti
Oſtendit paruas non procul inde caſas.
Et, pater, inquit, erat parua quoque nauita cymba,
His quondam in mediis contumulatus aquis.

Cui

Cui rex: quæ ergo animo tibi tanta audacia ſedit,
Hoc nihil vt dubites ſollicitare fretum?
Cui rector, molli quid te committere lecto
Non dubitas, perijt quo pater ante tuus?

In Doctorem indoctum.

QVod voco te iuris Doctorem vtriusq́, ſuperbis:
At de ſorbilibus iuribus ipſe loquor.

De iure piſcium, & carnium ſe locutum vult intelligi, & cocum magis, quàm ſcientiæ alicuius Doctorem inaugurari debuiſſe.

In quendam.

EX animo ſemper loqueris, quodcunq; loquaris,
Vlla tuis verbis ſi tribuenda fides.
O quo nil noſtro magis eſt mirabile ſæclo:
Ex animo loquitur, cui nihil eſt animi.

Ad Claud. Binetum.

AVRATI.

BInetus vineta mihi ſi præbita ſeruet:
Non iam Binetus, ſed Vinetus mihi fiet:
Et quæ vina bibam poſthac, Binetia dicam.

In Gallum ſubinde capitis ornatum mutantem.

QVum toties barbam, atq; comam, mutetq́; galeros
Vnum quis Gallo dixerit eſſe caput?

Di

De Aſtrologo, & Aratore.

INCERTI.

Dixerat Aſtrologus cœlum ſine nube futurum,
Principe ſyluarum luſtra petente ſuo.
Dixerat aſt contra, ruiturum è nubibus imbrem,
Vertere conſuetus bobus arator humum.
Vix ingreſſus erat Princeps nemus ilice denſum,
Cum ſubitò pluuiæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem Princeps ipſumq́ue doceri
Aſtra, ſed aſtrologum ſumere raſtra iubet.

In eloquentem & deformem.

EIVSDEM.

NEſtor es eloquio, Therſites ore: dolendum eſt
Ingenium, melius non habitare tuum.

In Decticum poëtam laureatum.

EIVSDEM.

CVr dedit è lauri Cæſar tibi fronde coronam?
Ingenuos vates laurea ſerta decent:
Conuenit vrtica mordacibus herba poëtis,
Hac potius cingi, Dectice, dignus eras.

In Comptulum.

EIVSDEM.

SIc picturatis te, Comptule, veſtibus ornas,
Te queat vt ſponſam ſponſa vocare ſuam.

In malum, & diuitem poëtam.

Eſu-

Eſuriens ieiuna tamen non fecit Homerus,
Tu ieiuna ſatur carmina, Plute, facis.

LIV. *Eraſmi ſtomachus.*

Diploma à Pont. max. adeptus erat, quo ſibi quotidie propter infirmam valetudinem carnibus veſci licebat: ac proinde dictitabat, ſtomachum quidem ſuum eſſe Lutheranum, animum verò Chriſtianum. epiſt. lib. 21. Vellem dicere potuiſſet, etiam Catholicum. Omnes enim hæretici ſunt Chriſtiani. Meruit certe plurium Theologorum cenſuras grauiſſimas. Eius libri ſæpe ſunt exuſti, ipſeque habitus pro hæretico. Et tamen audet ſcribere. *In meis libris aliquid erroris humani deprehendi poſſe non nego. Nullus adhuc tamen errorem damnatum potuit oſtendere: & qui id hoſtili ſtudio conati ſunt, præter ſuſpiciones, et calumnias nihil afferunt.* Quid hoc mendacius, & impudentius? In cœna ſibi Lutheri Commentarios in ſacram ſcripturam iubebat legi, aiebatq́; ſæpe, in interpretatione ſacrorum librorum à Luthero vinci omnes & veteres, & recentes interpretes. Scriptum in vita Eraſmi. Permirum autem quod ſcribit de auerſione ſtomachi ſui à piſcibus. Mihi iam pridem, inquit, male conuenit cum ſquamigero pecu, vt ſimul attingam de vita pericliter. Alibi dicit ſe piſcium odorem ferre non poſſe.

LV. *Aug.*

LV. *Aug. Cæſar.*

CVm quidam tranſeunti diceret, Tyranne, conuerſus, ſi eſſem, inquit, tu non diceres.

LVI. *Agaſonis verſutia.*

ALexander oraculo iuſſus eſt eũ qui ſibi porta egreſſo primus occurreret occidere. Occurrit illi cum aſino agaſo. Qui ad cædem arreptus quæſiuit quamobrem innocenti ſibi moriendum eſſet. Quia, inquiunt, ſic oraculum præcepit. Tum agaſo, ſi verum eſt, alium certè extra me oraculum deſignauit. Aſellus enim, quem præ me agebam, prior tibi occurrit. Placuit regi verſutè dictum. Aſinum igitur interfici iuſſit. Ex Germanico.

LVII. *Furti bella excuſatio.*

REx Franciæ Philippus pauperes quoſdam ſtudioſos ad epulas inuitarat, è quibus ſub finem menſæ vnum de capone partem bonam, abſcondere animaduertit. Hunc vocatum clam interrogat, cui facultati ſtuderet. Ille, Theologiæ. Et rex, nunquam legiſti illud, *nolite ſolliciti eſſe de craſtino*? Reſpondit, immò ego omnem ſollicitudinem de craſtino deponere, & certus eſſe volui.

LVIII. *Mercator reſipiſcens.*

NEque rei diuinæ, neq; concionibus ſolebat

intereſſe mercator diues, quamuis id eum ſæpiſſime hortaretur bona vxor: cui ſemper reſpondebat, tu ito pro vtroque noſtrûm. Ægrotus grauiter, per quietem ſibi viſus eſt ad iudicium cœleſtis iudicis cum alijs vocari. Et cum vxor cum ſanctis cælum ingrederetur, illeque eodem contenderet, audiuit à ianitore, iam vxorem pro ſe, & illo intraſſe. Ad ſe igitur reuerſus, vitam emendauit, & coniugem amplius honorauit. Ex German.

LIX. *Ioculator in tempeſtate.*

HOmo iocoſus, exorta graui tempeſtate carnes ſalſas comedebat auidiſſimè, & voraciſſimè. Rogatus cauſam huius edacitatis; quia, inquit, mox plus mihi bibendum erit, quam in omni mea vita bibi. Ex German.

LX. *Maritus plagoſus.*

PVer videbat matrem ſuam à patre quotidie pæne verberari. Cum ergo veſpere quodam diceret pater, ſe quiddam oblitum, ſubiecit filius, at ego noui, quid ſit illud quiddam. Tum pater, dic bone fili, quid eſt? Et filius, matrem verberare oblitus es. Ex German.

LXI. *Pauper propter filium.*

ALebat quidam parum diues filium Pariſijs in ſtudijs liberalibus, impendebatque quidquid manu, & arte acquirere poterat, confidens,

ſe viciſſim ſenem ab eo ſuſtentatum iri. Filius ſtatum religioſorum amplectitur. Flens interrogabat pater cur ita faceret. Vt viuam in paupertate, inquit. Atqui, occurrit pater, hac de cauſſa domo exire nihil opus erat: ſat enim paupertatis hîc apud me inueniſſes. Ex German.

LXII. *Serus diuerſor.*

SVb noctem quidam, ſerò ſcilicet diuertit, nec inter cœnantes locum habere commodè potuit, qui abſumpſerant omnia. Quocirca nocte illa eſurire coactus, cum diluxiſſet, hoſpitem valere iubens ad iter ſe accinxit. Tum hoſpes, nihilne pecuniæ ſolues? Et diuerſor, ego ſoluam, qui nihil guſtaui? Poteras, inquit, nidore ſaturari. Bene mones, reſpondet abiturus. Ac ſimulans ſibi argenteos deeſſe nummos, aureum in menſam proijcit, percunctaturque num bene tinniat. Bene tinnit, ait hoſpes. Et peregrinus, agedum tinnitum hunc pro nidore tuo accipe: & recepto aureo iter ſuum peragere occœpit. Ex German.

LXIII. *Imprecationes.*

FAmulus cum domino in maledicta, & imprecationes procliui pactus erat, ne in poſterum centum febres, aut totidem cacodæmones in hominum cœtu ſibi imprecari vellet; ſed centum potius nummos aureos, ſi illum adeo numerus magnus delectaret. Non diu poſt ira ſuc-

cenſus herus, in magna hominum frequentia centum aureos famulo imprecatur. Cui ille viciſſim mille. Hîc ita ad amarulentiam concitatus eſt dominus, vt iam diras, exitia, & quidquid vſpiam eſt peſtium, malarumque rerum miniſtro precaretur. Qui aderant eum orant ne ita ſæuiat; neue in partem ſiniſtram interpretetur, quæ famulus optarit: neminem illic eſſe, qui ſibi non rem tantam optari velit. Bene vos quidem, ait herus, de numero: ſed monetam, de qua inter nos inita eſt pactio, vos neſcitis. Ex German.

LXIV. *Prandium potius, quàm prædium.*

IOcatur eleganter Martialis in Lupum, qui ſe prædio tam anguſto, ac breui donauerat, adeoque inutili, vt præſtiterit exhibuiſſe prandium. Vnde erraſſe in litteris Lupum dicit, qui prandij vice prædium dederit. Epigramma eſt lib. 11.

Donaſti, Lupe, rus ſub vrbe nobis.
Sed rus eſt mihi maius in feneſtra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare,
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Arguta tegit ala quod cicadæ,
Quod formica die comedit vno?
Erraſti, Lupe, littera ſed vna.
Nam quo tempore prædium dediſti,
Mallem tu mihi prandium dediſſes.

De

De ſimili, hoc eſt æquè magno rure venuſtum extat epigramma inter catalecta Virgiliana, quod falsò M. Tullio adſcribitur.

Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda,
Ni tamen exciderit, quà caua funda patet.
Extractam puteo ſitulam cum ponit in horto,
Vlterius ſtandi non habet ille locum.

LXV. *Ex ebrietate æger.*

QVidam ſe vino obruerat adeò, vt ex ebrietate ægrotaret. Medicus accerſitus cum venam exploraret, bone fili, inquit, ſcyphus te pupugit, cauſſā morbi videlicet ſignificare hac metaphora volens. Tum ægrotus, hoc ſi futurum præſciuiſſem, ex vitro bibiſſem. Ex German.

LXVI. *De ſtudioſo, & medico.*

STudioſum litterarum in morbo viſebat curationis ergô medicus. Inter alia igitur hominem percunctabatur, num habuiſſet beneficiū. (Sic eorum plerique alui deiectionem appellāt, parum in Celſo medicorū, Cicerone verſati, qui iſtiuſmodi naturales, & verecundas actiones multis modis, & verecundè, & eleganter effert.) Studioſus qui fortè nunquam ægrotarat, certè phraſin hanc nunquam audierat, medicum de ſacerdotio, ſeu præbenda, vt vocant, locutum ratus, reſpondit, non habui beneficium,

domine, vixi ſemper meis ſumptibus. Tum ille ἰατρὸς ἀνὴρ latinè, hoc eſt, planè, & apertè rem fari coactus eſt.

LXVII. *Cn. Domitius Ænobarbus.*

HIc fuit atauus Neronis Cæſaris. In eum L. Craſſus orator dixit. Non eſſe mirandum quod æneam barbam haberet, cui eſſet os ferreum, & cor plumbeum. Sueton. Nerone. cap. 2.

LXIIX. *Antiocheni in Iulian.*

DIcacitate valebant Antiocheni, nec amantes erant Iuliani, quem ob promiſſam, & acuminatam barbam vocabant hircum, & ad funes nectendos aptam dictitabant. Zonaras Tom. III.

LXIX. *Cauſidicus φιλάργυρος.*

DOcuit cauſidicus furem, vt in iudicio mutũ ſe ſimularet, nec aliud ad quæcunq; interrogata reſponderet, quàm Papi papi pa. Sic fore vt à ſuſpendio euaderet liber. Poſtea verò ſibi decem aureos nũmos daret pro honorario. Obſecutus fur, à cruce immunis abijt. Poſtulante cauſidico promiſſam pecuniã fur non aliud contra reſpondere, quàm ab eo doctus erat: & quantumcunq; vrgeretur, ſemper illud occineret Papi papi pa. Qua ratione etiam à cauſidico ſeſe liberauit. Ex German.

LXX. *Fa-*

LXX. *Fatui de albis caluarijs.*

FAtuus herum ſuum, virum nobilem, & nobilitatem nimis ęſtimantē ſequebatur. Tranſeunt ſepulchretū. Aſpiciunt ibi ſeparatim coaceruatas caluarias. Tum fatuus. Num dicere potes, mi here, quæ cuius, nobilis an ignobilis hîc ſit caluaria? Reſpondit herus, quid dubitas? inepte: albæ illæ nobiliorum, atræ & fœdæ ruſticorum ſunt. Quid fit? memoriæ mandat reſponſionem fatuus. Fortè eodem itinere & patibulum prætereunt. Ibi ſuſpiciens, & à crebris imbribus ſcilicet pendētium caluarias exalbuiſſe animaduertens, en, inquit, domine, hîc multi nobiles pendent. Ex German.

LXXI. *Quid pro quo, vt ait vulgus,* Koꝛn vmb Saltz.

DOmitius Craſſo obijciebat, nonne tu ob mortem murenæ, quæ in viuario tuo alebatur, plorauiſti? Huic viciſſim extemplò Craſſus, nonne tu tres vxores ſine vlla lacrymula extuliſti?

LXXII. *Guloſus.*

SEruus Italus cum videret domino ſuo in prādium genus anguillarum apponi, quod à nouem in ſummo punctis tanquam oculis Ger-

mani Neunaugen vocant, ratus viperas appoſitas cohorruit. Iis tamen guſtatis, & me, inquit, non pœnitebit hoc veneno emori. Ex German.

LXXIII. *In epulonem.*

DIogenes Cynicus domum epulonis cuiuſdam videns inſcriptam pretio venale, ſciebam, ait, aliquando futurum, vt diuturna crapula dominum euomeres. Laert. ni fallor.

LXXIV. *Concordia, diſcordia.*

LEo Byzantius philoſopus, & orator inſignis, ad Athenienſes ſeditioſos legatus, cum eſſet corpore præpingui, ac ventre ſeſquipedali, in cõcionem veniens, riſum ingentem excuſſit omnibus. Leo nihil commotus, quid ridetis inquit, Athenienſes? an quia me craſſum, & obeſum conſpicitis? eſt mihi vxor domi multo craſſior, & obeſior: & tamen concordibus vnus lectus non magnus ſufficit; diſſidentibus autem ne tota quidem domus. Quibus verbis populum in concordiam redegit.

LXXV. *Apollinis ſtultitia.*

APollo Socratem ſapientiſſimum pronuntiauit. O Apollinem inconſideratum. Sapientiæ teſtimoniũ reddidit ei viro, qui negabat deos eſſe. Tertull. Apologet.

LXXVI. *Can-*

LXXVI. *Cantores.*

PRinceps Germanus magno alebat Muſicos. Cum igitur ſalarium illis annuũ à Quæſtore ſoluendum eſſet, & quidam eos, vt præſtantes admodum, & mirè canoros laudaret, verum dicis, ſubiecit Quæſtor: bene canunt iſtæ aues: ſed multum papaueris abſumunt. Ex German.

LXXVII. *Venditor carè indicans.*

IAcobus Germanus ex Iudæo Chriſtianus, anaglyptum, ſeu agalma quoddam pretioſum S. Ioannis Alphonſo regi emendum offerens, pro eo ducatos quingentos petebat. Cui rex, auarus es nimium, & inconſideratus, & degener, qui tantum pro vno ſigno diſcipuli, & ſerui audeas poſtulare, cum maiores tui ipſum magiſtrum, & dominum, ac regem quoque ſuum non plus triginta argenteis & vendiderint, & emerint. Ex Italico.

LXXIIX. Πόνȣ ἐγκώμιον.

PTolemæus rex, cum Heraclides Lycius ei librum obtuliſſet, inſcriptum πόνȣ ἐγκώμιον laboris laus, deleuit primam litteram, vt oſtenderet πόνȣ ἐγκώμιον reuera eſſe ὄνȣ aſini ἐγκώμιον, eamque virtutem, qua tolerandis rebus aduerſis

gloriamur, aſinũ ſibi poſſe iure vendicare. Paſſerat. in encomio Aſini.

LXXIX. *Negotium publicum.*

GRammaticæ Profeſſor in quadam Academia iuſſit puerum diſcipulum in ſchedula ſcribere, ſe eo die non docturum, propter negotium publicum; & ad valuas Academiæ, vt mos eſt, cum quid aut omnibus ſtudioſis, aut alicuius ſcholæ denuntiatur, affigere. Puer ſimplex, ſiue diſtractus animo, ſiue non ſat intellecto magiſtro, vna littera omiſſa, ſcripſit, *Magiſter Grammatices hodie non docebit, propter negotium pubicum.* Quis hanc denunciationem legens non riſit?

LXXX. *Semet tangens.*

PErettus Mantuanus, philoſophus præſtans, & ingenio vrbano aliquando magna diſcipulorum ſuorum corona cinctus, neſcio qua de cauſſa de ſuis ciuibus ſiniſtre occœpit loqui, & inter alia dicere, eos eſſe ingenio rudi, ac ſtupido. Hic quidam diſcipulorum ſubiecit; ergo, Domine, te ſpurium eſſe oportet, cum ingenio ſis tam ſubtili. Argutè, & ad perſonam accommodatè. Ex Italico.

LXXXI. *Gloriatio inſolens.*

LYſimachus occupata Thracia, quaſi Europã, & Aſiam armis ſubegiſſet, ſe haſtæ cuſpide cælum contingere gloriabatur. Ibi Paſiades Byzanti-

ꝫantinus facetè, Amici, colligamus ſarcinulas, & priuſquam haſtę iſtius mucrone terebratum cælum in nos ruat, hinc faceſſamus. Paſſerat. præf. in Milit. glorioſ.

LXXXII. *Diogenes.*

CVm clamaſſet aliquando, heus homines, cōueniſſentq; plurimi, baculo illos abigebat, dicens: Homines, non purgamēta vocaui. Laert.

LXXXIII. *Spado ſceleratus.*

SPado ſceleratus domui ſuæ inſcripſerat. Nihil ingrediatur mali. Legens id Diogenes, & dominus, ait, domus qua nam ingredietur? Laert.

LXXXIV. *Vngebat pedes Diogenes. Eiuſdem alia.*

CAuſſam rogatus dixit, à capite quidem in aërem aſcendere vnguētum, ſeu odorem vnguenti, à pedibus autem in olfactum.

Cum vidiſſet aliquando mulieres ex oliuæ arbore pendere ſuffocatas, vtinam, inquit, arbores cæteræ fructum huiuſmodi ferrent.

Quum illi probro daretur, quod in caupona biberet; & in tonſtrina tondeor, inquit.

Conſulentibus vt fugitiuum quæreret ſeruum, ridiculum, inquit, ſi Manes (ſerui nomen) abſque Diogene viuat: Diogenes abſque Mane non poſſit.

LXXXV.

LXXXV. *Vxoris mala ſoli viro nota.*

ÆMilium Paulum lego apud Plutarch. quem cum amici reprehenderent, quare vxorem eximia ſpecie, caſtam, & diuitem ſuas ſibi res habere iuſſiſſet, ac dimiſiſſet, pedem protendiſſe, ſic loquentem. Et calceus iſte, quem cernitis, nonne videtur vobis nouus, elegans, & ad pedem habilis? At præter me nemo ſcit vbi me premat.

LXXXVI. *Nondum tranſierunt.*

VRbanioris ingenij homo, cuius gulæ an oſſa, an pulticula appoſita ſatis blandiebatur, quò plus alijs quieſcentibus, & ſermoni ſuo inhiantibus vorare poſſet, narrationem de opilione inſtituit, qui maximum gregem ageret. Eum per varia loca circũduxit, & quid illi hîc, quid illic accidiſſet, expoſuit; ita, vt plura deinceps, & exitus rei auditione dignus à ſimul diſcumbentibus exſpectaretur. Tandem, inquit, ad latam admodum, vt ſunt in Germania, piſcinam deuenit, quam pons longus, ſed peranguſtus (duæ duntaxat in longum compactæ trabes) iungebat, vt niſi vna ouis ſola tranſire poſſet. Hîc conticuit, & alijs attonitis ac mutis, nec edentibus, ſolus eſitauit. Poſt aliquantam moram illi: & quid accidit poſtea? Exſpectare, ait; grex magnus eſt, oues

oues nondum omnes tranſierunt. Riſu exceptum reſponſum. Ex German.

LXXXVII. *Potator.*

IN febrim potator cum incidiſſet, ſolito vehementius ſitire cœpit. Vocati medici cum & de febri depellenda, & tanta ſiti ſedanda conſilia conferrent, eo audiente; vobis, inquit, tantum curæ ſit, quomodo à febri me liberetis: à ſiti hac immodica quomodo liberer, ipſemet videbo. German.

LXXXVIII. *Cupediis deditus.*

PHiloxenus Cytherius cũ cœnaret apud Dionyſium, vt mullum ingentem illi vidit appoſitum, ſibi vero paruum, auri ſuum manu ſumptum admouit, interrogantique cauſam Dionyſio reſpondit, Galateam (fabulã de Galatea marina dea, Nerei & Doridis filia) ſe ſcribere, cupereq; nonnihil eorum, quæ apud Nereum geruntur ex illo piſciculo reſciſcere: ipſum tamen quod iunior eſſet captus ad interrogata fari nihil poſſe: illum autem grandiorem, & ſeniorẽ, qui coram ipſo Dionyſio ſtabat, omnia quæ ſciſcitatus eſſet optime noſſe. Riſit ad hæc Dionyſius, & Philoxeno poſitum ſibi mullum eſt largitus. Athenæus lib. 1.

LXXXIX. *Vinum hilaritatis dulce ſeminarium.*

ZEno Citieus conditor ſectæ Stoicorum, *in* familiares durus, & iracundus, multo vini hauſtu cum placidus ac lenis fieret, interrogatus quidnam ingenium ſic mutaret, id accidere ſibi reſpondit, quod & lupinis, priuſquam madefiant aqua amariſſimis, poſtea quam macerati ſũt, & appoti dulciſſimis, & mitiſſimis. Athenæus lib. ſecundo. Laertius in vita. Rectè Seneca de Tranquill. cap. 15. Eluit enim curas, & ab imo animum mouet: & vt in morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur. Liberq; non ob licẽtiam Linguæ dictus eſt inuentor vini: ſed quia liberat ſeruitio curarum animum; & aſſerit, vegetioremq;, & audaciorem in omnes conatus facit. In eandem ſententiam Xenophon in Conuiuio. Vinũ animos rigans, triſtitias & dolores quemadmodum mandragoras ſopit: & hilaritatem ſicut oleum flammam accendit.

XC. *Salsè dicta inter duos reges.*

ANno Dn. MLXXXVII. rex Angliæ Gulielm. in Normanniam (pars Galliæ eſt, olim Britannia minor) cum ingenti auri pondere profectus, & paucis poſt diebus morbo affectus, diutiꝰ ſolito cœpit ſe cubiculi parietibus continere. Id

vbi

vbi Philippus Francorum rex intellexit, per iocum in eum, quod ventrioſus erat, cauillatus eſt in hunc modum. Nunc rex Angliæ Rhotomagi cubat longo in puerperio. Peruenit hoc ſcomma ad Gulielmum, qui talia retulit. Cum ego peperero, & templum purgationis cauſſa (vt mos eſt puerperis) adiuero, tunc in Francia lucebunt mille faces. Faculam, ſeu cereum ſimul apportat in templum, quem offert fœta, à ſacerdote luſtranda: & ſimul ad feſtum Purificationis diem alluſit, quo cerei in templis conſecrati maximo numero collucent. Non interceſſerunt igitur multi dies, cum Gulielmus paululum confirmatus, finitimos Francorum agros ferro, & igni crudeliter deuaſtauit. Virgil. Polydor. Anglicæ hiſt. lib. 9.

CXI. *Rufi.*

Vlgò non bene dictitatur rufis, habenturq́; verſipelles, fraudulēti, vno verbo, parū boni. Id Mart. quoq; ſentit, ſcribens in Zoilū, lib. 12.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Hæc cum quidam vir non indoctus rufo per iocum obijceret, occurrit ille, non viuere homines meliores in terris rufis iſtis. Id inde potiſsimùm colligi, quod Saluator nemini ſe niſi rufo oſculandum præbuerit; qui eidem inſuper obſonator fuerit.

XCII. *Peregrinator mendax.*

QVidam peregrinatus admodum, varia loca obierat. Is domum rediens ſe iactabat, vt qui totam pænè Europam, maximè verò Italiam peruagatus eſſet. Quæſiuit ex circumſtantibus vnus, qualis vrbs Venetiæ; & num omnia vera, quæ de illa prædicarentur? De Venetijs,inquit, multa dicere non habeo; quoniam prima vice cum eò venirem, crepuſculum erat: altera vice præter mœnia equitaui. Negantibus qui audiebant equitare potuiſſe, cum tota vrbs in aquis. ſeu in mari ſita ſit, ſuccurrit deprehenſo quiſpiā: per hyemem, credo, ſuper glaciem factum eſt. Hîc Sycophanta, Quis indicauerit hyeme an æſtate factum ſit, cum ſpacium cogitandi non relinquitur? vt dicis, ita contigit. Ex German.

XCIII. *Alius glorioſè mendax.*

IN Sympoſio alijs affirmantibus periculoſa eſſe nocturna itinera, prorupit vaniloquus, ego vero vnico anno pluſquam quadringentis noctibus, medijs tenebris ſolus per campos, & ſolitudines equo iter feci. Interrogatus nunquid non aliquando luna luxerit: fere nunquam aut vix quidquam, ait glorioſus. Compotores ſubducunt rationem: tot noctes in anno haud inueniunt: monent, vt de numero tam grandi remittat

mittat aliquantum. Verum dixi, inquit, modò ſubaudias, vt ita dixerim, quodammodo, &c. al-ſo zurechnen. Ex German.

XCIV. *Etiam moriones interdum opportuna loquuntur.*

ARchidux Auſtriæ Leopoldus cum proceribus ſuis collato conſilio de Heluetiis inuadendis, & ad obedientiam reuocandis, morionē ſuum, qui præſens omnia audiuerat, percunctatus eſt, bene ne conſilium placeret. Malè placet, inquit. Omnes enim ſententiæ veſtræ ad inuadendum, nulla ad euadendum ſpectant. Præſagitio fuit: occubuit enim cum ſuis Dux. Vide hiſtoriam Heluetic am.

XCV. *Salſum pro ſalſo.*

GAleatus quidam Narnienſis Senas eques ingreſſus, in platea quadam ſubſiſtens de diuerſorio quærebat. Quem præpinguem, & ventrioſum quidam ſcurra contemplatus, renidens, videte ait, hic ſarcinam ſuam præ ſe, alij poſt ſe, & à tergo vectant. Illico audiuit: hoc ſoleo, cum per loca furum iter habeo: alioqui morem, de quo dicis ſeruo. Ex hiſtoria Vrbinenſi.

XCVI. *Honor ſimulatus callidè.*

DVx Vrbinas forte aquam rapidam, & vorticoſam cum equo tranſire neceſſe habebat. Ad vadum igitur pętentandū tubicinem ſuum

ante ſe equitare iuſſit. Tubicen mox retro conuerſus, capite nudato, magna & debita cũ reuerentia, auertat deus, inquit, ne ſim tam agreſtis, & incogitans. Illuſtriſs. Excell. V. vt in omnibus ita hîc quoque anteceſſus debetur. Ibid.

XCVII. *Pari menſura relatum.*

THemiſtocles cum ab Andrijs grande tributum exigeret, diceretq; ſe duas ſecum deas potentes adducere, Suadelam, & Vim (πειθὼ καὶ ἀνάγκην) reſponderunt illi, apud ſe quoq; duo eſſe magna numina, quæ dare prohiberent, Paupertatem, &, vt ita dicam, Impoſſibilitatem, à quibus eorum inſula nunquam relinqueretur. Herodot. lib. 8. Plutarch. in Themiſtocle.

XCVIII. *Factum dicto penſatum.*

AD Dionyſium ſeniorem Syracuſanorum tyrannum Corinthi exulantem quidam ingrediens, vt facetus videretur, veſtem excutiebat, vt ſolent qui ad tyrannos accedunt: huic Dionyſ. par referens, iuſſit exeuntẽ idem facere, ne quid forte ſuffuratus ſecũ auferret. Plutarch. in Timoleonte. Idem in Dione. Nemo in conclaue ipſius intromittebatur, ne frater quidem aut filius, niſi veſte poſita nudus à cuſtodibus ante conſpiceretur, & aliam veſtem indueret.

XCIX. *Notata auaritia.*

NIcephorus Imp. Conſtantinopolit. homo auarus, cum aliquando ad milites in campo

exercendos progreſſus, cano cuidam, qui militiæ nomen dare cupiebat, diceret: ecquid homo iam canus militiam cogitas? reſpondit ille, ſe nunc multo validiorem eſſe, quam adoleſcens fuiſſet. Quidum? ait Imp. Hic ille. Quia olim vno aureo coempto frumento duos onerabam aſinos: te imperante, quantum duobus aureis emitur frumẽti, haud grauate humeris meis porto. Cedrenus. Glycas parte IV. de Phoca Imp. iſtuc narrat.

C. *Notata ignauia.*

Liuius Salinator Tarentum amiſerat, arcem tamen retinuerat, multaque ex ea præclara prælia fecerat. Cum aliquot poſt annis Q. Fab. Max. id oppidum recepiſſet, rogaretq; eum Salinator, vt meminiſſet, opera ſua Tarentum recepiſſe. Quid ni, inquit, meminerim? nunquã ego recepiſſem, niſi tu perdidiſſes. Cic. 2. de Orat. Plutarch. in Fab. Max.

CI. *Ex ambiguo.*

Sylla præturam gerens Cæſari minabatur, vſurum ſe ſua in illum poteſtate. Irridens Cæſar, recte, inquit, tuam dicis eſſe poteſtatem, emiſti enim illam. Plutarch. in Sylla. Talis iocus in Paulum Martialis.

Carmina Paulus emit, recitat ſua carmina Paulus:
Nam quod emas poſſis dicere iure tuũ.

CII. *Malitia.*

SYlla cum in congerenda pecunia per fas, & nefas occuparetur, ſcripſit Amphyctionibus Delphos, ex re eſſe, vti ad ſe mittantur pecuniæ Deo ſacræ: ſe enim vel rectius ſeruaturum eas, vel, ſi conſumpſiſſet, tantundem redditurum. Miſitque eò Caphin Phocenſem amicum ſuum, vt ſingula ponderata acciperet. Hic vbi Delphos peruenit, multis lacrymis coram Amphyctionibus neceſſitatem iſtam deplorauit: & quibusdam dicentibus, auditum citharæ, quæ in ſacrario eſt, ſonum, Syllæ de eo prodigio ſiue credens ipſe, ſiue vt religionem ei obijceret, perſcripſit. Cui per iocum reſcripſit Sylla, mirari ſe Caphin, qui non intelligat, canere non dolentis, ſed lætantis eſſe: proinde bono animo eſſet, acciperetq; quæ Deus hilaris daret. Plut. ibid.

CIII. *Vetularum ornatus.*

DIogenes aniculam curioſius ſe ornantem intuitus: ſi viros, inquit, lenocinio iſto allicere vis, plurimum falleris: ſin autem defunctorum vmbras, oro ne diu cuncteris. Stobæus.

CIV. *Sufficit ſemel pertuliſſe naufragium.*

SIculus mercator cum naui caricis onuſta naufragium fecerat. Fluctu in littus delatus reſedit, vt ſiccaretur. Cum autem pelagus deferueſcere,

cere, & componi videretur, & quodammodo ad iterandam nauigationem inuitaretur, ait, O mare mare, ſcio quid velis; denuo caricas expetis. Ex Italico, vt ſequentium pleraque.

CV. *Animus, & corpus ſæpe non reſpondent.*

COſmus Medices docto cuidam, ſed improbo, & ſtulto dixit: vinum habes bonum valde, ſed in dolio malo. Plumbeum enſem geris in vagina aurea, cuius animi ruditas, & ſtoliditas egregiam corporis ſpeciem deturpant.

CVI. *Vide cur glorieris.*

GLoriabatur neſcio quis ſe natatu valere plurimum, cui alius; quam tu ridiculus es, & vanus, cum iactas te in eo quod tibi cum ranis, & Delphinis commune eſt; quique te in hoc genere longe antecellunt?

CVII. *Inſignia mendacia.*

CVm duo faceti homines grandia, & inaudita loqui vellent, dixit prior, ſe in quadam regione vidiſſe braſſicam tantæ amplitudinis, vt mille quingentos equites tegeret. Tum alter, & ego in alia regione vidi ahenum, in quo fabricando centum laborabant, nec pulſus propter vaſtitatem inuicem audiebant. Hic prior ille, quid, malum, quid ſibi cum iſtoc aheno tam vaſto volebant? Reſpondit poſterior, vt braſſicam iſtam tuam in eo decoquerent.

CXII. *Quanto maior es, humilia te in omnibus.*

MVlti barbari è vicinis montibus cum muneribus ad Godefridum regem Hieroſolymorum honorandum veniebant. Quem cum forte in campo ſine ornatu regio, ſine ſplendido comitatu in terra ſedentem reperiſſent, tantum ducem, ac victorem celeberrimum admirati ſunt plurimum. Quod cum ille ex interprete intellexiſſet, reſpondit, neminem, quantuscunque ſit debere recuſare aut erubeſcere in terra ſedere, ex qua genus humanum prodierit, & in eam rediturum ſit. Sapienter, & moderatè magis quam facetè dictum.

CXIII. *Detrimentum barbæ propter Sanctos.*

HEbræus contendens cum Chriſtiano affirmabat plures Iudæos eſſe in cœlo ſanctos quam Chriſtianos. Paciſcuntur ergo, vt vterque ſuos ſigillatim recenſeat, & ad vnumquodque nomen alteri pilum è barba reuellat. Incipit Hebræus, nominat Abrahamum, & ex pacto pilũ Chriſtiano vellit. Chriſtianus nominat S. Petrum, idemq; facit. Pergunt hoc modo. Tandem pertæſus Chriſtianus in barbam Iudæi inuadit, totamq; ſimul diripit, dicens, S. Vrſula cum xi. millibus.

CXIV. *Peruerſè retortum.*

DIues repererat forte ducatum. Quo viſo pauperculus dixit indignabundus, en, bona fortuna illum potius quam me reſpicit. Tum diues, praue ſentis. Nam ſi tu iſtum ducatum inueniſſes, cum ſtatim expendiſſes, & abs te repuliſſes: ego vero illum conſeruabo, & inter alios eius æquales retinebo.

CXV. *Moriantur otioſi.*

CVm vir quidã probus tempore Leuctrici belli morbo perijſſet, dixit per iocum Epaminondas, Papę, quo pacto fuit otium moriendi homini in tam multis negotijs? Plutarch. de tuend. valetud.

CXVI. *Vanè gloriosus.*

CRocodilus generis ſui nobilitatem, ſuaque, & maiorum ſuorum præclara facinora apud vulpem extollebat: cui argutè illa reſpondit: ex cute (teſtacea videlicet, & aſperrima) vetus eius, ac diuturnum exercitium eo vel tacente poſſe intelligi. Pierius. lib. 29.

CXVII. *Ne fucum faciat.*

CHij Oratorem ſenem ad Lacedæmonios deſtinauerunt: qui, quod eum puderet ſenectutis, canitiem fucis fucauerat. Cúmque is publice dicere incœpiſſet, ſurrexit Archidamus in ea tum republ. princeps, dixitque, Quam obſecro ſermonis fidem habiturus eſt hic, qui men-

dacium non in anima ſolum, verumetiam in capite circumfert? Pierius lib. 31. ex Theophraſto.

CXVIII. *O dij non dij Cæſares.*

CONſecrare diuinis honoribus, ſeu inter deos referre Imperatores mortuos mos Romanis fuit inde vſque à Iulio Cæſare. Inde iocus Veſpaſiani Aug. qui; vt tradit Sueton. cap. 24. ne in metu quidem, ac periculo mortis facete dictis abſtinuit. Nam cùm inter prodigia cætera Mauſolæum Cæſarum derepente patuiſſet, & ſtella crinita apparuiſſet: alterum ad Iuniam Caluinam è gente Auguſti pertinere dicebat: alterum ad Parthorum regem, qui capillatus eſſet. Prima quoq; morbi acceſſione, vt; inquit, puto, deus fio.

CXIX. *Lingua interdum præcurrit mentem.*

VIR nobilis cum ſeruo ſecundo fluuio deuehebatur. Quē cum ſomnus vrgeret, eidem ſeruo mandauit, vt cum ad vorticem, locum periculoſum ventum eſſet, ſeſe expergefaceret. Seruus videns dominum placidè conſopitum, & iucundam eius quietem interrumpere nolens, diſſimulauit. Euigilat dominus, &, num prope vorticem ſumus? Atqui, ait ſeruus, iam eum tranſiuimus. Hic ille iratus, peſſime, inquit: te ſic negligere mandata mea? ſi ſic dormiens ſummerſus perijſſem, iſtoc te gladio confodiſſem.

ſentibus, & igneo flatu: quales ad bella excitanda, diſcordiáq; in populos diuidendā, pacéq; lacerandā, teterrimæ inferûm exeunt Furiæ: talem nobis iram figuremus, flamma lumina ardentia, ſibilo, mugituq; & gemitu, & ſtridore, &, ſi quæ his inuiſior vox eſt, perſtrepentem; tela manu vtraque quatientem. Neque enim illi regere ſe curæ eſt, toruam, cruentamque, & cicatricoſam, & verberibus ſuis liuidam, inceſſibus veſanis, offuſam multa caligine, incurſitantem, vaſtantem, fugantemque, & omnium odio laborantem, ſui maximè: ſi aliter nocere non poſſit, terras, maria, cœlum ruere cupientem, infeſtam pariter inuiſamque. Vel, ſi videtur, ſit qualis apud vates noſtros eſt.

Sanguineū quatiens dextrâ Bellona flagellum,
Aut ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla.

aut ſi qua magis dira facies excogitari diri affectus poteſt. Aliam deſcriptionem habes lib. 1. cap. 1. & rurſus lib. 3. cap. 4. Magnus Orator Gregorius Nyſſenus lib. de 8. Beatitudinibus huiuſcemodi deſcribens iratum, cum energumeno, ſeu dęmoniaco audet comparare. Verba eius protuli in Symb. ad XII. Æneid. principio, vbi Turni furor exprimitur.

II. *Lætitia, & plauſus pop. Rom. ſuper ingreſſu Traiani Imp. & victoris,*

Ex

Ex Panegyrico C. Plinii eidem dicto.

AC primùm, qui dies ille, quo exſpectatusq; & deſideratusq; vrbem tuam ingreſſus es? Iam hoc ipſum quod ingreſſus es, quàm mirum, lætumq; ? Nam priores inuehi, & importari ſolebant, non dico quadriiugo curru, & albentibus equis, ſed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu ſola corporis proceritate elatior aliis, & excelſior, non de patientia noſtra triumphum, ſed de ſuperbia Principum egiſti. Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardauit, quò minus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te paruuli noſcere, oſculari iuuenes, mirari ſenes. Aegri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatemq; prorepere. Inde alij ſe ſatis vixiſſe te viſo, te recepto: alij nunc magis eſſe viuendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis ſuę maxima voluptas ſubijt, cùm cernerent, cui Principi ciues, cui Imperatori milites peperiſſent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non niſi ſuſpenſum, & inſtabile veſtigium caperet; oppletas vndique vias, anguſtumq; tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum, vbiq; par gaudium, paremq; clamorem. Tam æqualis ab omnibus ex aduentu tuo lætitia percepta eſt, quàm omnibus veniſti: quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo creuit, ac propè in ſingulos gradus adaucta eſt. Gratum erat, cunctis,

quod

quod ſenatum oſculo exciperes, vt dimiſſus oſculo fueras. Gratum, quod equeſtris ordinis decora honore nominum ſine monitore ſignares. Gratum, quod tantummodo vltrò clientibus ſalutaris, quaſdam familiaritatis notas adderes. Gratius tamen, quòd ſenſim, & placidè, & quãtum reſpectantium turba pateretur, incederes: quòd occurſantium populus te quoque, te immò maximè aſtaret: quòd primo ſtatim die latus tuum crederes omnibus. Neque enim ſtipatus ſatellitum manu, ſed circumfuſus vndique nunc Senatus, nunc equeſtris ordinis flore prout alterum frequentiæ genus inualuiſſet, ſilentes, quietosq; lictores tuos ſubſequebare. Nam milites nihil à plebe habitu, tranquillitate, modeſtia differebant. Vbi verò cœpiſti Capitolium aſcendere, quàm læta omnibus adoptionis tuæ recordatio? quàm peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco ſalutauerant Imperatorem? quin etiam deum ipſum tunc præcipuam voluptatem operis ſui percepiſſe crediderim, &c.

Scitam, & ſuper Græcas, Latinasq; laudatam laudationem hanc appellat præfat. Commentarij ſui Lipſius. Panegyricum hunc emendandum mittit Romano, epiſt. 13. lib. 3. quàm claudit memorabili clauſula. Annota quæ putaueris corrigenda. Ita enim magis credam cætera tibi placere, ſi quædam diſplicuiſſe cognouero.

III. *Inſulæ fortunatæ.*

Ex M. Antonio Mureto, Variar. lib. 5. cap. 1. & Apuleio Mileſiarum lib. 1.

PRoditum eſt à veteribus poëtis, eſſe quaſdam in Oceano inſulas, ad quas poſt mortem deferantur eorum animi, qui ſanctè religioſeq; vixerint. Ibi eos inter ſe iucundiſſimè, ac ſuauiſſimè viuere, in amœniſſimo quodam prato, quod gemmea florum, oculis, naribusque gratiſſimorum varietate perpetuò diſtinctum, picturatumque ſit. Nunquam non illic nitere cælum, frondere arbores, pubeſcere herbas, ridere omnia. Spirare aſſiduè molliſſimos Fauonios, quorum flabellis arborum comæ leniter ventilatæ, placidiſſimo murmure auribus blandiantur. Eò accedere innumerabilem vim, ac copiam imortalium auicularum, quæ vſque & vſque liquidiſſimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulceant. Pratum ipſum perennibus riuulis variè interſecari; quorum aqua nitidiſſima ad verſicolores lapillos molliter fracta, & alliſa ſuſurrum efficiat dulciſſimum. Ita quà floſculorum ambroſios odores exhalantium ſuauitate, quà Zephyrorum viridantibus arborum ramis illudentium ſibilo, quà volucrum concentibus, quà blando murmurantium riuulorum ſtrepitu beatas illas mentes continenter hilarari. Ergo alios ad Orphei, Amphionisúe lyram choreas agi-

ſtare, alios pſallere, alios corollas texere, alios in herba fuſos, quà tellus tremulis laurorum, ac myrtorum opacatur vmbraculis, iucundiſſimos ſermones conſerere: humum ipſam opum ſuarum prodigam, ſine vllo cultu ter quotquot annis, vbertate ſumma alimentorum copiam eis ſuggerere, ac ſubminiſtrare.

Iudicium Pauli Manutij de varijs lectionibus Mureti, hoc eſt, epiſt. 27. lib. 3. *Reuerſus è foro Iulii reperi librum tuum variarum lectionum, quem apud Sixtum Medicem, communem amicum, excellentem virum reliqueras. Noli exſpectare iudicium meum. Malo enim te ab aliis quid de tuis ſtudiis, quid de ingenio exiſtimem, quàm à me ipſo cognoſcere. Vnum tamen illud non minus verè, quàm liberè dicam, nihil me adhuc in hoc genere legiſſe ornatius, nihil eruditius.* In oratione ornatiſſima, qua defunctũ magiſtrum diſcipulus Franciſcus Bencius noſter cumulatè laudauit, cum omnia vera, tum illud veriſſimum, eius vel ipſo commemorato nomine ſingularem quandam ſpeciem eruditionis atq; eloquentiæ animis audientium occurrere. De inſulis Fortunatis vide Strab. lib. 1. & in eundem notas Caſaubon. & Diodorum lib. 5.

Supereſt vt Apuleium quoq; audiamus, qui in deſcriptionibus creber eſt. Vbi nullæ nubes cælũ aſperant, nulla bruma ſegetes extinguit, nulli æſtus adurũt: ſed puro, incorruptoq; aeris tractu liquidi, ac pellucidi fontes cãpos alluunt, paten-

tesque

teſque hinc inde plagæ, & amœna ſeu ſalubritate montium, ſeu planitierum æquabilitate regio homines alit genio loci, & fortuna ſua dignos. Non illic in honore ſupellex curioſa, non gemmæ, non imperium, non opes, non ea omnia, quibus impotens hominum libido pretium fecit. Qualis hæc terra, quæ ſponte ſua, nullis ſubacta ligonibus auctumno fructus omnis eſt ferax, vere primo flores humo exerit? hyeme aprica eſt; nemore, & fonte frigeſcit?

IV. *Spectrum Athenienſe.*

Ex epiſt. Plinii 27. lib. 7.

ERat Athenis ſpatioſa, & capax domus, ſed infamis, & peſtilens. Per ſilentium noctis ſonus ferri: &, ſi attenderes acrius, ſtrepitus vinculorum longius primò, deinde proximè reddebatur. Mox apparebat idolon, ſenex macie, & ſqualore confectus, promiſſa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatque: inde inhabitantibus triſtes, diræque noctes per metum vigilabantur: vigiliam morbus, & creſcente formidine mors ſequebatur. Nam interdiu quoque, quanquam abſceſſerat imago, memoria imaginis oculis inhærebat; longiorſq; cauſſa timoris timor erat. Deſerta inde, & damnata ſolitudine domus, totaque illi monſtro relicta: proſcribebatur tamē, ſeu quis emere, ſeu quis conducere ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas Philoſophus Athenodo-

nodorus, legit titulum, auditoque pretio, ſuſpecta vilitas erat; percunctatus omnia docetur: ac nihilominus, immò tantò magis conducit. Vbi cœpit adueſperaſcere, iubet ſterni ſibi in prima domus parte. Poſcit pugillares, ſtylum, lumen: ſuos omnes in interiora dimittit, ipſe ad ſcribēdum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita ſimulacra, & inanes ſibi metus fingeret. Initio, quale vbique ſilentium noctis, Deinde concuti ferrum, vincula moueri: ille non tollere oculos, non remittere ſtylum; ſed obfirmare animum, auribusque prætendere. Tum crebeſcere fragor, aduentare etiam: ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri; reſpicit, videt, agnoſcitque narratam ſibi effigiem. Stabat, innuebatque digito, ſimilis vocanti. Hic contra vt paululum exſpectaret, manu ſignificat, rurſusque ceris, & ſtylo incumbit. Illa ſcribentis capiti catenis inſonabat. Reſpicit rurſus idem quod prius innuentem: nec moratur: tollit lumen, & ſequitur. Ibat illa lento gradu, quaſi grauis vinculis. Poſtquam deflexit in aream domus, repente dilapſa deſerit comitem. Deſertus herbas, & folia concerpta ſignum loco ponit. Poſtero die adit magiſtratus, monet vt illum locum effodi iubeant. Inueniuntur oſſa inſerta catenis, & implicita, quæ corpus æuo, terraque putrefactum, nuda & exeſa reliquerat vinculis. Collecta publicè ſepeliuntur: domus poſtea ritè conditis manibus caruit.

De vmbrarum figuris, Romæ in quibusdam ædibus à ſe viſis per noctem, non diſſimilia. Alexand. ab Alex.lib.5. cap.23.

V. *Cælum, Terra, Mare.*

Ex Seneca, Conſolat. ad Marciam, cap.18.

CÆLVM.

PVta naſcenti me tibi venire in conſilium. Intraturus es vrbem dijs hominibusq; communem (*Lipſius. Id eſt, hunc orbem. Cic.3. de finibus. Mundum eſſe cenſent Stoici quaſi communem vrbem, & ciuitatem hominum, & deorum. Nos Phyſ. 2. Diſſert.7.*) omnia complexam, certis legibus, æternisq; deuinctam, indefatigata cæleſtium officia voluentem. Videbis illic innumerabiles ſtellas, miraberis vno ſidere (ſole) omnia impleri: ſolem quotidiano curſu diei, noctisq; ſpatia ſignantem; annum in æſtatem, hyememque æqualiter diuidentem. Videbis nocturnam lunæ ſucceſſionem, à fraternis occurſionibus lene, remiſſumq; lumen mutuantem; & modo occultam, modo toto ore terris imminentem, acceſſionibus, damnisq; mutabilem, ſemper proximæ diſſimilem. Videbis quinque ſydera, diuerſas agentia vias, & in contrarium præcipiti mundo nitentia (*proprio ſuo motu lata, contra primum illum motum.*) Ex horum leniſſimis motibus fortunæ populorum dependent: & maxima, ac minima proinde formantur, prout æquum iniquũue ſidus inceſſit. (*Et hic, & ſæpius fata nectit a-*

ſtris: neq; his quinq; tantum, ſed omnibus. Vide Phyſiol. 2. Diſſert. 14.) Mirabeͬis collecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & cæli fragorem.

TERRA.

Cum ſatiatos ſpectaculo ſupernorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia forma rerum, aliterque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fuſa planities: hinc montium magnis, & niualibus ſurgentium iugis erecti in ſublime vertices, deiectus fluminum, & ex vno fonte in orientem, occidētemq; defuſi amnes: & ſummis cacuminibus nemora nutantia, & tantum ſyluarum cum ſuis animalibus, auiumque concentu diſſono. Varij vrbium ſitus, & ſeclusæ nationes locorum difficultate. Quarum aliæ ſe in erectos ſubtrahunt montes, aliȩ ripis, lacu, vallibus, palude circunfunduntur: adiuta cultu ſeges, & arbuſta ſine cultore fertilia, & riuorum lenis inter prata diſcurſus, & amœniſſimus, & littora in portum recedentia, ſparſæ tot per vaſtum inſulæ, quæ interuentu ſuo maria diſtinguunt. Quid lapidum, gemmarumq; fulgor, & inter rapidorum curſum torrentium aurum arenas interfluens *(vt in Tago, Pactolo, Hermo, hodie India noua fluentis.)*

MARE.

Et in medijs terris, medioque rurſus mari nitentes ignium faces *(quas in medio mari ponit, inſulis nempe, aut collibus, qui ibi ſic ardent, Vulca-*

CXIV. *Perverſè retortum.*

DIues repererat forte ducatum. Quo viſo pauperculus dixit indignabundus, en, bona fortuna illum potius quam me reſpicit. Tum diues, prauè ſentis. Nam ſi tu iſtum ducatum inueniſſes, cum ſtatim expendiſſes, & abs te repuliſſes: ego vero illum conſeruabo, & inter alios eius æquales retir ebo.

CXV. *Moriantur otioſi.*

CVm vir quidā probus tempore Leuctrici belli morbo perijſſet, dixit per iocum Epaminondas, Papę, quo pacto fuit otium moriendi homini in tam multis negotijs? Plutarch. de tuend. valetud.

CXVI. *Vanè glorioſus.*

CRocodilus generis ſui nobilitatem, ſuaque, & maiorum ſuorum præclara facinora apud vulpem extollebat: cui argutè illa reſpondit: ex cute (teſtacea videlicet, & aſperrima) vetus eius, ac diuturnum exercitium eo vel tacente poſſe intelligi. Pierius. lib. 29.

CXVII. *Ne fucum facias.*

CHij Oratorem ſenem ad Lacedæmonios deſtinauerunt: qui, quod eum puderet ſenectutis, canitiem fucis fucauerat. Cùmque is publice dicere incœpiſſet, ſurrexit Archidamus in ea tum republ. princeps, dixitque, Quam obſecro ſermonis fidem habiturus eſt hic, qui mendacium

dacium non in anima ſolum, verumetiam in capite circumfert? Pierius lib. 31. ex Theophraſto.

CXVIII. *O dij non dij Cæſares.*

COnſecrare diuinis honoribus, ſeu inter deos referre Imperatores mortuos mos Romanis fuit inde vſque à Iulio Cæſare. Inde iocus Veſpaſiani Aug. qui, vt tradit Suetcn. cap. 24. ne in me:u quidem, ac periculo mortis facere dictis abſtinuit. Nam cum inter prodigia cætera Mauſolæum Cæſarum derepente patuiſſet, & ſtella crinita apparuiſſet: alterum ad Iuniam Caluinam è gente Auguſti pertinere dicebat: alterum ad Parthorum regem, qui capillatus eſſet. Prima quoq; morbi acceſſione, vt, inquit, puto, deus fio.

CXIX. *Lingua interdum præcurrit mentem.*

VIR nobilis cum ſeruo ſecundo fluuio deuehebatur. Quẽ cum ſomnus vrgeret, eidem ſeruo mandauit, vt cum ad vorticem, locum periculoſum ventum eſſet, ſeſe expergefaceret. Seruus videns dominum placidè conſopitum, & iucundam eius quietem interrumpere nolens, diſſimulauit. Euigilat dominus, &, num prope vorticem ſumus? Atqui, ait ſeruus, iam eum tranſiuimus. Hîc ille iratus, peſſime, inquit: te ſic negligere mandata mea? ſi ſic dormiens ſummerſus perijſſem, iſtoc te gladio confodiſſem.

ſtentibus, & igneo flatu: quales ad bella exci-tãnda, diſcordiãq; in populos diuidendã, pacẽq; lacerandã, teterrimæ inferûm exeunt Furiæ: talem nobis iram figuremus, flamma lumina ardentia, ſibilo, mugituq; & gemitu, & ſtridore, &, ſi quæ his inuiſior vox eſt, perſtrepentem; tela manu vtraque quatientem. Neque enim illi regere ſe curæ eſt, toruam, cruentamque, & cicatricoſam, & verberibus ſuis liuidam, inceſſibus veſanis, offuſam multa caligine, incurſitantem, vaſtantem, fugantemque, & omnium odio laborantem, ſui maximè: ſi aliter nocere non poſſit, terras, maria, cœlum ruere cupientem, infeſtam pariter inuiſamque. Vel, ſi videtur, ſit qualis apud vates noſtros eſt.

Sanguineũ quatiens dextrâ Bellona flagellum,
Aut ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla.

aut ſi qua magis dira facies excogitari diri affectus poteſt. Aliam deſcriptionem habes lib. 1. cap. 1. & rurſus lib. 3. cap. 4. Magnus Orator Gregorius Nyſſenus lib. de 8. Beatitudinibus huiuſcemodi deſcribens iratum, cum energumeno, ſeu dęmoniaco audet comparare. Verba eius protuli in Symb. ad XII. Æneid. principio, vbi Turni furor exprimitur.

II. *Lætitia, & plauſus pop. Rom. ſuper ingreſſu Traiani Imp. & victoris,*

Ex

Ex Panegyrico C. Plinii eidem dicto.

AC primùm, qui dies ille, quo exſpectatusq;ſ deſideratusq; vrbem tuam ingreſſus es? Iam hoc ipſum quod ingreſſus es, quàm mirum, lætumq; ? Nam priores inuehi, & importari ſolebant, non dico quadriiugo curru, & albentibus equis, ſed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu ſola corporis proceritate elatior aliis, & excelſior, non de patientia noſtra triumphum, ſed de ſuperbia Principum egiſti. Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardauit, quò minus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te paruuli noſcere, oſculari iuuenes, mirari ſenes. Aegri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatemq; prorepere. Inde alij ſe ſatis vixiſſe te viſo, te recepto: alij nunc magis eſſe viuendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis ſuę maxima voluptas ſubijt, cùm cernerent, cui Principi ciues, cui Imperatori milites peperiſſent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non niſi ſuſpenſum, & inſtabile veſtigium caperet; oppletas vndique vias, anguſtumq; tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum, vbiq; par gaudium, paremq; clamorem. Tam æqualis ab omnibus ex aduentu tuo lætitia percepta eſt, quàm omnibus veniſti: quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo creuit, ac propè in ſingulos gradus adaucta eſt. Gratum erat, cunctis,

quod

quod ſenatum oſculo exciperes, vt dimiſſus oſculo fueras. Gratum, quod equeſtris ordinis decora honore nominum ſine monitore ſignares. Gratum, quod tantummodo vltrò clientibus ſalutaris, quaſdam familiaritatis notas addetes. Gratius tamen, quòd ſenſim, & placidè, & quantum reſpectantium turba pateretur, incederes: quòd occurſantium populus te quoque, te immò maximè aſtaret: quòd primo ſtatim die latus tuum crederes omnibus. Neque enim ſtipatus ſatellitum manu, ſed circumfuſus vndique nunc Senatus, nunc equeſtris ordinis flore prout alterum frequentiæ genus inualuiſſet, ſilentes, quietosq; lictores tuos ſubſequebare. Nam milites nihil à plebe habitu, tranquillitate, modeſtia differebant. Vbi verò cœpiſti Capitolium aſcendere, quàm læta omnibus adoptionis tuæ recordatio? quàm peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco ſalutauerant Imperatorem? quin etiam deum ipſum tunc præcipuam voluptatem operis ſui percepiſſe crediderim, &c.

Scitam, & ſuper Gręcas, Latinasq; laudatam laudationem hanc appellat præfat. Commentarij ſui Lipſius. Panegyricum hunc emendandum mittit Romano, epiſt. 13. lib. 3. quam claudit memorabili clauſula. Annota quæ putaueris corrigenda. Ita enim magis credam cætera tibi placere, ſi quædam diſplicuiſſe cognouero.

III. *Inſulæ fortunatæ.*

Ex M. Antonio Mureto, Variar. lib. 5. cap. 1. & Apuleio Mileſiarum lib. 1.

PRoditum eſt à veteribus poëtis, eſſe quaſdam in Oceano inſulas, ad quas poſt mortem deferantur eorum animi, qui ſanctè religioſeq; vixerint. Ibi eos inter ſe iucundiſſimè, ac ſuauiſſimè viuere, in amœniſſimo quodam prato, quod gemmea florum, oculis, naribusque gratiſſimorum varietate perpetuò diſtinctum, picturatumque ſit. Nunquam non illic nitere cælum, frondere arbores, pubeſcere herbas, ridere omnia. Spirare aſſiduè molliſſimos Fauonios, quorum flabellis arborum comæ leniter ventilatæ, placidiſſimo murmure auribus blandiantur. Eò accedere innumerabilem vim, ac copiam imortalium auicularum, quæ vſque & vſque liquidiſſimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulceant. Pratum ipſum perennibus riuulis variè interſecari; quorum aqua nitidiſſima ad verſicolores lapillos molliter fracta, & alliſa ſuſurrum efficiat dulciſſimum. Ita quà floſculorum ambroſios odores exhalantium ſuauitate, quà Zephyrorum viridantibus arborum ramis illudentium ſibilo, quà volucrum concentibus, quà blando murmurantium riuulorum ſtrepitu beatas illas mentes continenter hilarari. Ergo alios ad Orphei, Amphionisúe lyram choreas agi-

ſtare, alios pſallere, alios corollas texere, alios in herba fuſos, quà tellus tremulis laurorum, ac myrtorum opacatur vmbraculis, iucundiſſimos ſermones conſerere: humum ipſam opum ſuarum prodigam, ſine vllo cultu ter quotquot annis, vbertate ſumma alimentorum copiam eis ſuggerere, ac ſubminiſtrare.

Iudicium Pauli Manutij de varijs lectionibus Mureti, hoc eſt, epiſt. 27. lib. 3. *Reuerſus è foro Iulii reperi librum tuum variarum lectionum, quem apud Sixtum Medicem, communem amicum, excellentem virum reliqueras. Noli exſpectare iudicium meum. Malo enim te ab aliis quid de tuis ſtudiis, quid de ingenio exiſtimem, quàm à me ipſo cognoſcere. Vnum tamen illud non minus verè, quàm liberè dicam, nihil me adhuc in hoc genere legiſſe ornatius, nihil eruditius.* In oratione ornatiſſima, qua defunctũ magiſtrum diſcipulus Franciſcus Bencius noſter cumulatè laudauit, cum omnia vera, tum illud veriſſimum, eius vel ipſo commemorato nomine ſingularem quandam ſpeciem eruditionis atq; eloquentiæ animis audientium occurrere. De inſulis Fortunatis vide Strab. lib. 1. & in eundem notas Caſaubon. & Diodorum lib. 5.

Supereſt vt Apuleium quoq; audiamus, qui in deſcriptionibus creber eſt. Vbi nullæ nubes cælũ aſperant, nulla bruma ſegetes extinguit, nulli æſtus adurũt: ſed puro, incorruptoq; aeris tractu liquidi, ac pellucidi fontes cãpos alluunt, patentesque

teſque hinc inde plagæ, & amœna ſeu ſalubritate montium, ſeu planitierum æquabilitate regio homines alit genio loci, & fortuna ſua dignos. Non illic in honore ſupellex curioſa, non gemmæ, non imperium, non opes, non ea omnia, quibus impotens hominum libido pretium fecit. Qualis hæc terra, quæ ſponte ſua, nullis ſubacta ligonibus auctumno fructus omnis eſt ferax, vere primo flores humo exerit? hyeme aprica eſt; nemore, & fonte frigeſcit?

IV. *Spectrum Athenienſe,*

Ex epiſt. Plinii 27. lib. 7.

ERat Athenis ſpatioſa, & capax domus, ſed infamis, & peſtilens. Per ſilentium noctis ſonus ferri: &, ſi attenderes acrius, ſtrepitus vinculorum longius primò, deinde proximè reddebatur. Mox apparebat idolon, ſenex macie, & ſqualore confectus, promiſſa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatque: inde inhabitantibus triſtes, diræque noctes per metum vigilabantur: vigiliam morbus, & creſcente formidine mors ſequebatur. Nam interdiu quoque, quanquam abſceſſerat imago, memoria imaginis oculis inhærebat: longiorſq; cauſſa timoris timor erat. Deſerta inde, & damnata ſolitudine domus, totaque illi monſtro relicta: proſcribebatur tamẽ, ſeu quis emere, ſeu quis conducere ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas Philoſophus Athenodo-

nodorus, legit titulum, auditoque pretio, ſuſpecta vilitas erat; percunctatus omnia docetur: ac nihilominus, immò tantò magis conducit. Vbi cœpit adueſperaſcere, iubet ſterni ſibi in prima domus parte. Poſcit pugillares, ſtylum, lumen: ſuos omnes in interiora dimittit, ipſe ad ſcribẽdum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita ſimulacra, & inanes ſibi metus fingeret. Initio, quale vbique ſilentium noctis, Deinde concuti ferrum, vincula moueri: ille non tollere oculos, non remittere ſtylum; ſed obfirmare animum, auribusque prætendere. Tum crebeſcere fragor, aduentare etiam: ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri: reſpicit, videt, agnoſcitque narratam ſibi effigiem. Stabat, innuebatque digito, ſimilis vocanti. Hic contra vt paululum exſpectaret, manu ſignificat, rurſusque ceris, & ſtylo incumbit. Illa ſcribentis capiti catenis inſonabat. Reſpicit rurſus idem quod prius innuentem: nec moratur: tollit lumen, & ſequitur. Ibat illa lento gradu, quaſi grauis vinculis. Poſtquam deflexit in aream domus, repente dilapſa deſerit comitem. Deſertus herbas, & folia concerpta ſignum loco ponit. Poſtero die adit magiſtratus, monet vt illum locum effodi iubeant. Inueniuntur oſſa inſerta catenis, & implicita, quæ corpus æuo, terraque putrefactum, nuda & exeſa reliquerat vinculis. Collecta publicè ſepeliuntur: domus poſtea ritè conditis manibus caruit.

ſtris: neq; his quinq; tantum, ſed omnibus. Vide Phyſiol. 2. Diſſert. 14.) Miraberis collecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & cæli fragorem.

TERRA.

Cum ſatiatos ſpectaculo ſupernorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia forma rerum, aliterque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fuſa planities: hinc montium magnis, & niualibus ſurgentium iugis erecti in ſublime vertices, deiectus fluminum, & ex vno fonte in orientem, occidétemq; defuſi amnes: & ſummis cacuminibus nemora nutantia, & tantum ſyluarum cum ſuis animalibus, auiumque concentu diſſono. Varij vrbium ſitus, & ſeclusæ nationes locorum difficultate. Quarum aliæ ſe in erectos ſubtrahunt montes, alię ripis, lacu, vallibus, palude circunfunduntur: adiuta cultu ſeges, & arbuſta ſine cultore fertilia, & riuorum lenis inter prata diſcurſus, & amœniſſimus, & littora in portum recedentia, ſparſæ tot per vaſtum inſulæ, quæ interuentu ſuo maria diſtinguunt. Quid lapidum, gemmarumq; fulgor, & inter rapidorum curſum torrentium aurum arenas interfluens *(vt in Tago, Pactolo, Hermo, hodie India noua fluentis.)*

MARE.

Et in medijs terris, medioque rurſus mari nitentes ignium faces *(quas in medio mari ponit, inſulis nempe, aut collibus, qui ibi ſic ardent, Vulca-*

nia inſulæ tales, Aenaria, & plures) & vinculum terrarum Oceanus cõtinuationem gentium triplici ſinu ſcindens (*vide Phyſiol. lib.2. Diſſert.17.)* & ingenti licentia exæſtuans. Videbis his inquietis, & ſine vento fluctuantibus aquis, immani, & fidem excedenti magnitudine terrentia animalia, quędam grauia, & alieno ſe magiſterio mouentia. *(Plin.cap.vlt.lib. 9. Amicitiæ exempla ſunt Balæna, & Muſculus: quando prægraui ſuperciliorum pondere obrutis eius oculis, infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumq; vice fungitur)* quædam velocia, concitatis perniciora remigijs, quędam haurientia vndas, & magno prænauigantium periculo efflantia. Videbis hîc nauigia, quas non nouere terras quærentia. Videbis nihil humanæ audaciæ intentatum, erisque ei ſpectatrix, & ipſa magna pars conantium, &c.

Commoda maris doctè, & eleganter. D. Ambroſ. lib. 3. in Hexaëmeron cap.5. ſic enumerat. Bonum mare, tanquam hoſpitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuionum, inuectio commeatuum, quo ſibi diſtantes populi copulantur: quo præliorum remouentur pericula: quo barbaricus furor clauditur; ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubritas valetudinis: ſeparatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, ſubſidium vectigalium, ſterilitatis alimentum.

VI. Fa-

VI. *Famis σωματοποίησις. Et Eriſichthon ſacrilegus inſatiabiliter eſuriens.*

Ex Ouidii Metamorph. lib. 8.

DEorum omnium irriſor Eriſichthon quercum annoſam, & celebrem, Cererique cõſecratam ſacrilega impietate auſus eſt ſuccidere. Quæ virum inexplebili fame vt eradicet, vnam de nymphis ad ipſam Famem in Scythiam mittit, mandans, vt ſe in eius viſcera inſinuet, eumque diriſſimè excruciet.

Eſt locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triſte ſolũ, ſterilis, ſine fruge, ſine arbore tellus;
Frigus iners: illic habitant Pallorq; Tremorq;,
Et ieiuna Fames. Ea ſe in præcordia condat
Sacrilegi ſcelerata iube: nec copia rerum
Vincat eam: ſuperetq; meas certamine vires.
Neue viæ ſpatium te terreat: accipe currus:
Accipe quos frænis altè moderere dracones.
Et dedit, illa dato ſubuecta per aera curſu
Deuenit in Scythiam, rigidiq; cacumina montis
(Caucaſon appellant.) Serpentum colla leuauit,
Quæſitamq; Famem lapidoſo vidit in agro
Vnguibus, & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes.
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent:
Oſſa ſub incuruis extabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus: & à ſpinæ tantummodo crate teneri.

Auxerat articulos macies; genuumq́; tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.
Hanc procul vt vidit (neq; enim eſt accedere iuxta
Auſa) refert mandata deæ: paulumq́; morata,
Quanquam aberat longè, quanquam modo venerat illuc,
Viſa tamen ſenſiſſe famem, retroq́; dracones
Egit in Æmoniam verſis ſublimis habenis.
Dicta Fames Cereris (quamuis contraria ſemper
Illius eſt operi) peragit: perq́; aera vento
Ad iuſſam delata domum eſt: & protinus intrat
Sacrilegi thalamos: altoq́; ſopore ſolutum
(Noctis enim tempus) geminis amplectitur vlnis:
Seq́; viro inſpirat: faucesq́;, & pectus, & ora
Afflat, & in vacuis peragit ieiunia venis;
Functaq́; mandato fœcundum deſerit orbem.
Lenis adhuc ſomnus placidis Eriſichthona pennis
Mulcebat, petit ille dapes ſub imagine ſomni:
Oraq́; vana mouet, dentemq́; in dente fatigat:
Exercetq́; cibo deluſum guttur inani:
Proq́; epulis tenues nequicquam deuorat auras.
Vt verò eſt expulſa quies, furit ardor edendi:
Perq́; auidas fauces, immenſaq́; viſcera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Inq́; epulis epulas quærit: quodq́; vrbibus eſſe,
Quodq́; ſatis poterat populo, non ſufficit vni.
Pluſq; cupit, quò plura ſuam demittit in aluum.
Vtq́; fretum recipit de tota flumina terra:
Nec ſatiatur aquis, peregrinosq́; ebibit amnes:
Vtq; rapax ignis non vnquam alimenta recuſat:

Innumeraſq; faces cremat: &, quò copia maior
Eſt data, plura cupit, turbaq; voracior ipſa eſt:
Sic epulas omnes Eriſichthonis ora profani
Accipiunt, poſcuntq; ſimul. Cibus omnis in illo
Cauſſa cibi eſt: ſemperq; locus fit inanis edendo.
Iamq; fame patrias, altiq; voragine ventris
Attenuarat opes, ſed inattenuata manebat
Tum quoq; dira fames, implacataq; vigebat
Flamma gulæ. Tandem demiſſo in viſcera cenſu
Filia reſtabat, non illo digna parente.
Hanc quoq; vendit inops.

Exempla quàmplurima famis ſæuiſſimæ diuerſis in prouincijs, qua compulſi homines à naturæ conſortibus non abſtinuerunt, humanaſq; carnes deuorarunt, congeſſit in cap. 12. lib. 17. Horar. ſubſeciuarũ ſuarum Lælius noſter Biſciola.

VII. *Paradiſus.*

Ex Annalibus Conſtantini Manaſſis.

VIxit hic Conſtantinus ànte años plus CCCCL. & à mundi primordijs exorſus, verſibus quos vocãt Politicos, ſeu ciuiles, in maximis Imperijs res geſtas vno Annaliũ libro ſuccinctè, vſque ad Nicephorũ Botoniaten Imp. explicauit. Soluta oratione eum reddidit Leunclaius.

Quum ſextus autem (dies) appeteret, hortũ pulcherrimis arboribus inſignem deus condidit, non fodiendo, non terrã colendo, non conſerendo, ſed verbo, & ſermone ſolo: cuius impe-

tio quæuis eo loco proueniebant arbores, ſuauiter redolentes, vmbriferæ, vireſcentes. Quis nã, obſecro, venuſtatem Edenis poſſit oculis ſubijcere? Iſtic arborum fructiferarum ordines erant; hic plantarum fragrantium, & perpetuò virentium non exigua copia: rurſus ab alia parte cælum æquantes arbores voluptatis cauſſa conditæ florebant, platanus irrigua, ſublimis abies, excelſæ pinus, cupreſſi, vlmi. Rami arborum mutuo ſe contingebant, & folia ſeſe velut amabili complexu excipere videbantur. Etiam fructus dulciſſimi proueniebant, ſole in arbores incidente, ac ſenſim per rimas foliorũ penetrante. Fulgebant paſſim roſæ cum lilijs. Et quidem eo tempore ſpinis roſæ tam purpureæ, quàm albæ, radiantis ſideris inſtar è terra germinantes carebant. Hic terræ ſuperficies viridi gramine ornata erat; illic herbæ non purpureæ tantùm, ſed variorum quoque colorum conſpiciebantur. Vndequaq; lenis ille Fauonius afflabat, & aëra florum fragrantia complebat. Inter hæc omnia vitæ lignum germinabat, ornatum ſingulari gratia & pulchris folijs, & fructibus. Ac fons aquã emittens è terra profluebat, arboreumq; locum Edenis irrigabat, plantarum radices, ac ſtipites aqua ſua potans, itemq; florum teneros ordines fouens. Poſtea quatuor in principia diuiſus, fit ampliſſimorum fluminum parens.

De paradiſo nos multa, &, quod ſpero, vtilia, nec iniucunda diſſeruimus Progymnaſmatũ noſtrorum

ſtrorum voluminis tertij parte prima, progymnaſ. VIII. quod item deſcriptione metrica illius ſpecioſiſſimi horti clauſimus: ſi quis eam forte legendam ſibi putauerit, quam legerunt, & probauerunt non pauci. Initium eſt,

Eoi ſalue pars formoſiſſima mundi,
Nobile ſupremi ſalue opus artificis, &c.

Multa de Paradiſo Petrus Galeſinus in Sulpitij ſacram hiſtoriam, pag. 328.

VIII. *Ebrius.*

A Libanio in Progymnaſmatis.

VInum ſi quis bibat moderatè, & corpori bonum conciliarit, neque animum læſerit. Sin egreſſus modum fuerit, & exceſſerit fines bibendi, vt iam inebrietur, huiuſmodi euenire neceſſe eſt. Vidi enim quendam ebrium in conuiuio, & abeuntem domum ſubſecutus ſum. Is cum nondum plenus eſſet, admodum moderata oratione vtebatur, eratque manſuetus, & proferebat interdum aliquid eruditi, neque ſalſis dictis perſtrictus iraſcebatur. At iam vino dominante corpus ipſum rubeſcere, ipſe animo commoueri; inque alios contumelioſus, iocantibus in ſe ſuccenſere: miniſtrum à poculis immerentem increpare. Tum ſcyphus è manu elabi, oculique & lingua peruerti. Cum ſurgendum, erectoribus, & ductoribus illi opus erat. Paſſus autem ſe vſque ad forum deduci. Huc cum veniſſet, ductorem dimittit, ſeq; conatur ipſe ſuſtentare:

neque tamen poterat, ſimilisq; erat delirantibus: cum huc illuc titubans ferretur, ſemperq; caſurus videretur, vnde riſus excitabatur. Nemo enim aderat, qui hęc aſpiciens riſum poſſet cohibere. Neceſſariorum quidem ſi quis laturus auxiliũ forte acceſſiſſet, neq; agnoſcebatur ab iſto, & genere rem indignam facere videbatur. Tandem vix domum delatus ſequentibus multis (voluptati enim alijs erat ebrij iſtius miſeria) cum obiurgare ſeruos, tum videri illi mulier malè rem domeſticam curaſſe, quæ nihil planè deliquerat. Nullis igitur verbis parcere: neq; tamen quidquam enuntiare planè atq; integrè, ſed nunc litteram, nunc plura etiam omittere. Poſtquam aſſedit, ædibus ſuccenſere, quæ nollent conſiſtere: clamabatq; diu ac multum, quaſi vis afferretur. Poſtremò extenſus iacuit, ſomnô morti ſimillimo. Quem cum admodum largum cepiſſet, illuceſcente iam die reuerſus ad ſe, cogitare quid in ebrietate ſibi accidiſſet: ipſe quidem certè ignarus omnium; ſed ab alijs de cunctis edocebatur.

Ex Plauti Moſtellaria.

CVm Philolaches adoleſcens haud bonę frugi nepotaretur domi cum Callidamate ſocio, & alijs, repente nuntiatur patrem Teuropidem peregrè aduenire. Quo nuntio exterritus filius, & quò ſe vertat, & quid agat neſcius hæret; Callidamatem ebrium iacentem, & conſopitum Tranio ſeruus ab ancilla excitari iubet. Ibi quid reſpon-

reſpondeat, & quàm decorè perſonam ebrij ſuſtineat, quæſo attende, & ride affatim.

PHILO. *Quid ego nunc faciam?* TR. *iube hæc hinc omnia amolirier.*

Quis iſtic dormit? PHIL. *Callidamates.*

TR. *Suſcita iſtum Delphium.*

DE. *Callidamates, Callidamates vigila.* CA. *vigilo, cedò vt bibam.*

DE. *Vigila, pater aduenit peregrè Philolachæ.*

CA. *Valeat pater.*

PHIL. *Valet ille quidem, atq; ego diſperii.* C. *Diſperiſti? qui poteſt?*

PHIL. *Quæſo ædepol exſurge; pater aduenit.*

C. *Tuus venit pater?*

Iube abire rurſum. quid illi reditio huc etiam fuit?

PHIL. *Quid ego agam? pater iam hic me offendet miſerum aduenìens ebrium,*

Aedes plenas conuiuarum. miſerum eſt opus

Igitur demũ fodere puteum, vbi ſitis fauces tenet: Sicut ego aduentu patris nũc quæro, quid faciam miſer.

T. *Ecce autem hic depoſuit caput, & dormit; ſuſcita.*

PHIL. *Etiam vigilas? pater, inquam, aderit iam hic meus.* C. *ain' tu pater?*

Cedò ſoleas mihi, vt arma capiam. Iam pol ego occidam patrem.

PHIL. *Perdis rem, tace, amabo. Abripite hunc intrò actutum inter manus, &c.*

Ex eiuſdem Pſeudolo.

Pſeudolus ſeruus ebrius.

QVid hoc? ſiccine hoc fit? pedes ſtatin' an non?
An id voltis vt me hic iacentē aliquis tollat?
Nam hercle ſi occidero, veſtrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? ah ſæuiendum mihi
Hodie eſt. Magnum hoc vitium vino eſt:
Pedes captat primùm: luctator doloſus eſt.

Ex Lucretij lib.3.

DEniq; cur, hominem cùm vini vis penetrauit,
Acris & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur grauitas membrorū? præpediūtur
Crura vacillanti? tardeſcit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt?

Effectus & incommoda ebrietatis lege apud Plinium, lib.14. cap.22.

IX. *Ex hiſtoria Ioannis Cantacuzeni lib. 4. cap.8. De Andronicis Impp. auo, & nepote, peſtilentiæ atrociſſimæ, & latiſſimè graſſantis ecphraſis accuratiſſima, ex interpretatione noſtra.*

A Scythis Hyperboreis incipiens, fermè omnes ortas maritimas peruaſit, magnamque indigenarum partem abſumpſit. Nec enim Pontum tantummodo, Thraciam, Macedoniam, ſed etiam Helladem, Italiam, Inſulas omnes, Ægyptum, Libyam, Iudæam, Syriam, & orbem

prope vniuerſum in circuitu permenſa, ac perpagata eſt. Sic autem erat incurabile malum, vt neque vlla diæta, neque robur corporis poſſet reſiſtere: cum omnia æquè valida vt imbecilla corpora proſternerentur: quíque maxima impenſa curabantur, non ſecus ac pauperrimi moriebantur. Et vacabat quidem à morbis cæteris annus ille. Quod ſi quis etiam ante aliquantum ægrotaret, omnia in illud morbi genus ſe exonerabant. Muſſabat ars medicorum tota. Nec ſimiliter omnes occupabat: ſed alij quidem continuò, nec paulùm durantes, ipſo die, quidam ipſa hora ponebant animas. Quotquot autem biduum, triduumue reſtitiſſent, primùm quidem febrem habebant acutiſſimam, & morbo caput inuadente elingues, & ad omnia quæ fierent ſtupidi reddebantur: ac velut ſomno profundo abſorbebantur. Si forte ad ſe redirent, loqui nitebantur illi quidem: ſed hæreſcente lingua, multa inarticulata, neruis in occipitio emortuis promebant, exſpirabantq; celerrimè. Alij non in caput, verùm in pulmones malum incidens, mox præcordia inflammabat, & dolores acutos circum pectus afferebat, & ſputa ſanguine contacta eijciebant: atque è viſceribus ſpiritus tetrum foras odorem voluebat. Fauces, & linguæ calore exaruerant, nigra & ſuffuſa ſanguine: nec plus proficiebant ſi multum, quam ſi parum biberent. Somno vel nullo poterant, & vndiquaque angebantur. In brachijs ſupra & in-

fra,

ſra, nõn paucis item in maxillis, & quibuſdã in alijs corporis partibus abſceſſus, ſiue vlcera, his maiora, illis minora exiſtebant, & nigræ papulę enaſcebantur. Quibuſdam velut atra ſtigmata per totum corpus erumpebant, alijs rariora, magiſq; conſpicua, alijs denſiora, & obſcuriora: & omnes perinde ex his omnibus moriebantur. Nonnullis enim cuncta hæc, alijs plura, aut pauciora contingebant. Compluribus vnicum duntaxat ex iſtis omnibus mortiferum erat. Quicunque verò de multis pauci euaſerant, non amplius eo malo corripiebantur ſic, vt etiam interirẽt: quamobrem rurſus correpti bene confidebant. Fiebant porrò magni abſceſſus in femoribus, aut in brachijs: quibus ſectis, multa, & fœtida ſanies effluebat, & morbus turbãte materia ſic emiſſa leuabatur. Complures his vniuerſis obſeſſi, præter opinionem conualeſcebant. Nec vllum vndecunq; certum auxiliũ inueniebatur. Quod enim vni ſalutare, alteri idem patienti venenum erat: alterq; ab alterius curatione morbum indipiſcebatur: & aceruabantur funera, quibus multæ domus vacuabantur, cum & incolæ, & brutæ animantes vnà cum dominis vitam redderent. Sed nihil erat deſperatione miſerabilius. Cum enim quis iam ægrum ſe ſentiebat, ſpes nulla incolumitatis relinquebatur: ac deſperabundi ſemetipſos abijciebant, morbumq; non mediocriter iſta deiectione, triſtitiaq; augentes, repente animas efflabant. Species igitur iſta ſuis

ſatis

ſtis exprimi verbis non poteſt. Vnde maximè intellectum eſt, non naturæ humanæ quiddam agnatum, & conueniens, ſed diuinitus immiſſam caſtigationem fuiſſe: multiq; inde ad ſanitatem mentis reuerſi, meliores euaſerunt: non illi modò, qui ea peſtilenria morti occubuerũt, ſed quotquot ea liberati vitam retinuerunt. Tunc enim vitijs omnibus deſertis, virtuti ſtudebant: multi facultates ſuas in pauperes diſtribuebant, etiam priusquam à morbo illo inuaderentur. Quod ſi affectos ſe deprehenderent, nemo tam lapideus erat, animoq; planè immedicabili, atque inſanabili, vt non pœnitentiam de peccatis ſuis præ ſe ferens, deo apud tribunal illud ſui ſaluandi aliquam occaſionem daret. Affert Procopius quoque deſcriptionem huiusce luis non ita vſitatæ, lib. 2. de bello Perſico, pag. 293.

X. *Maximè varius, pulcherrimus, amœniſſimus Terræ ornatus à principio orbis conditi.*

Ex Conſtantini Manaſſis Annalibus.

TVnc primum terra ſuis eſt ornamentis condecorata ſplendidius, quàm puella tenera, primumque viro deſponſa, quæ auro, & vnionibus veſte intertexta fulget. Renidebant venuſtæ violæ diuerſorum colorum, nimirum aliæ cærulea, aliæ purpureæ conſpiciebantur, aliæ ſubalbi colo-

coloris. Nec niuea deerant lilia, nec anagallides, nec hyacinthus, nec narciſſus, nec quidquã eorum omnium, primo quæ vere proueniunt. Spicas erat cernere quaſi ſtriatas, & onuſtas frumento; hedera ſerpebat nigris prædita folijs, corymbos quatiens; omnia perpulchra, rorida, ſplendida erant, terramq́; temperatis odoribus fragrantem reddebant. Herba paſſim mollis, ac viridis humi ſtrata, boum, equorũ, animalium cęterorum vſibus ſeruiebat. Præter huiusmodi telluris ornatum, quaſiq́; veſtem elegantiſſimã, aderat etiam plantarum copia, ramiq́; arborum venuſtis onuſti folijs, atque fructibus. Erat videre pulchram ceraſum, melleam palmam, fœcundam malum, florentes oliuas, dulceſcentes ficos, pinus pingues, abietes, quercus, vlmos. Ventus in ramos pineos delatus, ſuauiſſimum quoddam murmur in folijs efficiebat. Erat cernere vitem racemorum matrem, & palmitum ordines. Vua ſuccum nectareum continens palmitibus adhęrebat. Omnia fructus maturos habebant, omnia perfecta erant. Non extabat quippiam expers gratiæ venuſtatisq́; ſuæ, non quidquam imperfectum.

XI. *Regia Somni. Conditio. Tres eiuſdem filii præcipui.*

Ex Ouid. Metamorph. 11.

CEyx Trachinæ rex ad Clarium Apollinem conſulendum profectus, tempeſtate ſummerſus

merſus perijt. Pro eo vltra promiſſum tempus abſente, ne ſe fruſtra cruciet vxor fidiſſima Alcyone, ac ſibi precibus moleſta ſit, Iuno Iridem ad ſomnum mittit, iubens vt is miſeræ per quietem virum aquis præfocatum repræſentet. Somni domicilium perquam ingenioſè, & ad naturam ſomni, dormientiumque accommodatiſſimè deſcribitur. Abſunt illic omnia, quæ ſoporem turbare, & impedire: adſunt contra omnia, quæ illum conciliare, & inducere poſſunt. A Luciano in 2. verarum narrationum Somni ciuitatem, quam ſomnia inhabitant, deſcriptam habemus. Recitat Natalis lib. 3. cap. 14. Nunc Ouidio demus aures.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cauus, ignaui domus, & penetralia Somni,
Quo nunquam radiis oriens, mediuſúe, cadenſúe
Phœbus adire poteſt. nebulæ caligine miſtæ
Exhalantur humo, dubiæq; crepuſcula lucis.
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Euocat auroram: nec voce ſilentia rumpunt
Sollicitiúe canes, canibusq; ſagacior anſer.
Non feræ, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanaúe ſonum reddunt conuicia linguæ.
Tuta quies habitat: ſaxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Lethes: per quē cum murmure labens
Inuitat ſomnos crepitantibus vnda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræq; herbæ; quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

Ianua, ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota eſt: cuſtos in limine nullus.
At medio torus eſt ebeno ſublimis in antro
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus:
Quo cubat ipſe Deus membris languore ſolutis.
Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia vana iacent: totidem, quot meßis ariſtas,
Sylua gerit frondes, eiectat littus arenas.
Quò ſimul intrauit, manibusq; obſtantia virgo
Somnia dimouit: veſtis fulgore reluxit
Sacra domus: tardaq; deus grauitate iacentes
Vix oculos tollens, iterumq; iterumq; relabens,
Summaq; percutiens nutanti pectora mento,
Excußit tandem ſibi ſe: cubitoq; leuatus,
Quid veniat (cognouit enim) ſcitatur: at illa:
Somne quies rerum, placidißime Somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparasq; labori:
Somnia quæ veras æquant imitamine formas,
Herculeam Trachina iube, ſub imagine regis
Alcyonen adeant, ſimulacraq; naufraga fingant.
Imperat hoc Iuno. Poſtquam mandata peregit
Iris, abit: neque enim vlterius tolerare ſoporis
Vim poterat: labiq; vt ſomnum ſenſit in artus,
Effugit, & remeat per quos modo venerat arcus.
At pater è populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremq; figuræ
Morphea, non illo iuſſos ſolertior alter
Exprimit inceſſus, vultumq; ſonumq; loquendi.
Adiicit & veſtes, & conſuetiſſima quæq;
Verba

Verba: ſed hic ſolos homines imitatur: at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens.
Hunc Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Eſt etiam diuerſa tertius artis
Phantaſos: ille in humum, ſaxumq́ue, vndamq́ue trabemq́ue,
Quæq́ue vacant anima fallaciter omnia tranſit.
Regibus hi, ducibusq́ue ſuos oſtendere vultus
Nocte ſolent: populos alii, plebemq́ue pererrant.
Præterit hos ſenior, cunctisq́ue è fratribus vnum
Morphea, qui peragat Thaumatidis edita Somnus
Eligit, & rurſus molli languore ſolutus
Depoſuitq́ue caput, ſtratoq́ue recondidit alto.

XII. *Senex centenarius, adhuc viuax, virens, validus, vegetus.*

Ex S. Hieronymo. epiſt. xxi. ad Paulum Concordienſem.

Item de quodam Indo trecentenario.

OCuli puro lumine vigent, pedes imprimũt certa veſtigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidũ, & ſucci plenũ: cani cum rubore diſcrepant: vires cum ætate diſſentiunt. Non memoriæ tenacitatem, vt in pleriſque cernimus, antiquior ſenecta diſſoluit: non calidi acumen ingenij frigidus ſanguis obtundit: non contractam rugis faciem arata frons exaſperat: non deniq; tremula manus per

curuos ceræ tramites ſtylum ducit. Futuræ nobis reſurrectionis virorem in te dominus oſtendit: vt peccati ſciamus eſſe, quod cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne; iuſtitiæ, quod tu adoleſcentiam in aliena ætate mentiris. Et quanquam multis iſtam corporis ſanitatem, etiam peccatoribus euenire videmus, tamen illis diabolus hoc miniſtrat, vt peccent: tibi dominus præſtat, vt gaudeas. Hæc Hieronymus. Sane hic ſenex non ſenſit onus miſerum, & graue, vt Terentius ſenectutem appellat: nec νόσον φυσικὴν, vt Ariſtoteles; nec morbum inſanabilem vt Seneca; & effugit quod apud Athenæum affirmat Antiphanes; ad ſenectutem velut ad officinam omnia confluere mala.

De Moyſe Iſraelitarum magno duce ac rectore ſcriptum extat Deuteron. cap. 24. vixiſſe centum & viginti annos. *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.* Scribit quidam de cruda, & viridi ſenectute ſua hunc in modum. Ad hanc vſq; ætatem perpetuò verſor in laboribus. Senex vnus quatuor iuuenũ robuſtorũ ſuſtineo ſarcinã. Non caligant oculi, gratia deo: multi mirantur iam olim nõ eſſe prorſus exoculatũ. Conſpicillis nunquam ſum vſus hactenus neq; interdiu, neq; ad lucernã. Scipionem nunquã attigi: firmis pedibus, & alacriter ingredior. Manus minus tremunt quam vlli iuueni. Calculus indies fit mitior: & ſi moderer ſtudiorum labores, fauente deo poſſim adhuc integris ſenſibus XIV.

annos

annos viuere. Qui mecum viuunt, nec ingenij, nec memoriæ magnam in me imminutionem ſentiunt. Pæne incredibilia narrat Maffeius Hiſtor. Indicar. lib. 11. Dum hæc parantur, quidam è Gangaridum gente Prætorem adijt, natus, vt ferebatur, annos c c c x x x v. neque mendacij ſuſpicio ſuberat: nam & ſeniores qui tum erant, ſe de hoc eodem grandeuo aiebant à maioribus accepiſſe: & ipſe filium habebat nonagenarium: & cum literam noſſet nullam, quæ referebantur ab eo, veterum geſtis rebus ad fidem annalium optime congruebant. Huic aliquoties iam deciderant dentes, alijs continuo ſubnaſcentibus: & barba vbi prorſus incanuiſſet, in atrum denuo colorem, idq; paulatim ſemetipſa vertebat, &c.

Aduentans ſenectus, cum precatione.

Ex Tarquinio Frangipane.

Iam nix alta comas tegit,
Et rugas facies contrahit aſpera.
Iam verba ore pigro haſitant,
Criſtalli auxilio luminaq; indigent.
Iam aures tardius hauriunt
Emiſſa ſonitum vocis, & in dies
Senſus quilibet interit.
Annorum iam humeri pondere maximo
Curuantur, pedibus ferunt
Infirmis baculo ſubſidium manus.
Vires corporis aridi

Senſim deficiunt, & vigor igneus
Sic abſumitur, vt breui
Extinguar ſpatio: languida ſicuti
Lampas cum viridis liquor
Defecit, tremula luce caret ſtatim.
Sed quid? Nunc pereat licet
Paulatim gelidis flamma ſub artubus
Vitalis: tamen vndiq;
Me ſanctis adeo concremat ignibus
Diuorum pater optimus,
Vt iam non homo ſim; feruet at æſtuans
Ignis, flammaq; torrida,
Et tanquã Aetna. Precor, te precor omniũ
Rerum ingens opifex, dies
Seu terras nitido lumine, ſeu nigro
Nox velamine conteget,
Quod vitæ ſupereſt, da igne tuo ardeam,
In quo purificer nitens
Auro lucidus, ſæpius in leui
Quod flamma bonus artifex
Excudens facili nobile opus manu
Atris ſordibus exuit:
Vt, cum mors rapidas intulerit manus,
Flammis è mediis velut
Phœnix exoriens protinus explicem
Alas, & patrium cito
Vectus remigio peruolem ad æthera.

Omnium ætatum certus eſt terminus, ſenectutis nullus certus. Cic. in Cato. Crudam, & viridem ſenectutem eam definiunt medici, quæ nego-

negotijs ſuſtinendis, ac tractandis adhuc valet, quales ſenes Galeno ὠμογέροντες, crudi ſenes dicuntur, ſemicani iam ab anno ætatis L. ad LX. Eiuſmodi inducitur à Marone Charon. lib.6.

XIII. *Pygmæi Herculem dormientem inuadentes.*

Ex Philoſtrati Iconibus lib.2.

HErculem in Libya dormientem poſt Antæum ſuperatum Pygmæi adoriuntur, fratres ſe dicentes Antæi, & illum velle vlciſci. Illis igitur vt terrigenis è terra prodeuntibus concitatur arena. Nam æquè vt formicæ terram habitant, forumq; reponunt, cibaria ſub terra recondunt. Non aliena autem, ſed peculiaria, proprijſque manibus culta depaſcuntur: nam & ſerunt, & metunt, pygmæisq; bigis (paruiſſimis) præſunt. Securi autem in ſpicas vti dicuntur, quod eas eſſe arbores arbitrentur. Sed ô temeritatem. In Herculem hi, & dormientem ſe interfecturos aſſerunt: nec vigilantem quidem formidaturos. Ipſe verò in molli dormit arena, cum ex palæſtra eum defatigatio teneret. Totis autem viribus anhelitum trahit, ſomno approbè irrigatus. Ipſe quoque ſomnus ſumpta ſpecie aſtat, magni (puto) faciens, quod Herculem vicerit. Latet & Antæus. Cæterùm ars Herculem quidem ſpirantem, ac trepidum, Antæum verò exanimum, atque aridum pingit, terræq; ipſum relinquit. Pygmæorū autem exercitus Herculem circūuallant:

& vna quidem hæc phalanx ſiniſtram petit manuum; hæ verò duæ cohortes in dextram, vt validiorem, caſtra mouent, & ſagittarij, ac funditorum turba pedes obſident, tibiarum magnitudinem admirantes. Sunt qui caput oppugnant, inter quos rex locatus eſt, cum hæc corporis pars validiſſima videatur. Vt in arcem machinas impellunt, ignem in comam, in oculos ſarculum, folles ori ac naribus admouent, ne Hercules, cũ capite captus fuerit, ſpirare queat. Hæc quidem circa dormientem. Ecce autem vt erigitur, vtq; in diſcrimine ridet? hoſteſque vniuerſos colligens in bouis pellem congerit, &, vt puto, ad Euryſtheum fert.

Ex hac icone Alciatus Emblema octauum ſupra quinquageſimum compoſuit, In eos qui ſupra vires quidquam audent. Recitabo.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora ſomno
Sub picea, & clauam, cæteraq́ arma tenet,
Alcyden Pygmæa manus proſternere letho
Poſſe putat, vires non bene docta ſuas.
Excitus ipſe, velut pulices, ſic proterit hoſtem,
Et ſæui implicitum pelle leonis agit.

XIV. *Funus Sigiſmundi Auguſt. II. Poloniæ regis.*

Ex Pandect. Triumph. Franc. Modii Tom. 1. lib. 6. cap. 8.

CVm Sigiſmundus Aug. Sereniſs. Poloniæ rex quinquaginta iam annos exegiſſet, ac

lenta

lenta morbi diuturnitate confectus eſſet, ex hac vita emigrauit XIIX. Iulij, anno cIↄ, Iↄ. LXXII. Knyſiniæ, quò ſe Varſauia Lituaniam inuiſurus contulerat. De Knyſinia poſtea Tikocinam arcem, quam ipſe ædificauerat munitiſſimam, duobus milliaribus diſtantem, funus deductum, tandem Varſauiam, vno quaſi anno exacto, Varſauia Cracouiam cum magna Senatorum pompa regina ſorore ſequēte deducitur ad ſepulturam, in Pradnick curia ante vrbem deponitur. Triduo exacto, omnibus pro iuſtis perſoluendis tanto Principe dignis præparatis, XV. Februarij omnes Senatores, & Epiſcopi ac equites, qui ad funus cohoneſtandum, & exſpectationem futuri regis (Stephani Vaiuodæ Tranſyluaniæ, cuius aduentus iam nuntiabatur) conuenerant, lugubri veſtiti habitu, ad Sereniſs. reginam Annam, prudentiſſimam, piiſſimamque, & honoratiſſimam virginem in arcem ſeſe conferunt. Similiter matronæ illuſtres tetris velamentis capita obuolutæ conueniunt, quæ Principem mœſtam, adque adeò exanimatam ferè, & confectam lacrymis amanter, & diligenter conſolabantur. Hæc dum fierent, interim æreæ campanæ in omnibus ſacris ædibus ciuitatis, & circumquaque in pagis vicinis parœcialibus pulſabantur: ita vt & vrbs ipſa, & vicinia latè omnis perſonaret, Senatoribus reginam Pradnick vſque proſequentibus. Vnde mox funus plumbeo loculo depoſitum, ſerico villoſo nigro obductum, ſtemmatibus, &

inſignibus regni ornatum, octo equis abſolutæ nigredinis deducitur, aulicis circumquaq; ſerici villoſi tegumenta longè per terram errantia trahentibus. Sequebatur verò longè honeſtiſſimus illuſtrium, & ornatiſſimorum virorum comitatus, quibus omnibus vnus habitus atratus, & & lugubris erat. In his nobiliſſimi, grauiſſimiq; viri Legati externorum Principum, archiepiſcopi cum abbatibus conſpiciebantur. Regina mœſtiſſima à Legato ſummi Pontificis, & Venetorum oratore pedetentim deducebatur. Hinc XXXII. pheretra ſerico villoſo, & pannis aureis, holoſericoque pretiose tecta præferuntur cum inſignibus regijs. Equi XXXII. ſimiliter, omnis generis, & coloris holoſerico, ſericoq; tecti, & vtroq; latere inſignibus regni ornati ducuntur. Demum ſingularum prouinciarum vexilliferi vexilla terreſtria, armati, & equis inſidentes generoſis præferunt. Primò vexillum nigrum aulæ regiæ cum aquila alba coronata, expanſis ad volandum alis in campo rubro præferebatur: aquilam verò omnia inſignia prouinciarum regni cingebant. *Cætera vexilla cum eorum inſignibus breuitatis cauſſa omitto.* Ante funus regium magnificus dominus N. Maczieiouuski integra armatura cum equo tam affabrè facta & ſubtiliter, tam argento, & coloribus diſtincta, vt omnium oculos in admirationem ſui conuerteret, armatus, in manu gladium auratum, mucrone ad latus conuerſo geſtabat. Hunc ſequebatur

armi-

armiger, atra veſte circundatus, haſtæ cuſpide in terram conuerſa, cum vexillo, ſcutoque à læua, & inſignibus regijs armatus. Enſifer quoque regni, gladium mucrone ad latus conuerſum præferebat. Tum pomum, ſceptrum, corona aurea à ſenatoribus, quibus id competebat, portabantur. Legati autem ſingularum prouinciarum antecedebant. Poſt nobilitatem ſuccedebat vrbis ſenatus, & populus longo ordine. Omnis quoque clerus præibat, longiſſimo, honoratiſſimóq; & maximè venerabili agmine. Ex ludis deinde litterariis pueri de more antecedebant cum cantoribus, lugubres nænias decantantes. Hos almæ Academiæ Doctores, & magiſtri, omnisque ſtudioſorum ordo inſequebatur. Hinc pluſquam tria millia obſcuro, & triſti habitu veſtiti, cum funalibus, & candelis vndiq; collucentibus ibant. Vbi iam in arcem ventum eſt, in ædem cathedralem, quæ vndiquaque defixis cereis ardentibus illuſtrabatur, funus honorificentiſſimè deponitur, regalibus ſupra collocatis. Exinde finitis carminibus vſitatis, & ſollemnibus, orationẽ funebrẽ habuit Abbas Magillenſis, pietate & doctrina venerabilis: poſtea conuenientiſſimis, decentiſſimisq; cærimoniis exſequiarũ abſolutis, in tumulum maiorum ſuorum demittitur. Poſtero die in omnibus eccleſijs Epiſcopi ſacra celebrant, ad omnes Sanctos, Franciſcum, Annam, Stephanũ, Marcum, Stanislaum, item ad ſanctiſs. Trinitatem. Vexilliferi quoq;

quoq; cum ſingulis ſuis vexillis eadem qua pridiè pompa, cum equis totidem, & pheretris prædictis vrbem luſtrabant: eques quoq; ad funeris pheretrũ cataphractus vndiq;, caſſidem pro plumis cereis ardentibus circumuolutus, equo delabitur, haſta cõfracta, & gladio proiecto; cumq; cantaretur Agnus Dei, Cancellarius, & Vicecancellarius ſigilla regis mortui confregerũt: cæteri autem Senatores ſua ſceptra poſuerunt in altari. Ciues quoq; vrbis ſuas exſequias funebres in eccleſia parœciali ad S. Mariam celebrarunt.

Natus eſt Sigiſmundus anno Chriſti M. D. XX. IV. Non. Auguſti, patre Sigiſmundo, matre Bona Sfortia, Ioannis Galeatij Sfortiæ Mediolanenſium Ducis, & Iſabellæ Aragoniæ filia. Vxorem habuit Elizabetham, Ferdinandi Cæſaris filiam natu maximam. Ea defuncta Barbaram Radziuiliam. Poſt hanc quoq; mortuam alteram Ferdinandi filiam Catharinam. Patris voluntate inauguratus eſt regno, cum vix decimum annum attigiſſet, cum quo regnauit annis XVIII. Orationem in eius funere luculentam habuit Staniſlaus Orichouius, quæ extat in hiſtoria rerum Polonicarum Alexandri Guaguini Tom. III.

XV. *Ruſticorum transformatio in ranas.*

Ex 6. Metamorphoſeωn Ouidij.

LAtona etiam Delo cum geminis ſuis Apolline, & Diana infantibus à Iunone pulſa, in Ly-

etiam venit. Illiç è lacu ſitim leuare parans, à ruſticis, quanquam enixè orans, cum maledictis, & minis, turbata inſuper aqua bibere prohibita eſt. Effecit imprecatione ſua, vt ijdem agreſtes lacum illum in ranas conuerſi perpetuò habitarét: quarum coaxationes veterum in deam probrorum monumenta ſunt. Iam vero tam facundè, lepidè, eleganter huius aquatilis natura, & corpus hic deſcribuntur, ſeu depinguntur potius, vt à nullo ſcriptore melius deſcribi, nec ab vllo pictore ad rei veritatem aptius depingi poſſe videantur.

Iamq; Chimærifera, cum ſol grauis vreret arua
Finibus in Lyciæ, longo dea feſſa labore,
Sidereo ſiccata ſitim collegerat æſtu:
Vberaq; ebiberant auidi lactentia nati.
Fortè lacum mediocris aquæ proſpexit in imis
Vallibus, agreſtes illic fruticoſa legebant
Vimina cum iuncis, gratamq; paludibus vluam.
Acceßit, poſitoq; genu Titania terram
Preßit: vt hauriret gelidos potura liquores.
Ruſtica turba vetat. dea ſic affata vetantes.
Quid prohibetis aquas? vſus communis aquarum
eſt.
Nec ſolem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues vndas. ad publica munera veni.
Quæ tamen vt detis ſupplex peto. non ego noſtros
Abluere hic artus, laſſataq; membra parabam:
Sed releuare ſitim. caret os humore loquentis:
Et fauces arent: vixq; eſt via vocis in illis,

Hæc

Hauſtus aquæ mihi nectar erit, vitamq́ue fatebor
Accepiſſe; ſimul vitam dederitis in vndis.
Hi quoque vos moueant, qui noſtro brachia tendũt
Parua ſinu: & caſu tendebant brachia nati.
Quem non blanda deæ potuiſſent verba mouere?
Hi tamen orantem perſtant prohibere, minasq́ue,
Ni procul abſcedat, conuiciaq́ue inſuper addunt.
Nec ſatis eſt: ipſos etiam pedibusq́ue, manuq́ue
Turbauere lacus: imoq́ue a gurgite mollem
Huc illuc limum ſaltu mouere maligno.
Diſtulit ira ſitim. neque enim iam filia Cæi
Supplicat indignis, nec dicere ſuſtinet vltra
Verba minora dea: tollensq́ue ad ſidora palmas,
Aeternum ſtagno, dixit, viuatis in iſto.
Eueniunt optata deæ: iuuat eſſe ſub vndis:
Et modò tota caua ſummergere membra palude;
Nunc proferre caput; ſummo modò gurgite nare:
Sæpe ſuper ripam ſtagni conſiſtere: ſæpe
In gelidos reſilire lacus. Sed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulſoq́ue pudore,
Quamuis ſint SVB AQVA, SVB AQVA *maledicere tentant.*
Vox quoque iam rauca eſt, inflataq́ue colla tumeſcũt,
Ipſaq́ue dilatant patulos conuicia rictus:
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur:
Spina viret: venter, pars maxima corporis, albet:
Limoſoq́ue nouæ ſaliunt in gurgite ranæ.

Ex xv. Metamorph.

Semina limus habet, virides generantia ranas,

Et generat truncas pedibus: mox apta notando
Crura dat: vtq; eadem ſint longis ſaltibus apta,
Poſterior ſuperat partes menſura priores.

Sub aqua, ſub aqua. Iteratione duarum vocum ὑμέσαι ſeu citra interpoſitionem alius, ipſum clamorem & coaxationem, ſiue id dedita opera, ſiue caſu, certe quidem fæliciter, expreſſit: quemadmodum Ariſtophanes earum querelam, quam eas in limo cantare dicit. Georg. 1. Virgil. cum illud βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ, ὠνομαλοπεπόιηκε. Ranarum allegoriam producemns ex D. Auguſtino ſerm. 95. de temp. In ranis heretici intelliguntur, atque philoſophi. Hi enim, quia in Chriſto omnia falſa eſſe dicunt, ranæ ſunt, clamantes in paludibus limoſis. Per ſuperbiam, & inanem contentionem ſtrepitum vocis habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ inſinuare nõ poſſunt. Qui enim Chriſtianæ veritati contradicunt, & in ſua vanitate decepti decipiunt, ranæ ſunt, tædium afferentes auribus, non cibum mentibus.

XVI. *Statua Medeæ interfecturæ liberos.*

Ex Calliſtrato.

Marmor erat, animi formam, ſeu ſtatum indicans, cum ars in eo lapide expreſſiſſet ea, quæ complemento ſunt animæ. At enim cogitationem arguebat res patefacta, & animi æſtus inſurgebat, & ad triſtitiæ effectũ imago tranſibat.

Vt paucis comprehendam, id quod cernebatur, expoſitio erat facinoris ab ipſa parati. Nam cogitatio magis, quam actio mulieris conſilia aperiebat: feruor autem animi impetu iræ præſcriptus, naturam ad opus excitabat, ad cædis appetitum inducens. Mœſtitia verò miſerationem ſuper filijs conceptam declarabat, vt in maternam prudentiam occultè ex animi æſtu marmor traheret. Non enim inflexa, neque belluina erat imago: ſed in furoris, & inſaniæ indicium diuidebatur, muliebris ingenij conſiliis inſeruiens. Sed enim par fuit, vt poſt bilem fæmina à furore libera, ad commiſerationem conuerteretur: & ad mali notionem accedens animus commiſeraretur. Hos ſanè corporis affectus imago exprimebat: & videre marmor licebat modò furorem oculis exhibens: interdum mœrentis inſtar intuens, atque emollitum ad anguſtias: vt ſi apertè fabricatus eſſet artifex impetum, & compleuiſſet ad Euripidis tragici actus imitationem. Hic etiam illa deliberat, commouēs ſagacitatem prudentem; atque in furorem irritat indolem, fixos à natura terminos charitatis in proprios fœtus expellens: deinde poſt legitimam cædem amatorios ſermones inſtituit. Cæterùm manus ipſi enſifera fuit, ad inſeruiendum animo parata, dum flagitia properat: & incompta coma ſqualorem arguit: & amictus quidam lugubris affectui conſentaneus eſt.

Iaſon repudiata Medea coniuge legitima, ex

qua

qua duos filios ſuſceperat, Creuſam, vt Seneca, Glaucam, vt Propert. & alij Creontis Corinthiorum regis filiam ſuperinduxerat, oblitus beneficiorum omnium, quæ ab illa multa, & ingentia acceperat. Quamobrē vt adulterū vlciſceretur, quos illi genuerat Mermerū, & Pheretem pueros immani facinore iugulauit. Hiſtoriam leges in eius epiſtola inter Heroid. & apud Diodor. li. 5. Apollodor. lib. 1. Iuſtin. lib. 24. Hanc cædem & ad dilatandū tam opportunam, & ingenio ſuo tam accomodatam Ouid. 7. Metamorph. vnico verſu executū demiror. *Sanguine natorū perfunditur impius enſis.* De ambabus affectionibus, furore, inquam, & commiſeratione ſuper filijs trucidandis in eius ſtatua excellenter expreſſis venuſtè Antipater in epigramate Antholog. lib. 4.

Μηδείης τύπος οὗτος. ἰδ᾽ ὡς τὸ μὲν χόλον αἴρει
Ὄμμα, τὸ δ᾽ εἰς παίδων ἔκλασε συμπαθίην.

Quo indicat alterum oculum ſtatuæ fuiſſe iracūdum, & ſanguinarium: alterum ad miſericordiam fractum, & inflexum. Eandem ſententiam complexus eſt Auſonius.

Medeam vellet cum pingere Timomachi mens
Voluentem in natos crudum animo facinus,
Immanem exhauſit rerum in diuerſa laborem,
Fingeret affectum matris vt ambiguum.
Ira ſubeſt lacrymis, miſeratio non caret ira,
Alterutrum videas vt ſit in alterutro.
Cunctantem ſatis eſt: nam digna eſt ſanguine
Natorū, tua nō dextera Timomache. (mater

XVII. *Legatio Emmanuelis Luſitaniæ Regis, cum magnificentiſſimis muneribus Romam, ad Leonem X. Pontific. Maxim.*

Ex Hieron. Oſorii de reb. Emman. lib. 9.

IN huius anni exitu Rex Emmanuel tres Legatos ad Leonem X. Pontificem Maximũ, cum muneribus regia magnificentia dignis inſtituit. Princeps legationis Triſtanus Cugna fuit. Collegæ duo Iuriſconſulti, magnæ apud Luſitanos auctoritatis extitere. Vnus Iacobus Paciecus, alter Ioannes Faria nominabatur. Per illos Pontifici ſacras veſtes ex auro, cum multis gemmis opere excellenti perfectas dono miſit. Vaſa præterea ex auro, & monilia maximi ponderis & pretij veſtibus adiecit. Opus erat eiusmodi, vt cum materia nihil pretioſius excogitari poſſet, artificium tamen ipſam materiam multis partibus ſuperaret. Miſit præterea elephantum Indicum miræ magnitudinis, qui non ſolum Romæ, vbi homines, poſt inclinatã Romanæ maieſtatis amplitudinem, illud animal nunquam oculis aſpexerant; ſed quacunque gradum inferebat, nemo circumfluentem vndique turbam, admiratione obſtupefactam, ſubmouere poterat. Panthera etiam venatica miſſa fuit, quod munus haud ſcio, an olim Romæ Aediles, cum ludos magnificentiſſimos apparabant, & præter alias immanes belluas, pantheras etiam in pub-

llcis ſpectaculis exhibebant, præſtare potuerint. Ea namque manſuefacta, non in circo cum beſtiarijs, ſed in ſyluis cum apris, atque ceruis prælium committebat, & principibus, qui venationibus oblectantur, plurimum voluptatis afferebat. Ea inſidebat equi Perſici tergo, integumentis auratis eleganter inſtrati. Equum regebat Perſa venator eximius, qui ad id munus obeundum ab Armuzij Rege cum equo, & panthera miſſus fuerat. Triſtanus Cugna cum eſſet vir & nobilitate, & auctoritate, & exiſtimatione non vulgari præditus, tum proprijs ſumptibus eam legationem exornandm ſuſceperat. Ducebat autem ſecum tres filios, & cognatorũ copiam, amplãq; familiam, quibus ſtipatus non abiecti Principis ſpeciem præ ſe ferebat. Legationis ſcriba Garſia Reſendius, vir non mediocris apud Regem auctoritatis erat. Nicol. Faria, qui equis Regijs curandis præerat, agebat equum pulcherrimum, ephippijs aureis, & phaleris aureis, emblematis & gemmis maximi pretij diſtinctis inſtratum, & ornatum, qui etiam Pontifici donandus erat. Duodecimo tandem die menſis Martij, Anno M. D. XIV. Legati in vrbem hoc ordine iter inſtituerunt. Familiæ veſtibus admodum eleganter excultæ præcedebant. Panthera tergo Perſici equi, quem Perſa regebat, inſidens, & elephãtus cũ rectore ſequebãtur. Nicolaus Faria equo, quẽ diximus inuectus, poſt elephantũ interuallo modico disiũctus, primũ illud agmẽ cogebat.

Nobiles deinde viri, qui comitatu ſuo legationi non parum dignitatis adiungerent, loco ſuo progrediebantur. Poſt illos caduceator Luſitanus cum inſignibus regijs Legatos antecedebat. Deinde Triſtanus Cugna ſequebatur, cuius vtrũque latus Legati reliqui claudebant. Fuerunt à Cardinalium domeſticis, deinde à Principum Legatis, multisq; Principibus, antequam in vrbem ingrederentur, omnibus honoribus excepti. Ad vrbem cùm accederent, vrbis Præfectus cum Pontificibus, & ipſius Pontificis Maximi domeſticis atque familiaribus obuiam prodijt, Pontificisque nomine orationem habuit, qua Legatis de aduentu gratulatus eſt, omniaq; Regis Emmanuelis clariſſimi Principis officia, qui pro Chriſti nomine, & religionis ſanctitate perpetuò dimicabat, illi gratiſſima, vt merita illius poſtulabant, perpetuò fore dixit. Reſponſum pro dignitate redditum ab illis eſt. Romani deinde deſignatores aduenere, & ordinem pompæ illius inſtruxere. Omnia interim tubarum cantibus, & tibiarum ſymphonia, & concentu perſonabant. Nullus fuit Princeps, qui non ordine à deſignatoribus conſtituto Legatos deduceret. Heluetiorum etiam agmen inſtructum eos antecedebat. Turba vndique viſendi gratia confluẽs, omnes viarum aditus obſtruebat, ita vt vix fuſtibus coercita cedere, & locum dare vellet. Cum ad molem Adriani ventum eſſet, tormentorum ingenti ſtrepitu ciuitas vniuerſa tremefacta fuit.

Fumi

fumi tandem caligine diſpulſa, cùm Pontifex è feneſtra ſpectaret, elephantus acceſſit, & ter genibus flexis, & demiſſo corporis habitu venerabundus illum ſalutauit: quod non mediocrem admirationem ſpectantibus incuſſit. Tum proboſcide in dolium ingens aqua refertum immiſſa, aquam hauſit, qua omnes, qui in feneſtris altioribus inſidebant, aſpergeret. In plebem deinde conuerſus, eam aqua, quaſi ludum exhibere vellet, immodicè perfudit. Cum hac pompa fuerunt ea die Legati in hoſpitium deducti. Vigeſimo verò die menſis eiuſdem, Legati eadem hominum frequẽtia, & celebritate in Pontificis ædes deducti ſunt. Pontifex in ſublimi ſede veſtibus ſacris cultus, vt fit, eos exſpectabat. Cardinales in ſedibus ſuis conſidebant. Legati primum Pontificis pedes oſculati ſunt. Alij deinde ordine à deſignatoribus inſtituto idem officium præſtitêre. Triſtanus deinde Cugna litteras Pontifici Regis Emmanuelis obtulit, quæ publicè lectæ ſunt. Eæ nihil aliud continebant, quàm poſtulatum, vt Legatis fides haberetur. Tum Iacobus Paciecus egregiam orationem habuit, quam ita voce, & actione luculenter expreſſit, vt non mediocrem ea die laudem eloquentiſſimi oratoris aſſequeretur. Pontifex reſponſum Latinè, verbis luculentiſſimis, & eleganter, & grauiter dedit, Emmanuelisq; nomẽ, & Luſitanæ gentis virtutem laudibus ſummis exornauit. Poſtridie Legati in viridariũ, quod poſt

Pontificis ædes in Vaticano monte conſitũ eſt, intromiſſi ſunt. Eo in loco eos iam Pontifex exſpectabat. Ibi munera accepit, quotum fulgorẽ, & artificium admiratus vehementer eſt. Inde in hortũ, vt elephantum, & pantherã videret (non enim facilè elephanto erat in ſuperiorem ædium partem, vnde in viridarium exitus patebat, ſcandere) continuo deſcendit. Ibi voluit ſpectare, qua ratione panthera venaretur. Fuerunt igitur ad illam beſtiæ perductæ. Panthera repente à venatore, qui eam regebat, immiſſa, in illas inſiluit, eaſq; celeritate incredibili iugulauit.

De hoc elephanto accipe iucundã hiſtoriam ex Pierij lib. 2. Cum deſtinaſſet Emmanuel Rex eum Romam Pont. Max. donum ire, naui quam inſcenderet iam inſtructa, parataque ad profectionem, per aliquot dies nullo pacto fieri potuit, vt Hanno (hoc illi belluæ nomen) vel duci ſe ad nauim, vel ſi quo modo adductus fuiſſet, eam vellet inſcendere; vſq; adeò auerſabundus profectionem huiuſmodi reformidabat. Cumq; rex ſuper ea re ſollicitus admodum, magnis pollicitationibus vnũquemq; inuitaret, qui deducendi, aſportandiq; Hannonis negotium ſuſcepiſſet, neque quiſquam nomen profiteretur ſuum, inſuſurratũ demum eſt regijs auribus, eius magiſtri dolo hæc fieri: quippe qui puellæ cuiusdam amore implicitus ægrè ferret ſe in tam longinquas regiones ablegari; proindeq; Hannoni perſuaſiſſet, ne ſe auehi pateretur: quippe eum

in

In loca ſterilia, inamœna, & barbara, vbi ludibrio contumelijsq; omnibus, tanquam hoſticæ terræ animal, afficeretur; neq; victui, neq; ornatui eius vel neceſſaria, vel comoda ſuffectura: longum adhæc iter, & incomodum, & vaſtum maris æquor arandum, vt ſatius eſſet, in qua tunc erat terra quam primum contrucidari, quàm per tot viarum difficultates ad ærumnoſiſſimam deniq; vitam peruenire. Rex hac re cognita, magiſtrum Hannonis ad ſe vocat; dolos eius comperiſſe dicit. Ageret itaque vt intra triduum Hanno in nauim imponeretur, ni capitale ſupplicium luere vellet. Hac denunciatione territus ille, elephantum diſcipulum aggreditur; docet, ſe maleuolorum quorundam fraude ſubornatum, qui & felicitati vtriusque inuiderent, & regi optimo malè obtemperantes eſſent: longè autem ſecus rem habere, quàm illi mentiti eſſent. Siquidem non ad immania, & effera loca profecturos, ſed ad vrbem orbis terrarum dominam, amœno loco ſitam, vbi rerum deliciarumq; omnium copia fertiliſſima redundaret. Ibi eſſe Principem cui totus pæne terrarum orbis aſſurgeret: aqud quem is in delicijs habendus eſſet. Proinde bono animo eſſet, ſecumq; primo quoque tempore lætus, & alacer nauem inſcenderet. Affuturum nauigationi deum, & curſum ſecundum. Ita Hanno in aliam ſententiam deductus, vbi ligna data ſunt, vltro nauim conſcendit, neque vlla imperia toto itinere detrectauit.

De Triſtano Legato, & Elephanto iſtoc vide præterea quæ ſcribuntur à Iouio, Elogiorum militarium lib. 4. pag. 229.

XVIII. *Voluptates ruris.*

Ex Iuſti Lipſii epiſt. 8, Miſcellan. Centuriæ 1. in qua vitam ruſticam cum vrbana comparat.

AD voluptatem tranſeo, quæ tamen hîc tam obuia, vt indigner ſuper ea mihi moueri litem. Elementa omnia intueor? vim ſuam, vſumque palam, & toto, vt ita loquar, ſinu in hoc rure noſtro effundunt: obſcurè, & parciter in tua vrbe. Solem vide: melius hîc nitet. Aerem; lætius: latiusque diffunditur, & ridet. Aquas; purius bibuntur. Terram: hîc tantum cernitur in vero ſuo vultu. Alibi in planitiem effusè porrigitur, alibi in collem placidè aſſurgit, aut magis rigidè in montem. Illic herbis, & ſponte natis arbuſtis veſtitur: hîc fruge, fructibusque & feliciore ligno. Quem non delectet tam varius aſpectus, & cultus magnę matris: cuius apud vos vna facies ædibus preſſæ, aut pauimentis. Iam domum ſi veniſti; hîc prorſus gaudiorum, & amœnitatis vera ſedes. Manè ſurrexiſti? ad muſicam quidem; ac circumſonant ſe, & velut ſalutant chori illi alitum, ſuauiter fritillantium, trutillantium, minurientium, ad quos non æquiparent ſe tibiæ, citharæ, aut ex arte vlli cantus. In hortum proſpexiſti? oculorum aciem tibi præſtrin-

præſtringet illa ipſa nocte exortum agmen florũ & herbarum. In pratum? occurrent vere nouo arbores, odora quadam; & cana niue perſperſæ, eædemque ſub autumnum alia pomorum purpura, ſine cera diſtinctæ. Propius eaſdem aſpice, inſitiones mirabere, & matrimonia: adulteria etiam, & ſuppoſitos fœtus, inſcia matre, nec inuita. Quam laſciuam comprehenſionem, fœcũditatemque quiſquis in ligno non miratur, ipſe profectò lignum. Iam ad agros diuertiſti, & tua rura? Illic boues lentè paſcuntur, & oberrant; hìc pecudes magis vagè laſciuiunt, & hœdi. Porcus alibi volutatur, & grunnit: alibi criſtata cohors concurrit, & ſcalpit. Segetes illic tuas vides, & ſiliginis, farris, hordei vberes faſces: ſyluam iſtic, & ad hyemem lignorum ſtrues. Vitem denique alibi florentem, aut matureſcentem: & ſpe iam prębibis ſacrum illum, alibilemque liquorem, Quorum omnium quæ copia in vrbe ſit? Quin ne imago quidem ſatis certa, & expreſſa.

Cum hac deſcriptione bellè conſentiunt M. Antonij Flaminij poëtæ ſuauiſſimi verſiculi belliſſimi ad agellum ſuum. Attende animum.

Vmbræ frigidulæ, arborum ſuſurri,
Antra roſida, diſcolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphæ, garrulæ aues, amica Muſis
Otia: ô mihi ſi volare veſtrum
In ſinum Superi annuant benigni;

Si dulci liceat frui receſſu,
Nunc ſomnum virides ſequi per umbras,
Nunc mulgere manu mea capellam,
Lacteoq; liquore membra ſicca
Irrigare per æſtum, & æſtuoſis
Curis dicere plurimam ſalutem;
O quæ tunc mihi vita, quàm beata?
Quam vitæ ſimilis foret deorum!
At vos, ô Heliconiæ puellæ,
Queis fontes, & amœna rura cordi,
Si cara mihi luce cariores
Eſtis, iam miſereſcite obſecrantis,
Meq; vrbis ſtrepitu tumultuoſo
Ereptum, in placido locate agello.

Laudat item vitam quæ ruri, & in villa degitur Budæus, epiſtolar.lib.2. ad Germanum Brixium, pag.295. A.

XIX. *Beatus.*

EX Claudiano de ſene, qui iuxta Veronam conſiſtens, villa ſua nunquã egreſſus eſt.

Fœlix qui propriis æuum transegit in aruis,
Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem.
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena
Vnius numerat ſæcula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas nobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſſica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius vrbis,

Aſpectu

Aſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non conſule computat annum,
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager ſoles, idemq́ reducit,
Metiturq́ ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo qui gramine quercū,
Aequauūmq́ videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumq́ putat littora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmuſq́ lacertis,
Aetas robuſtum tertia cernit auum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos:
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Hæc deſcriptio hominis beati non abludit ab Horatiana, & Maroniana deſcriptionibus Ode 2. Epod. & 2. Georg. Ponunt enim beatitudinem in vita ruſtica, ſecuri tot opinionum, quas philoſophi de finibus honorum, & malorum, ſeu de fælicitate vel trecentas commenti ſunt. Cic. Tuſcul. 5. Videmus qui dicendi ſint beati. Equidem hoc exiſtimo, qui ſint in bonis, nullo adiuncto malo, nec vlla alia huic verbo, cum beatum dicimus, ſubiecta notio eſt, niſi ſecretis malis omnibus cumulata bonorum complexio. Sic Auguſtinus lib. 5. Ciuit. fælicitatem eſſe plenitudinem omnium rerum optandarum: quibus qui fruuntur, meritò beati dicuntur.

XX. *Academiæ Græcenſis in Stiria initiatio.*

Ex Annalibus Societatis Ieſu Franciſci Bencijeiuſd. Societ. anni 86. & 87. Cuius viri obitum deplorans Lipſius Cent. ad Italos & Hiſpanos, ep. 9. Agnoſco, inquit, amiſiſſe me inter amicos tempore, fide, ingenio primum, aut certè iuxta primos. Eundem laudat eximiè Cent. 2. epiſt. Miſcellan. epiſt. 54. & 75.

INſtituta eſt à fundatore noſtro (Carolo Archiduce Auſtriæ) permiſſu Gregorij Tertij decimi, Sixtiq; Quinti ſummorum Pontificum, & ſuperiore anno promulgata, poſtmodum etiam Pontificio, Cæſareoq; decreto confirmata Græcenſis Academia: cuius rei ſeries, ſi breuiter explicetur, habebit, opinor, non iniucundam narrationem. Conſtitutum eſt in medio templo noſtro, quod eſt capax, intra ternas columnas tabulatum, pulpitum prçcelſum ac peramplum, vario periſtromate: vbi locus ornatis ſedibus, & cooperta holoſerico menſa, in qua ſceptrum, & ſigillum, Academiæ Rectoris inſignia, & aurea lanx, vbi litteræ Pontificiæ, pendentibus redimiculis explicabantur. Reliquum templum inferius conueſtitum erat aulæis, plurimoque epigrammate de honeſtarum laudibus diſciplinarum, ac Principis, cuius & omnia viſebantur ſigna: nimirum quatuor, & viginti, ſubiecto ad vnum quodq; diſticho, veluti argumento. Inter

omnia

omnia eminebat Elogium Principis litteris grãdioribus, affectata de induſtria priſcorum vetuſtate verborum, quo plus venerationis ineſſet, & admirationis erga peregrina. Quod vnum, qui reliqua laudabant, hæretici carpere: cum dicerent, inſanire nunc demum Ieſuitas, qui non contenti vſitata lingua, cuderent nouam; vt videatis quàm ſit fidendum iudicio iſtorum, quibus illa pro ludibrio. Hic igitur fuit templi ornatus. Cætera ferè geſta in hunc modum. Sacrũ de Spiritu ſancto inſigni muſicorum concentu, alternantibus choris, illuſtri cærimoñia Antiſtes Seccouienſis fecit: idemq; Fratres noſtros refecit Chriſti corpore. Hoc peracto, exaggeratum pulpitum, quà proceres multi inſcenderunt, quà etiam noſtri. Tum per ſemihoræ ſpatium oratione habita ab vno è noſtris de Academiarũ inſtitutione, non ſine laude Fundatoris, Cancellarius *P*rincipis nonnihil prælocutus, diploma primùm, deinde priuilegia Aulico Scribæ, qui legeret, dedit. His clara voce pronũtiatis, ille idem Cancellarius nomine Principis, primò diplomata, dein ſceptrum, poſtremo ſigillum Academiæ Præpoſito Prouinciali tradit, non ſine præfatione pleniſſima honoris: ad quam noſter, Reuerendo Præpoſito Generali, & Societati noſtræ, munus illud curæ, vt quantum quidem in nobis erit, ad Dei gloriam rectè atque ordine omnia gerantur, fore: inornata breuitate, ſed quæ viro religioſo pro facundia erat.

Cæte-

Cæterùm gratias agendi munus in alterum reiectum. Et actæ quidem ſunt illæ Deo, noſtroque Fundatori copioſè, & luculente: ea ſcilicet oratione, quam & pius multorũ fletus, & ipſorũ etiam hęreticorũ admurmuratio approbauit. Iam quatuor horas tenuerat hæc celebritas: & claudi placuit dicendo hymno, laudibusq; Deo rite perſoluendis. Tum verò Princeps cum coniuge, liberisq; ac præcipua nobilitate ad Collegium. Paratum erat eius impenſa, in grandiore atrio epulũ lautiſſimum. Aſſedit cum ſuis: varijq; Pręſules ſacri, & alij Prouinciarum Reguli ſuis locis: poſtremò ſeparatim etiam noſtri. Et cæteræ quidẽ conuiuarum menſæ tegebãtur oppoſitu multorum nobilium, vel circumſiſtentium, vel miniſtrantium: ad menſam noſtrorũ patebat omnibus vacuus, liberq; proſpectus. Quo magis tot Patrũ, Fratrumq; ſuſpiciebatur inaffectata ſobrietas, & in hilariore etiam cõuiuio moderatio. Inter prãdendum audita eſt ſymphonia ſuauiſſima, cõcioque diſtincta varijs linguis (duodeuiginti fuere) non ſine admiratione, & voluptate cunctorum. Ad finem prandij, Principi iterum gratiæ actæ. Secuta eſt perpetua trium dierum diſputatio. Et prioribus quidem duobus de pronũciatis Theologicis, poſtremo de philoſophicis habitę concertationes, quas Principes cohoneſtarunt præſentia, & Præſides ſinguli diſputationibus: à præfatione videlicet exorſi, & deſinentes in gratiarum actionem. Illuſtrarunt etiam, ſed longè ani-

mo

mo diuerſo Prædicantes. Qui cum ad veritatem oppugnandam ſupra vires niterentur, ſuam non ſolum oſtenderunt pertinaciam (cupiunt enim ſe dici in hac cauſſa pertinaces) ſed (quod minimè volunt) imperitiam: ira frigebant, & cauillabantur, vt vix ſe à riſu defenderent. Nec defuit ad lætitiæ cumulum tragœdia pulcherrima. Ad extremum, incredibili omnium gratulatione Græcenſis Academia, muliebri habitu, omni ſtipata principum artium choro, triumphali curru inuecta. Atq; per hæc ſpectacula additus nouus Academiæ honor, & diſcipulorum numerus auctus. Similis celebritas diſceptationũ adhibita Auctumno, eodem anno, cum de more litterarum ſtudia repeterentur.

XXI. *Tormentum curule.*

Ex Hiſtoria Io. Pet. Maffei., lib.1.

NOndum apparuerant gentibus illis nouæ ſubtilitatis, & operis admirandi balliſtæ, ob longum intubum, & æqualiter teretem, ex ære fuſili figuratæ: quæ non funibus, aut neruis intentæ, ſingula mittunt ſpicula: ſed inexcogitata priſcis ratione, ad applicitos tenui à tergo foramine igniculos, cum incremento multiplici rapiendos, certo primũ nitrati, aut ſulphurei pulueris modulo temperatæ, inſertos dein ori patenti ferreos ex arte globos, catenaſq;, & alia obturamenta, fulminum inſtar flammis eluctantibus cum horrendo fragore contorquent.

Tormen-

Tormenta muralia ex 12. Æneid. non ineptè appellaueris, vt Germanicè Maurbrecher.

XXII. *Vita nautica.*

Ex Topographiæ lib. 3. Melchioris de la Cerda.

HOc vitę genus laborum, miſeriarum, ſolli-citudinũ eſt pleniſſimuũ; plurimum inhumanitatis, & horroris habet, ab omni cultu, elegantiaque politiore prorſus alienum; vt quicunque in mari vitam agitaret, is miſer, calamitoſus, barbarus, inhumanus, & horridus quondam haberetur: qui vim omnem frigoris perferret ſemper, toleraret caumata grauiſſima, in ſordibus eſſet, & ſqualore perpetuo, fame, ſitique conficeretur, continenter in dolore metuque verſaretur. Cum nautæ in aquis ſint medijs, tamen aquationis cauſſa in terram deſcendere coguntur. Quo autem pane veſcuntur? mucido, inſtar lapidis duriſſimo, ſcatente vermibus, ſalſamentisque putiſcentibus. Quantis autem inquinati, oppletique ſordibus incedunt? fœdum os præ ſordibus, manus ſordidatæ, veſtes inquinatæ, corpora aduſta ſolibus. Quid Scyllas, Charybdes, breuia, ſyrtes, tonitrua, fulgura, fulmina, ventos, imbres, grandines, tempeſtates ſæuiſſimas commemorem, quibus occurrere nullis artibus, neque machinis nauigantes queunt? Quid quod inſulſi, prorſus inepti, barbari, immites, feri, è ſcopulis nati videntur?

In

In nauigio ſemper habitantes, tanquam in carcerem anguſtiſſimum, ſordium, & ſqualoris refertiſſimum, ſentinam ſemper inhalantem teterrimam detruſi videntur, vbi inopia rerum omnium conflictantur. Præfinitè edunt ac bibūt, & utrumque peſſimè. Cubant in tabulis duris, & aſperis, ſordidis, ſcatentibus cimice fœdiſſimo, cum diurnis, nocturnisq; curis, & angoribus, metu tempeſtatum impendentium, expoſiti prædonibus, quibus infeſta reddūtur maria. Carent patrio ſolo, carent amicorum congreſſu, carent cognatis, & & fratribus, delicijs vrbanis, & domeſticis iucunditatibus, cōplexu liberorum, tanquam exules, & extorres à ciuitatibus, hominum celebritate, congreſſuq; ſpoliati. Ita medias aquas perambulant, vt bibendi commoditatem nullam habeant; ita auram hanc, & medium aëra nauigantes captant, vt ventos cōtrarios, & irruentes vehementiſſimè paſſim in ſuum exitium reformident, & ab eorum impetu violentiſſimo ſæpe in imum demergantur. Quoties ex multis nauibus vix duæ in portum aut veniunt, aut reuertuntur? Quoties ſæuiente procella merces maximi precij in profundum ad leuandam nauim, & vectores eijciuntur? Ipſi autem vectores cum nauibus paulo poſt fluctibus abſorbentur. Quibuscum verò melius agitur, ij nauigio conquaſſato, ac penitus diſſoluto, tabulas ægrè adepti, per immenſum pelagus iactantur, & circūferuntur, atq; in ipſa littora nudi,

 arte-

artubus ſale tabentibus proijciuntur, & ſtipē cogentes precariò victitent. Ex alienis regnis non minus vitia, quam merces inuehunt. Piraticam faciunt nautæ, prædantur, latrocinantur, communes hoſtes omnium, quibuſcum nec Romanis, nec vllis gentibus fides erat quondam, nec iusiurandum commune. Quas enim oras, quas exteras gentes, ac nationes, quæ deniq; maria, quos ſinus, atque portus non infeſtos reddiderunt? vt pauci nauigarint, referto ſæpe prædonum mari, qui non aut mortis, aut ſeruitutis periculo ſe cōmiſerint: aut ijdem iſti non ſpoliati bonis omnibus & pecunijs euaſerint, in illorum manus incidentes. Maritimi mores prouerbio ſunt peruerſi, corruptique mores. Quamobrem Athenienſes vehementer in eo laborarunt, vt ſuos ciues à mari procul arcerent.

XXIII. *Tres canes electiſſimi.*

Ex Iuſto Lipſio Cent. 1. ad Belgas, ep. 44.

HAbebat Iuſtus Lipſius domi ſuæ tres canes, gradu quodam magnitudinum diſcretos, paruum, maiuſculum, magnum, quos in tabula depingi iuſſit, & notas, ac carmen cuique præſcribi, aut ſubſcribi. Ii Sapphyrus, Mopſulus, Mopſus dicebantur.

SAPPHYRVS.

Catellus, gente Barauus, corpore albet, capite, auribusque purpurat, diſcrimine tamen albo à ſum-

à ſummo eo, inter aures, cuneatim ad os deſcendente. Senecio nunc eſt, & tredecennis: cum in flore, pulcherrimus, & lepidiſſimus catulorum.

Gemma dedit nomē, ſum verè gemina catellûm,
Quotquot terra habuit Belgica, habebit, habet.
Tale decus vultus, talis Xenus, adde lepores
Ingenii, humanum qui ſapiant Genium.
Et ſanè eſt aliquid mi hominis. vis argumentum?
Vina bibo, & vino nata me habet podagra.

MOPSVLVS.

Catulus, domo Antuerpia, donum à Cl. viro Borcontio, amico veteri, & Iureconſulto. Is corpore albet, capite, auribus, atque altero oculo ſufflauis. Roſtrum è rubro albicat, breue, & obtuſum, & nare prorſus repanda, craſſulus, argutus, mordax eſt, ætate bimus.

Mopſulus ast ego ſum, domini conuiua: quid ultra?
En etiam lectum participo domini.
Eſtne aliud? domini dominus, ſi dicere fas eſt:
Vſq; adeo formæ huic iungitur improbitas.
Sed forma quæ rara cluet ſi examine iuſto
Pendor, quod nec ames eſt mihi, plus quod ames.

MOPSVS.

Mopſus canis, gente Scotus, colore craſſo ſpadiceo: ſed circa oras aurium, & in ipſo ore dilutius flauo. Super oculum vtrumq; orbiculi æquales duo, itidem flaui. Idem color in pedibus interioribus, intra femora, ſub cauda, & in ano.

At pectus latum, & honeſtum, pantherina prorſus ſpecie album, & maculis ſpadiceis ſparſum. Tales ipſi imi pedes. Annum agit tertium, ad inuidiam pulcher.

Mopſus ego, forma qui vinco ſæcla canina,
Quod nolim, in magno corpore nil habeo.
Quodq́ velim, dominum, dominam, ancillamq́ volentes
Conciliat probitas, ſimplicitasq́ mihi.
Ille canis redeat, meruit qui cælica templa:
Si certet, terra hunc, me ſibi cælum habeat.

Materia non inſolita Poëtis recentioribus laudare catellos, eorumque deplorare obitum, atque ita in argumento tenui, atque humili oſtẽtare ingenia ſua, ſuauiterque ludere. Id quod rhetores Græcos & latinos in leuibus, incredibilibus, abſurdis, minutis pariter feciſſe ſatis notum eſt doctis.

XXIV. *Pauus.*

Ex Ioanne Paſſeratio.

EXperiar, Iunonis auem celebrare volenti
Aequa fauet Iuno, & ſupplētur numine vires.
Iam mihi lætitia Pauus geſtire videtur,
Altius ingrediens: iam ſe formoſior ipſo
Stellatæ oſtentat conchata volumina caudæ:
Laudis enim tacito ſenſu, blandisq́ mouetur
Vocibus, & ſolidæ virtutis præmia quærit.
Mira loquar, noſtrum tangit quæ gloria pectus.

Sub-

Sublimes Pauorum animos, generoſaq́ corda
Sollicitat, decorisq́ accendit honeſta cupido.
Fortaſſe inualidum obijcient ad prælia robur:
Accipiter pugna melior, fuluusq́ Tonantis
Armiger, atq́ rapax auido cum vulture miluus.
Sit licet ad prædam vis maior, & impetus illis:
Non tamen eximiæ ſpernenda potentia formæ.
Nec ſi præſtat olor cantu, aut vocalis aëdon,
Idcirco Aoniæ Pauos odere ſorores.
Mæonii mentem, & ſpeciem geſturus Homeri,
In Paui latuit plumis pater Ennius olim.
Pace auſim veſtra conſulti dicere iuris,
Omnis abeſt feritas, agnoſcunt verba vocantis,
Aſueſcuntq́ manu, & dextra mulcentur herili.
Hos amat, hos iungit diuûm regina iugales:
Atq́ his inſigni vehitur per nubila curru.
Coniugibus nulla inter ſe diſcordia, nullum
Diſſidium: durat thalami inuiolabile pactum.
Quidquid contigerit, commune ambobus, & alter
Interitu alterius ſtygias ſolet ire ſub umbras:
Securæq́ ſimul ducunt obliuia Lethes.
Vidi ego languentem, nec ſicco lumine vidi.
Occubuiſſe marem, viduum ſua fœmina poſtquam
Deſtituit, moriens primæuo in flore iuuentæ.
Vna dies rapuit, tumulus tegit vnus vtrumq́.
Præterea haud ſterilis cura eſt, & ſumptus alendi,
Fructus ineſt pulchris, ſuperant quoq́ commoda formam.
Non ita rem domini cumulat fœtura bidentis
Lanigeræ, nec quæ inuenit viuaria luxus,

Exiguæ pretia vt fierent ingentia villæ.
Præbuit Auſoniis Pauus flabella puellis,
Vnde graues æſtus animiq; anniq; leuabant.
Luce domum ſeruat, proſpectatq; omnia luſtrans,
Ignotosq; procul crebris clangoribus arcet.
Nocte, vel excelſi fidens in culmine tecti,
Arbore vel ſumma ventum ſpeculatur, & imbrem:
Certaq; venturi attento dat ſigna colono,
Ergo illum venerata Samos: populoq; Quirini
Manſerat intactus, donec menſam Ortalus augur
Impius appoſito, facundaq; polluit ora.
An referam teneris haud æmula colla palumbis?
Crinitumúe apicem? modici vel acumina roſtri?
Conſpicuas ſoli aduerſo ſi quando ſuperba
Pandit opes cauda, ſpeculorumq; explicat orbes:
Tum verò effulget gemmis ita pictus, & auro,
Vt cuncta Eoi cedant miracula cœli,
Quæ minio diſtincta virent, humanaq; reddunt,
Peruigili ſtudio nocturnis verba magiſtris.
Cedat & ipſe ſuis viuax Gangeticus ales
Funeribus, magnum ſolus qui computat annum:
Et Nomadum volucres, & Phaſidos incola ripæ.
Illic aſpicies conuexi ſidera mundi,
Quosq; rubens Indi parit æquoris unda lapillos,
Hortorumq; comas ſub adulti tempora veris,
Irrigui & prati ſparſos per gramina flores.
Centum oculi lucent illic, quos perdidit Argus,
Inachiæ cuſtos ad flumina nota iuuencæ.
Tot bona, tam raras dotes anguſtior ætas
Excipit, & vitæ quinto meta ultima luſtro.

Inuida formoſis ſpatium cur longius aui
Fata negant? tribuuntq́ nouem tibi ſecula cornix?
Indulget mala Parca bonis: atq optima queq
Immatura metit duri inclementia Ditis.
Sic Nymphis accepta diu non lilia florent,
Virgineusq́ roſæ primo rubor interit Auſtro.
At tribuli: & lappæ horrentes, & inutilis aruis
Carduus haud Boream curant, & frigora brumæ.

Argo centoculo à Mercurio interfecto, eius oculos caudæ pauonis, auis ſuæ Iuno inſeruit, vt narrat, & fabulatur Ouid. 1. Metam. ſub finem. Venuſtè porrò *gemmis ſtellantibus implet*, inquit. Id eſt, quaſi gemmis ſtellarum quibusdam, ſtellarum in morem collucentibus. Sic lib. 15. *Iunonis volucrem, quæ cauda ſidera portat.* De ſuperbia huius auis ex cauda oculata egregiè Nazianz. orat. 2. de Theol. Quid cauſſę eſt, cur arrogans ille, & Medicus pauo elegantiam, gloriamque adeo affectet, vt quoties aliquem propius accędentem viderit, aut etiam fœminis, vt aiunt, ſeſe oſtentare voluerit (nec enim pulchritudinis ſuæ ignarus eſt) protinus elata ceruice, pennisque in orbem concinnatis, atque oculis illo aureo quodam, gemmantique fulgore in acerruum contractis, corporis ſui elegantiam amaſiis ſuis, cum faſtuoſo inceſſu, velut in theatro ſpectandum proponat?

Regale ſemper eſt habitum pauonibus oblectari, vt ſciri poteſt ex Æliano lib. 13. de Animal.

cap.18. Sueton. in Tiber. cap. 60. Calig. cap.22. Alex. lib.2. cap.13. Tum præterea & veſci: eorum quippe caro optima atq; delicatiſſima non niſi regum menſis inferebatur: vt exempla teſtantur Heliogabali apud Lampridum: Hortenſij in cœna Augurali apud Varronem de re ruſtica lib. 3. cap. 6. Vitellius, teſte Sueton. cap.13. & 17. in illa famoſa patina, quam Mineruæ clypeum vocabat, ſcarorum iecinora, phaſianorum, & pauonum cerebella, & linguas phænicopterum exhibuit. Ad Salomonem autem ex Tharſis cum auro, argento, dentibus elephantorum, & ſimijs pauones etiam (vt ſcribitur 3. Reg. 10.) potiſſimum allati videntur, vt regia vrbis, regisq; deliciæ amplificarentur; atque aues pulchritudine, & peregrinitate exquiſitiſſimæ, publicè ſpectandę Hieroſolymis proponerentur, vt quondam Athenis, vt ſcribit Athenęus lib.9. &c. Ex Ioanne Pineda de rebus Salomonis lib.4. cap.17. Vide Aldrouand. Ornithol. lib.13.

XXV. *Æſtus immenſus, & locus amœniſſimus.*

Ex VVouferio de Vmbra cap.1.

ÆStas anni erat, & ſumma, ac pæne perpetua cæli flagrantia. Inde aſſiduis flamis adusta arua triſtiori enituerant facie, & lata velut igneo decocta fomite flauo nimis, & pæne areſcenti, vt ita dicam, crine paſſim apparebant: ipſaque adeo flumina difficili, & lento fluxu iter explicabant,

bant, &, quod ille ait, *per notas ibant morientia ripas.* Animalia quoque feſſa, & torpore langui-da vix ſeſe in terris ſuſpendebant. Nec homines quidem, etſi varijs integumentis calorem propellerent, & nouis ingenijs in remedium laborarent, vitare æſtum poterant: ſed corpora ſoluti penitus diffluebant. Cum itaque tædium grauiſſimi ardoris fallere quærerem, conceſſi in amœniſſimum locum.

Eum, inquam, petij locum, in quo prata gramine induta, & florum propria, tanquam vermiculato emblemate picta; iucundiſſima luce, velut decenti riſu, aſpectus meos remunerabant. Arbores ſparſim conſitæ, & frondium laxiores ſolutæ comas gratiſſimam vmbram præbebant: & ne quid deeſſet, errantes iſti ramorum intextus omne genus alitum adduxerât, qui grata vernilitate, & fracta quadam dulcedine nymphas ſuas colebant. Inprimis philomela dulci gemitu Sithonium referebat facinus, & damnatos Terei amores cantu repetebat: tanto, tamque indefeſſo ſtudio, vt alias volucres, quæ ſuauiſſimum carmen argutantur, ad certamen prouocaret. Diceres aut gratiarum hoc diuerſorium: aut naturæ parentem inuidiosè huc transtuliſſe ex Idæo vertice hunc eundem locum, in quo Phrygius opilio inter æmulas formæ deas ſententiam pretio libidinis vendidit. Non longè, prope adiacentis deuexa vallis ebullientes aduertebam vndas, quaſi anxias quò curſum fle-

ſtrerent: quo deinde erranti diuiſæ ambitu, querulo ſtrepitu præterfluebant: mox poſtquam ſorores receperant vndas, in legitimum flumen emanabant: cui iuncta virgulta miti aura ſpirantis Fauonij leuiter mota, tam ſuaui ſono pertentatum mulcebant aëra, vt iurares canere Syrenas, aut olores prænuntium mortis ſuę meditari melos. Tanta ſane loci pulchritudo, tam admiranda amœnitas, vt vel inuitum ac renitentem attraheret. Nolui igitur mihi negare amœnitatem, quam ſeceſſus iſte ſuppeditabat. Nam ob arborum opacitatem, & præterfluentis vndæ, vt poëtæ ludentes loquuntur, planctus, ſedando æſtui, & conciliando ſopori blandum, & appoſitum noueram. Cum itaque reclinis, & iam pæne ad quietem compoſitus facilem ſomnum inuitaſſem, toto cælo velut tenebris obducto, nebuloſo peploſuo inuolutum, tanquam brachijs pluma mollioribus Vmbra me amplexata eſt, aſpirante ſubinde Zephyro, quaſi nutus eius ſecutus, obſequio adeſſet. Neque enim continuo ſpiritu, ſed leni, & per interualla redeunte aura laſciuiens aſpirabat, qualis illa mitis & grata, cum Amorum deuehit comitatum.

Quæ ad amœnitatem loci alicuius requirantur, perſecutus eſt Cardan. de varietate rerum lib. 1. cap. 4. pag. 29.

XXVI. *Oculus humanus.*

Ex

Ex Ioannis Loygai Harmonia humani corporis lib.4.

NVnc demum ſupereſt oculi memoranda micantis
Structura excellens, ſpecies, numerusq́ue, ſonusq́ue.
Ipſa rotunda oculis forma eſt, penitusq́ue globoſa,
Sublimi velut in ſpecula præfixus, ut aptè
Officium inde ſuum præſtet, pulcherrima cæli
Ornamenta videns, variosq́ue per æthera motus.
Hic geminusq́ue fuit, naturæ munere largo,
Captus ut uno aliquis, reliquo conſtante regatur.
Vtile quin fuit hunc geminum fore: quippe priora
Cernere non tantùm, ſed in ipſa obliqua neceſſe eſt.
Quatuor ex tunicis, tribus atque humoribus omnis
Stat ſtructura oculi, formoſa, coruſcaq́ue multùm.
Ac prima ex tunicis capiti coniungit ocellos;
Vnde etiam à multis hæc coniunctiua vocata eſt.
Altera cornea ſit, pellucida tota colore,
Dura proueniens abſtruſis matris ab oris.
Vuea, cæruleas imitata coloribus vuas
Stat iuxta, ob varios Iris quoque dicta colores.
Luminis hæc ambit claras utriusque pupillas,
In quibus & planè reddi, & fulgere videntur
Concepta rerum ſpecies, ſub imagine viua.
Quarta ſubeſt multis (ab re nec) Aranea dicta,
In qua ſollicitè cryſtallinus abditus humor,
Senſifica unde omnes radiataq́ue viſio prodit.
Hoc opus immenſum cùm ſit radiansq́ue rubensq́ue:
Fœdera cum cælo teſtatur amica cerebri.
Quid tres commemorem humores? albumina primus.

Ouo-

Quorum referens tenuis, fluiduſq; videtur,
Quo cryſtallinus effuſè conſpergitur humor,
Atq; per hunc penetrat ſubtilem ſpiritus omnis.
Proximus eſt vitreus, liquefacto qui quoq; vitro eſt
Conſimilis: cuiq; eſt cryſtallinus inſitus humor,
Tanquam gemma anulo radians inſerta nitenti.
Tertius inſequitur cryſtallinus humor in omnes
Diffundens oculi ſua viuida lumina partes:
Eſt etenim tanquam ſpeculum lucenſq;, nitenſq;,
Naturà lucens, non luce aliunde petita.

Oculorum admirabilem conſtitutionem, & naturam conſiderat Rhodigin. lib. 3. cap. 28. ex quo pauca huc transſcribemus. Carceris vicem planè ſubit corpus reliquum, ac tenebroſo horret ſitu, ni oculorum effulſerit gratia, nitore iucundo totum illuminans. Quod in cælo ſol & luna, ipſum id ſunt in homine oculi. Sol, & luna duo mundi lumina; oculi certiſſima in carne ſidera fulgent è ſublimi ſplendore micantiſſima, inferna colluſtrant, perinde ac in ſtatione ſpeculatores interdiu, noctuque nobis excubantes. Quib⁹ mira volubilitatis accedit celeritas. Vnde nobiliſſimo poëtæ lib. 8. faciles appellantur, &c. Videndus & in Philologia Volateranus. Oculi, quod palpebrarum tegminibus occuluntur. Oculi lucis vſu vitam à morte diſtinguunt, pars corporis pretioſiſſima, cordis nuntius. In oculis animus habitat, indicia maxima amoris, & odij, flores animæ. Perer. Tom. I, in Geneſ. Q. Serenus.

Summa boni eſt alacres homini contingere viſus,
Quos quaſi cuſtodes, defenſoresq́ pericli
Proſpiciens ſumma natura locauit in arce.

XXVII. *Aula, & politia Solis.*

Ex Vranoſcopia Chytrai.

ERrones ſeptem, ceu rex pulcherrimus, inter
Sol medium tenet incedens, circundatus aula
Principibus, ducibusq́ ſua, fidisq́ miniſtris.
Vna ex parte autem Mars proximus ambulat illi,
Armorum belliq́ potens, pro rege paratus,
Si ſit opus, ferro decernere. Martius illi
Eſt rubor, eq́ oculis micat igneus ardor acutis.
Parte Hermes alia incedit, metuitq́ videri,
Cõnſilio, & ſermone valens Orator, & aula
Legatus quaſi ſiderea. Venus aurea regem
Aut prait, aut ſequitur. Si lux reditura propinquet
Lucifer: aut redeant ſi ſole abeunte tenebra,
Noctifer: & ſic nominibus celebrata duobus,
Sed Venus una tamen, ſocia eſt cui candida Luna,
Virgineo ſape & faciem ſuffuſa rubore.
Ancilla ha veluti gemina, hoſpitiiq́ miniſtra
Sidereo dant regi operam, procul excurrendo
Hac equidẽ, & propere redeundo: aſt illa monendo,
Curandoq́ domi, qua regia tanta requirit.
Sanguineam Martis vicinus Iupiter iram
Temperie optata bonitatis mitigat, inſtat
Deſuper huic meditabundus, tardusq́ remiſſo
Inceſſu, canusq́ comas, gelidusq́ ſenecta
Saturnus ſatur annorum, raroq́ daturus

Cenſ.

Conſilium regi, niſi forte negotia poſcant
Ardua, & ardori non committenda iuuentæ.
Has acies circum innumeræ, innumeraq́; phalanges
Stellarum, aſtrorumq́; ſimul magnæ, atq; minores
Ordine quæq; ſuo circumſtant, iuſſa libentes
Accipere, & facere, & regi ſeruire paratæ
Tam pulcrho, tam conſpicuo, tam luce coruſco,
Complentiq́; ſuo cælum, terramq́; nitore.
O aula, ô magni fulgens reſpublica cæli,
Ad quam collata nil ſunt, niſi puluis, & umbra
Regum aulæ terrenorum, pompæq́; fugaces.
Quod cum ita ſit, maior quanto, & mage mira Iehouæ,
Qui ſtellarum opifex, & Solis conditor audit,
Gloria, maieſtas, & lux æterna futura eſt,
Angelicas inter fulgentes luce cohortes,
Sperata in cæli patria, æternisq́; piorum
Deliciis, quas nec oculo, nec aure, nec ullo
Humano hîc licitum eſt cuiquam comprendere ſenſu.
Has ad delicias quis non moribundus anhelet,
Inſidet ſatur hoſpitii, oblitusq́; dolorum,
Quos morbi, mortisq́; metus mortalibus affert?

Incredibilem cæli ornatum, ex ſtellarum, planetarumq́ue quibus conſitum eſt elegantia, & ſplendore, depingit initio Annalium ſuorum Conſtantinus Manaſſes, pag. 5. Quapropter illud (cælum) ſiderum pulchritudine fuit exornatum, &c.

XXVIII.

XXVIII. *Specilla, ſeu conſpicilia, quæ à quibuſdam ocularia.*

Ex Ioanne Iacomotio.

HIc laudis meruit decus perenne
Qui vitrigeminos nitentis orbes
Primus, eximiæ Magiſter artis
Naſis turgidulis micare iuſſit
Pendentes, vitreis nouisq; ocellis,
Ceu bina face, ſolibusq; binis,
Vel ceu ſplendidulis iuuare flammis
Languentes oculos, tenebricoſos,
Annoſos ſimul, atque lippientes
Doctus: quum ſenio retuſus hæret
Viſus, pupula quum ſtupet tenella
Morbo debilitata ſæuiore,
Artis qui medicæ peritiores
Machaon, Podalyriusq; frater,
Illorumq; parens, vel ipſe Chiron
Auſi temporibus prioris æui
Herbarum varias docere vires,
Et collyria lumini tuendo,
Neſciuere vitri micantis vſus.
Hic ſparſos oculi coercet ignes,
Extinctos reuocat, nouo & latenti
Sopitos vegetans vigore ſenſus,
Et longo recreat labore feſſos
Vitreis oculis nouis, gemellis
Gemelli iuuenum vigent ocelli,
Gemelliq; ſenum vident ocelli.

Nunc vos luminibus meis miſellis
Certam fertis opem benigniora
Veſtris lucidulis ſpecilla flammis.
Sic Phœbi, Charitum, & nouem ſororum
Intereſſe mihi licet choreis.
Sic clara licet eruditione
Semper voluere nobiles libellos.

De iſtoc oculorum auxilio prorſus neceſſario, ſenibus præſertim, lippis, ac hebetibus viſu Lipſius Centur. 4. Miſcellan. epiſt. 36. ad Carolum Cluſium. Quatuor luſtris te minor cæcutio: & niſi vitrea auxilia ſubleuent, vix legam, aut ſcribam. Pæne indignor, & magis, quia veteres hac alleuatione vſos non lego. Atqui & illi nonne aſſidui in ſtudijs? Quid dicam, neſcio, niſi ſortem ſic noſtram eſſe: ferendam igitur.

SYNTAGMA SEPTIMVM.

EPISTOLIA TVM ALIENA, TVM PROPRIA, ET SCENÆ QVÆDAM PLAVTINÆ.

Ex Græcis Scriptoribus.

HABET

HABET neſcio quomodo ἑλκυστικὸν quiddam ſcita breuitas in epiſtolis, & mirè placet ὁ λακωνισμός. Quare vt & hac in parte lectoribus noſtris inſeruiremus, ſe legimus è diuerſis epiſtolographis, quas noſtro arbitratu, & ſtylo latinas faceremus: cum vel ex vno complures ſumere liceret: quò ex ipſa quoque auctorum diuerſitate alterum tantum ad delectationem accederet: ſemper enim (niſi in malis) voluptati eſt varietas. Et quia non ſunt defuturi græcarum litterarum compotes, qui, qua lingua primùm conſcriptæ ſunt, legere malent; his quoque gratificandum, & græca latinis præfigenda iudicauimus. Vide ergo quot modis animo tuo relaxando vel in vno iſtoc Syntagmate operati fuerimus.

I. *Syneſius Simplicio.*

ΕΔει μέντοι ταῖς τύχαις τὰς γνώμας μὴ συνεξαίρεσθαι, μηδὲ τὸ μεμνῆσθαι τῶν πάλαι φίλων ἔλαττον ἡγεῖσθαι τῆς παρούσης ἀξίας. σὺ δὲ ἡμῶν ἐπιλήσμων ἐγένου χρόνου συχνοῦ, χρῆν δὲ οὐχὶ, καίτοι σφοδρᾶς διαθέσεως συναψάσης ἡμᾶς ἀλλήλοις.

Quę te in altum fortuna euexit, etiam ſpiritus tibi tollere non debuit; nec, meminiſſe amicorum antiquorum, dignitate tua alienum exiſtimare oportebat. Tu vero noſtri memoriam abiecisti iam pridem, ſecus quàm decebat, quando arctiſſimo amoris vinculo copulati fuimus.

II. *Idem*

II. *Idem Ioanni.*

Μὴ αἴτει μεγάλα, ἵνα μὴ δυοῖν θάτερον, ἢ τυγχάνων λυπῇς, ἢ μὴ τυγχάνων λυπῇ.

Fac magna ne petas. Alterum quippe horum ſequetur. Aut aſſecutus quod petis contriſtabis: aut petitione fruſtratus contriſtabere.

III. *Idem fratri.*

Ἐπιστολὴν ἐπέθηκα τῷ θαυμαστῷ Γεροντίῳ πρὸς τὴν ἱεράν σου καὶ τριπόθητον κεφαλὴν τῆς πρώτης ἐντεύξεως παρέξουσαν πρόφασιν. τότε μὲν γὰρ αὐτὸν ἴσως διὰ ἐμὲ τιμήσεις, μετὰ δὲ τὴν πεῖραν ἕτερόν τινα διʼ αὐτόν.

Gerontio viro eximio litteras meas ad te, venerandum mihi, longeque optatiſſimum caput, perferendas tradidi; quæ illi ad primum congreſſum tuum viam aperirent. Tunc quidem, quod ſpero, eum propter me: vbi deinde hominem perſpexeris, propter illum etiam alium quempiam in honore es habiturus.

IV. *Iſidorus Peluſiota Læandro.*

Ἡ φύσις ἡ ἀνθρωπεία, θαυμάσιε, οὔτε ἀνεπίδεκτός ἐστι κακοῦ, οὔτε φυσικῶς κέκτηται τὰ κακά, ἀλλὰ γνώμῃ ταῦτα περιστιεμένη, τὴν τῶν καλῶν ὑπομένει ἀπόπτωσιν.

Natura hominis, vir optime, neque non capax eſt vitij: neque ingenitis vrgetur vitijs: ſed cum

ſum ea voluntas ſponte admiſerit, ab honeſtate præcipitat.

V. *Idem Maroni.*

Βλέπε μὴ τῇ ἀδδηφαγίᾳ εἰς οἰστρηλασίαν ἐκπέσης, καὶ δύο πώλοις ἐυςεθῆς δυσηνίοις συναρπαζόμενος, εἰς βάραθρον ἀπωλείας καλακρημνίζουσι.

Caue ne per crapulam in æſtum libidinis deuoluaris, indeq; à duobus equuleis indomitis in barathrũ perditionis ſimul raptus inueniare.

VI. *Idem iunioribus monachis.*

Εἰ νομίμως ἀσκεῖτε, νηστεύοντες, μὴ τυφοῦσθε. Εἰ δὲ ἐπὶ τούτῳ αὐχεῖτε, μᾶλλον κρεωφαγεῖτε.

Si, vt par eſt, vitam colitis monaſticam, ieiuniõ vacantes ne inſoleſcitote. Sin ob hoc inſoleſcitis, carnes potius editote.

VII. *Libanius Baſilio.*

Εἰ ταῦτα γλώττης ἀγροτέρας, τίς ἂν εἴης αὐτὴν ἀκονῶν, σοῦ μὲν γὰρ ἐν τῷ στόματι λόγων οἰκοῦσι πηγαὶ, κρείσσους ναμάτων ἐπιῤῥοῆς. ἡμῖν δὲ εἰ μὴ καθ᾽ ἡμέραν ἀρδοίμεθα, λείπεται τὸ σιγᾷν.

Si iſta tuæ linguæ ſunt agreſtioris, vt dicis, quãtum te putem fore ſi eam expolîueris? Etenim in ore tuo ipſi eloquentiæ fontes, quarumuis ſcatebrarum affluentia præſtantiores ſcaturiunt. At noſtra ariditas niſi aſſiduò irrigetur, ſilere cogitur.

VIII. *Baſilius Libanio.*

Δεχομένοις μὲν ἡμῖν ἃ γράφεις χαρά· ἀπαιτουμένοις δὲ πρὸς ἃ γράφεις ἀντεπιστέλλειν, ἀγών. τί γὰρ ἂν εἴποιμεν πρὸς οὕτως ἀττικίζουσαν γλῶτταν, πλὴν ὅτι ἁλιέων εἰμὶ μαθητὴς, ὁμολογῶ, καὶ φιλῶ.

Quemadmodum accepta epiſtola tua lætatus, ita cum in ea reſponſum à me peteres moleſtia ſum affectus. Quid enim linguæ tuæ tam Atticè loquenti reſpondeam, præter vnum hoc, me piſcatorum eſſe diſcipulum? id quod confiteor, & me eſſe iuuat.

IX. *Baſilius Olympio.*

Ὥσπερ τῶν ἄλλων ὡρίμων ἕκαστον ἐν τῇ οἰκείᾳ ὥρᾳ ἀπαντᾷ, ἐν ἦρι μὲν τὰ ἄνθη, ἐν θέρει δὲ οἱ στάχυες, ἐν ὀπώρᾳ δὲ μετοπώρῳ τὸ μῆλον, οὕτω χειμῶνος καρπός εἰσιν οἱ λόγοι.

Quomodo in rebus alijs ſingula tempore ſibi à natura præfinito matura proueniunt, verè nimirum flores, æſtate ſpicæ, autumno poma: ita hieme libri.

X. *Veſpaſianus Aug. Apollonio.*

Εἰ πάντες, Ἀπολλώνιε, κατὰ ταὐτά σοι φιλοσοφεῖν ἤθελον, σφόδρα ἂν εὐδαιμόνως ἔπραττον φιλοσοφία τε, καὶ ἡ πενία. φιλοσοφία μὲν ἀδεκάστως ἔχουσα, πενία δὲ αὐθαιρέτως.

Si omnes, Apolloni, eandem philoſophandi rationem tecum ſequi vellent, fæliciter cum philoſophia, & paupertate ageretur. Cum illa, quoniam

quoniam muneribus non corrumperetur: cum hac, quia ab omnibus vltrò expeteretur.

XI. *Iulianus Luciano Sophiſtæ.*

Γράφω, καὶ ἀντιτυχεῖν ἀξιῶ τῶν ἴσων. Εἰ δὲ ἀδικῶ συνεχῶς ἐπιστέλλων, ἀνταδικηθῆναι δέομαι τῶν ὁμοίων παθῶν.

Scribo, & mihi reſcribi cupio. Quod ſi crebritate litterarum iniuriam tibi infero, peto, vt tu viciſſim iſto modo in me iniurius ſis.

XII. *Crates Origeni.*

Οὐ ποιεῖ ἀγρὸς σπουδαίους, οὐδὲ ἄστυ φαύλους, ἀλλ᾽ αἱ σὺν τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ κακοῖς διατριβαί. ὥστ᾽ εἰ βούλει ἀγαθοὺς, καὶ μὴ κακοὺς γενέσθαί σοι τοὺς παῖδας, πέμπε μὴ κατ᾽ ἀγρόν· ἀλλ᾽ εἰς φιλοσόφου, ἵνα καὶ αὐτοὶ βαδίζοντες, τὰ καλὰ ἐμάθομεν. ἀσκητὸν γὰρ ἀρετὴ, καὶ οὐκ αὐτόματον ἐμβαίνει τῇ ψυχῇ, ὥσπερ κακία.

Nec bonus quiſpiam ruri, nec malus in ciuitate euadit: ſed ſi cum probis, aut improbis conſuetudinem iunxerit. Quamobrem, ſi liberos tuos bene moratos habere vis, non eos in villam foras, ſed in Philoſopi ſcholam mitte: quam & nos frequentantes, magiſtrum cum virtutis adepti ſumus. Exercitarionem namque requirit virtus: nec animos per ſe, vt vitium, ingreditur.

XIII. *Poemnion Arnoni.*

Τὰ τῶν προβάτων οὔθατα ὑπὸ τοῦ γάλακτος μέλλει μοι διαρρήγνυσθαι. καὶ κισσυβίων οὐκ οἶδα πῶς ἠπορήμεθα. διὸ δίδου μὲν αὐτὸς τὰ κισσύβια: ἐγὼ δὲ σοι γάλα

λα παρέξομαι, μεγάλοις δώροις μικρὰς ἀμειβόμενος χάριτας.

Ouium mearum vbera tam ſunt lacte diſtenta, vt diruptum iri videantur. Ac neſcio quomodo mulctra non ſuppeditant. Tu vaſa præbeto, ego tibi lac, magno munere modicam gratiam compenſans præbebo.

XIV. *Dionyſius Sophiſta Moternio.*

Καὶ βραχέα τῷ μεγέθει σου γράφων, ὅτι φιλῶ, καὶ μέμνημαι δείκνυμι. ποιῶν δὲ καὶ αὐτὸς ὥσπερ ἐγὼ, τὸ δείξεις ὥσπερ ἐγώ.

Quamuis pauca præſtantiæ tuæ ſcribo, tamen in paucis illis amorem meum, & memorem tui animum demonſtro. Quod ſi me fueris imitatus, idem eo modo quo ego demonſtrabis.

XV. *Idem Iuliano.*

Ἐπέσειλά σοι γαμοῦντι, καὶ συγγνώμην ἔχω μετὰ τὸν γάμον σιγῶντι. οὐδὲ γάρ ἐστιν, ὡς ἔοικεν, οὐδενὶ παῤῥησία, δεδεμένῳ γυναικείαις ἀπάταις.

Ad te nuptijs occupatum dedi litteras. Nihil ſecundùm nuptias reſcribenti, veniam impertior. Nemini enim mulieribus blandimẽtis irretito loquendi eſt conceſſa libertas.

XVI. *Philoſtratus Charitoni.*

Μεμνήσεσθαι τῶν σῶν λόγων οἴει τοὺς ἕλληνας ἐπειδὰν τελευτήσῃς, οἱ δὲ μηδὲν ὄντες ὁπότε εἰσὶ, τίνες ἂν εἶεν ὁπότε οὐκ εἰσί.

Sciaſ

Scias velim, Græcos eloquentiam tuam recordaturos, cum hinc exceſſeris. Qui porrò nihil ſunt quando ſunt, quid tandem erunt, quando non erunt?

I. *Amicus amico S.*

Epiſtola amicorum longiuſcula.

SVmmi amoris eſſe ſcribit Plinius iunior, negare veniam breuibus epiſtolis amicoru: quãuis ſcias illis conſtare rationem. Cum itaque ego te ſic amem, ſic amplexer, vt perinde neminem, tam breuiter ſcribenti dare veniam qui poſſim? quidquid tandem excuſes. Et quanquam hac culpa ego non teneor, ſi tamen tu viciſſim, quod ſpero, me præ omnibus, præter omnes, & ante omnes amas, explendi deſiderij tui deinceps longiorem futurum polliceor. Vale.

Principium epiſtolæ XXII. apud D. Chryſoſtomum de mutuis amicorum epiſtolis huc adſcribere viſum eſt. Scribit quibusdam Antiochiæ Presbyteris.

Quod longam epiſtolam noſtram breuem dixiſtis, haud equidem miror. Ea enim amantium natura eſt, vt ſatietatem neſciant, nec vnquam expleri poſſint: verùm quò plura ab ijs quos amant acceperint, eò plura cõcupiſcant. Ob eamq; cauſſam etiamſi decuplo maior, quam prior ad vos epiſtola veniſſet, ne illa quidẽ breuitatis vo-

cabulum effugiſſet, & parua non vocata duntaxat, ſed habita fuiſſet. Quod mihi quoque eodem modo vſu venit, &c.

II. *Reſponſio amici.*

Epiſtola breuicula.

TV Plinium, ego M. Tullium audio, & probo; qui cum T. Pompon. Atticum ſic amaret vt alterum fratrem, ſibique nihil eſſet eo nec carius, nec iucundius, longas tamen ab eo litteras adeò non deſiderabat, vt vel in breuiſſimis ſummè acquieſceret. Scribi ab eo ſibi poſtulat, quamuis argumentum nullum ſuppeditet: hoc ipſum, inquit, ſcribe, te non habuiſſe quod ſcriberes, dummodo ne iſtis verbis. Rei declarandæ exemplum pono. *Quàm ſis cupidus litterarũ mearum, vt inanes velis potius, quàm nullas, iuxta mecum norunt permulti. Hoc tempore omnia circumſpicienti, nihil ſanè ocurrit quod ſcribam, & ægrè mihi eſt. Quare ſilentium meum boni conſules, & valebis.* Quid hic aliud dixit, niſi ſe non habere quod ſcriberet? An verò illa ad Baſilium lib. 6. epiſtola non eſt? *Tibi gratulor: mihi gaudeo: te amo: tua tueor. A te amari, & quid agas, quidq; iſtic agatur, certior fieri volo. Vale.*

III. *Fratri S.*

Ingenium, & iudicium.

INgenium N. ex libro eiuſdem abs te lecto ſummopere commendas: ego illud reprehen-

ſum

ſum non eo; at iudicij copiam maiorem in eo deſidero. Ingenium lumen eſt animi: ſed huius ipſius luminis lumen, & oculus oculi eſt iudicium. Quod ſi quiuis mentis error à ſapientibus ſtultitia rectè vocatur, poteſt ea in ingenioſum aliquando cadere, & ſæpe cecidit: in bono, ac vero iudicio excellentem (quem libenter iudicioſum ἀναλόγως appellarem) nunquam poteſt. Tu vide, utrum alteri præferas: & an hebes atq; obtuſus, quod vitium pugnat cum ingenio, quàm inſipiens & ſtultus, quod aduerſatur iudicio, haberi malles. Rarò eidem vtrumque, & æquè magnum contingit; nec ſemper tam amicè coniurant. In qua veteri ſententia mea confirmat me Diſſertat. XXXIV. Maximus Tyrius, è Platonica familia philoſophus. *Plerumq; id euenit homini, inquit, vt quo fœcundior eſt ingenio, hoc minus valeat iudicio.*

IV. *Affini S.*

Strena.

MVnera ſuperuacua non eſſe mittenda, vt fœminæ, aut ſeni arma venatoria, aut ruſtico libros, aut ſtudijs, ac litteris dedito retia: neceſſaria autem, ſeu vtilia, ſeu iucunda monet Seneca. Cui obſequelam faciens, ineunte nouo anno pro ſtrenis ecce mitto, tibi harpe Mercurianæ ſimilem gladium: vxori tuæ, ſorori chariſſimæ, lucidiſſimum, & argento incluſum ſpeculum ad quod ſeſe tibi ſoli comat, & exornet: filio

iam φιλοφρονήσει orationes græcas & latinas, ex Hiſtoricis collectas: filiæ precationum è Biblijs, & SS. Patribus excerptarũ libellum aureolum. Tibi domeſticisq; tuis veniens hic annus cum Diuis beneuolentibus fauſtè fæliciterq; procedat. Vale.

V. *Honorem gratulato* S.

Amor patriæ.

QVod initum conſulatum mihi gratularis, officium amici agnoſco, & amplector. Quas verò laudes meas accumulas, non agnoſco, & tibi ignoſco, quẽ amor magis diſertum, quàm res ipſa veracem facit. Ego, mi Paule, publica priuatis anteponenda iudico: & quidquid eſt in me alicuius præſtantiæ, quod exiguum eſt, id omne ad patriã vt communem, & ſanctiſs. parentem iuuandam, ornandam, tuendam libens meritò conferam: pro qua virum bonum non dubitaturum etiam mortem oppetere, noſti quis affirmarit. Vale.

VI. *Rex Duci ſuo* S.

Imperia.

ETſi te virum ſtrenuiſſimum, ac belli gerendi gnarum, & in diſciplina militari perfectum cognoui, ac propterea regni mei tutelã omnem in manus tuas contradidi, tamen nihil obeſt in memoriam tibi reducere, quæ, vt maximi momẽti, in expeditionem abeunti in mandatis dedi. Ante omnia volo, iubeo planè, vt ſiue mœni-

bus rebellium meorum oppugnationem admoturus es, ſiue acie inſtructa conflicturus, totus exercitus præconum admonitu ante in genua procumbat, cæleſteq; auxilium ſuppliciter imploret: ſine quo inanis eſt omnis noſtra militia, & victorię ſpes incertiſſima. Eadem de cauſſa tibi mando, vt ſcorta, quæcunq; in exercitum ſe ingeſſerint, penitus profliges: ne deus, vt quondam, vel vnius ſcelere irritatus, totis copijs, ac toti regno meo infeſtus fiat. Præterea mihi gratiſſimum acciderit, ſi quàm minimum ſanguinis facias: & quamuis omnes pacis conditiones reſpuentes, ad vltimum verò parta abs te victoria, poſitis armis ad fidem tuam confugientes cōſerues, mulcta impoſita, quam facile ſoluant. Auctores porrò, & incentores defectionum, exempli ſtatuendi, ſupplicio capitali mactabis. Et quoniam animos militum nihil ſic ad fortiter præliandum accendit, quomodo præclara ducis oratio, præſcribimus tibi, vt ſemper ſub congreſſum, cū iam in procinctu eſt miles, priusquam ſigna canant, de loco editiore concionem habeas: qua, & quàm iuſta ſit noſtra, quàm iniuſta hoſtium pugna, & quantum eo certamine ipſi milites laudis, rex honoris, prouincia vtilitatis, hoſtes dedecoris conſecuturi ſint, diſertè commemores. Vt abſoluam, ſi victor, ac triumphator redieris (quod virtus tua, & prudentia militaris promittunt) ego te, poſteroſq; tuos præmiis, & prærogatiuis ornabo ſempiternis. Vale.

VII. *Soda-*

VII. *Sodali* S.

Narratiuncula.

ABhinc octiduum horrida tempeſtas extitit. Grandine verberatæ vineæ: cõtritæ ad meſſem maturæ ſegetes: aquarum è ſublimi ruentium copia augeſcentes fluuij campos latè inundarunt: multa de cælo tacta ædificia conflagrarunt. Longa confectus ægritudine ad plures ſe penetrauit frater meus, tibi amiciſſimus. Nudius quintus puer meus à manu laconica, an cantione magica? quandam arculam meam reſerauit: nummûm aureorum ſexagenos, quos neſcio quî olfecerat, furtò abſtulit, clam hinc profugit. Vel ducentos trifur ſurripuiſſet, ſi reperiſſet. Tantum triſtia? inquis. En tibi læta quoque. Vetus aduerſarius, & capitalis inimicus meus (noſti quem ſignificem) proxima ſuperiore hebdomade odium in me omne euomuit, mecumq; in antiquam gratiam redijt: iamq; concordiſſimè viuimus. Tu, vt nobis iſta amicitiæ redintegratio perpetua ſit, & irrupta in poſterum copula nos teneat, comprecare. Pecunioſus ille ſeſquiſenex auunculus meus ſine liberis moriens, hæredem me ex aſſe ſcripſit. O factum bene. *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero pulſanda tellus.* Vale.

VIII. *Filio veteris amici.* S.

Laudatio à moribus.

In

IN locum patris tui, viri integerrimi, qui fuit ab adoleſcentulo in meis intimis, maximeq; neceſſarijs, poſtquam, ut audio, lucis vſuram reddidit, te, Antoni, ad amicitiam meam adiungere conſtitui: eius naturà filium: oris, ac membrorum conformatione, ingenio, vita, actionibus quàm ſimillimum. Hanc velut alteram hæreditatem ideo minus, credo, aſpernabere, quod è monumentis eruditorum quàm pulchra, vtilisque ſit amici poſſeſſio, pridem didiciſti. Habitaui aliquandiu in ædibus veſtris, συμβιώτης veſter, teque ad amuſſim cognoui. Obſeruabã tuam in exhauriendis parentum iuſſis non modò nauitatem, verùm etiam celeritatem. Animaduertebam in dictis, factisque pudorem, exorituræ virtutis prænuntium, atque indicem minimè dubium. Cœpi egomet mecum ſæpius cogitare, hem, quàm præclara indoles? hic adoleſcens, qui nunc adeò eſt abhorrens à flagitio, quantus, quàm frugi cum ætate euaſurus eſt? Delectabat etiam nimiopere, cùm viderem quàm vitares otium, ac deſidiam: nunquam enim non eras occupatus. Nunc præſagitio mea euenit, & me non vanum fuiſſe augurem comperio. Multis argumentis tuam aduerſus cælites pietatem: erga maiores officium & fidem: erga vniuerſos humanitatem; in rebus intricatioribus, atque controuerſis ſagacitatem: in turbidioribus firmitudinem: in florentioribus moderationem perſpexi. Vidi liberalitatem; vidi ſobrietatẽ: vidi contineñ-

tinentiam: vidi deniq;, & admiratus ſum in te plurima cum Chriſtiana laude coniunctiſſima; quæ cur ſigillatim nó referam, modeſtia tua ſingulari impedior: quam velut cuſtodem, & conſeruatricem virtutum tuarum tu ipſe fac cuſtodias, atque conſerues. Hæc autem pauca idcirco attingere volui, vt cum te amantiſſimè tractari à me cerneres, quantum in amore meo tute tibi deberes, poſſes intelligere. Vale.

X. *Reſponſio exulis ad conſolatorem.*

ACcepi epiſtolá tuam, qua veloci oculo percurſa hoc ſum conſecutus, vt dolerem remiſſius, fieremq; ad ſufferendam hanc ærumná (Deum teſtor, immeritam) aliquanto robuſtior. Nec enim potui, nec fas eſſe duxi repugnare tot rationibus: aut contemnere iudicij tui ſummam prudentiam, & illa ſermonis tui blandimenta, quibus adeò amanter afflictum erigere, perditúque recreare ſtuduiſti. Deiectum eſt igitur aliquid, vel multum potius de mœſtitudine noſtra: quæ quoniam profundior, exhauriri vnis litteris vniuerſa nequiuit. Conquiſiuiſti tu quidem omnia diligentem imitatus medicum, quæ vulneri meo ſanando conductura exiſtimares: ſed nimis altum cum ſit, ad cicatricem difficilius perducetur. Tua præſentia mihi haud quidquam deſiderabilius. Communicatio enim ſermonis, quæ tecum mihi ſemper fuit iucundiſſima, maius vtique

que momẽtum ad tranquillitatem mentis afferret. Sed quia immenſo locorum interuallo diſiungimur, vt ſine magno incommodo viſere me nequeas, ſcribe, obſecro, ad me, Corneli amantiſſime, quoties opportunitatem tabellarij nactus eris: & in tuam fidem, ac patrocinium coniugem meam, fœminam afflictiſſimam, liberosque meos deſertiſſimos recipe. Hoc te etiam atque etiam, vehementerque rogo. Simul de reductione mea magiſtratum ſollicita. Vale.

X. *Ciuis ciui* S.

Officiorum promiſſio.

FAmiliæ noſtræ cum domo veſtra magna fuit inde vſque ab atauis neceſſitudo, mutuisque auxilijs iuuerunt inter ſe fideliter. Quare quam ego ad conſulendum rebus tuis propenſus ſim, hinc poteris coniecturam ducere. Quidquid vel labore, vel gratia, vel pecunia, vel alia quauis ratione tibi commodare me poſſe arbitrabere, velim ſignifices: nullam repulſam patiere. Mihimet complacebo, & gratulabor, ſi tibi, tuisque operam meam nauauerim. Iam pridem opto, vt id liceat. Nondum data eſt occaſio: quæ ſi dabitur, non me promiſſis duntaxat diuitem fuiſſe, ſaxo cognoſcas. Vale.

XI. *Mæcenati* S.

Commendatio pauperis ſtudioſi.

Qui

QVI hanc epiſtolam tibi reddit adoleſcens, mihi percharus eſt à multis de cauſis, & cóplectendus omnibus. Nam vt taceam quod me arctiſſimo propinquitatis gradu contingit, excellit ingenio, bonarum artium ſtudijs mirificè deditus: & cum virtutis ſatelles eſt egregius, tum pietatem, & pudicitiam inprimis diligit. Parentes ambo mortui vixerunt haud magna in re. Ad me confugit: me præſidium popoſcit, quò commodè, & in aliqua Academia, id quod vehementer optat, cœptum diſcendi curriculum finire queat. Atqui cum eius paupertatem tenuitas mea conſolari, ac ſuſtentare non poſſit, tibi eum, vt Mæcenati benigniſſimo, commendare ac tradere conſilium fuit. Quamobrem te maiorem in modum oro, ne hominem ſpe ſua fruſtratum eas. Tu illi dexteram porrige: tu illi anchora, tu columen eſto. Et cum ſoleas Eccleſiæ Catholicæ de tuo educare viros eruditos (vnde nomen tuum iam vagatur latiſſimè) hunc quoque in eorum numerum aſciſcere ne recuſa. Nihilo fies hoc ſumptu egentior: quando diuino beneficio tam es cupioſus. Ad me quod attinet, ingenti me munere abs te donatum arbitrabor, ſi, quod peto, impetrauero: & adoleſcens ipſe pro ingenuitate ſua tanquam filius chariſſimus parentem in omni vita te colet, atque in perpetuum venerabitur.

XII. *Præ-*

XII. *Præfectus ſenex Domino S.*

Petitio miſſionis.

QVemadmodum in hac præfectura triginta ipſos annos adminiſtrata elaborarim, vt tibi domino meo de fidelitare, obedientia, ſedulitate placere poſſem, tu ipſe locupletiſſimus es teſtis. Tanto autem ſtudioſius elaboraui, quanto meliorem, ac iuſtiorem dominum habere me ſenſi. Tu me dilexiſti multum. Tu competitoribus me prætuliſti. Tu me humaniſſimè ſemper, ac liberaliſſimè habuiſti: filioſque meos honoribus, & diuitijs per te auctos eſſe voluiſti. Quocirca ſeruire ego quidem tibi cupio, quoad anima ſuperauero: ſed prope iam decurſa ætas mea ſuadet aliud: ſiquidem languētibus ſub tanto annorum pondere viribus, & marcentibus membris, ipſe quoque animus ad fungendum rite munns ſuum fit inhabilis: ſi præſertim maior fuerit, impeditiorque prouincia. Itaq; precibus cum humanitate,& manſuetudine tua agere compellor, vti me ceu emeritum militem accipere vacationem,& quaſi poſt diutinam nauigationem, variaſque tempeſtates in portu quieſcere ſecurum iubeat. Qui me in procuratione excipiat,non eſt defuturus. Sunt enim in cohorte tua non pauci, quorum probatæ fidei, & ſpectatæ prudentiæ hoc muneris committi rectiſſimè poterit. Si, quod ſpero, voti compotem me feceris,magnus ad meam erga te obſeruantiam,

atque etiam amorem cumulus accedet; & beneficij huius, ne ſim omnium ingratorum ingratiſſimus, memoria ex animo meo nunquam diſcedet. Vale.

XIII. *Reſponſio domini.*

ÆQuitatem petitionis tuæ, Præfecte mi, agnoſco. Petis à me miſſionem, vtpote ſenio iam feſſus, accisis viribus, & animo flaccescente. Mihi affirmanti credas velim, nihil feci unquam illibentius: quia parem tibi, hoc eſt, æquè prouidum, fidelem, domino ſuo obſequentem, ad regendum idoneum me inuenturum, in tenui ſpe habeo. Sic quod tu facile futurum autumas, id ſecus eſt. Noui ego miniſtrorum meorum ingenia vt ſint: quorum pleroſque ad ducendos choros, & exſiccanda pocula, quàm ad honores laudabiliter gerendos, aptiores dicere auſim. Vtcũque ſe res habeat, tibi quod à me impetratum vis, negare nefas duco. De ſucceſſore ad conſilium referemus. Vale.

XIV. *Pater abſens filio S.*

Nocturna obambulatio.

QVid eſt quod audio? tu nocte obambulas? quæ te vtilitas ad hoc inuitat? quæ neceſſitas cogit? Cur te, vt iuuenis bene moratus, non tenes in paternis ædibus? Itáne tu gaudes, ſi ego tua cauſſa contriſter? Sine veſpertiliones, & noctuas circũuolitare nocturnis tenebris: tu quomodo

modo diem actionibus probatis, ſic nocte quiete, ac ſomno transmittendam puta. Licitum eſt ſanè noctis partes etiam ad negotia ſiue honeſta, ſiue neceſſaria tranſigenda adhibere: tu verò ad iſtas otioſas, & leuitatis plenas obambulationes, ad ineptos cantus, clamoresq; inconditos tempore abuti non debuiſti, non debes. Manſiſſes intra parietes, non tibi tam luculentum vulnus oblatum fuiſſet. Caue ne aliquando quippiam triſtius vulneribus tibi contingat. Non puto, inquies. Non putas? Nec illi putabant, quibus tamen euenit. Vale, & ſaluti conſule, ſi pudorem abieciſti.

XV. *Reſponſum obiurgatori ſuper ebrioſitate.*

ACerrimè in me inuectus es, vt in potatorem non vulgarem: ebrietatis incommoda ante oculos ſummatim poſuiſti; me, vt confitear, verum, conterruiſti. Non recta incedo via. Scio vinum poculis non pauxillulis exantlare ſcitiſſimè. Non nego. Leuat tamen culpam idem peccantium multitudo. Laborioſum erit mero ſalutem dicere: iam enim aduerſus ſitim intolerabilem, quam liberalius pitiſſando accendi, remedio eſſe pocula cœperunt: & volens nolens maneo de numero bibentium. Vale, & breuitatem boni conſule. Nam propter tremorem manus longiores exarare non potui: & hac nocte ego, & ſomnus inter nos non vidimus. Iterum vale.

XVI. *Iuueni liberius viuenti.*

Iocatio.

PYthagoreis morem fuiſſe auctor Quintilian. vt cum è ſomno eſſent experrecti, animos ad lyram excitarent: quò ad agendum fierent erectiores: & rurſus cum ad ſomnum capeſſendum ſe conferrent, ad eandem prius lenire mentes: vt ſi quid fuiſſet turbidiorum cogitationum, id componeretur, & ita placidè cubantes quieſcerent. Tu quoque Pythagorizare mihi quodammodo videris, dum mane, quando è lecto ſurgis, animum ad ientaculum intendis: & cum noctu cubitum eſt eundum, ventrem prius largo vini hauſtu proluis, quò facilius, quæ accepit in cœna, concoquat: ſecundum Galenum, ni fallor, & omnes medicorum filios. Vale.

XVII. *Solæciſmus Barbariſmo compatriotæ, & Commilitoni antiquo ſuo benè agere.*

NEſcio profectò, dilecte Barbariſme, num rectè nos ambos milites, & te comilitonem meum appellatus ſim: an potius nos regnatoribus, & te regni ampliſſimi ſocium appellari debeo. Quot enim per hunc mundum ſcholæ? quantæ ſcholarium cateruæ ſub ſignis noſtris merentur? Puto reuera quòd plura mille, quàm Xerxes in Græciam duxit. Horrendum exercitum nos contra Grammaticos ductamus, nationem

nem pol humilem, abiectam, pauperem, infælicem.

Fælix Grammaticus non eſt: ſed nec fuit unquā:
Nec quiſquam eſt fælix nomine Grammaticus.

Cum tali hominum genere implacabile nobis bellum per Europam, Aſiam, Africam, vbicunq; tradebatur Latinitas, ſuſceptum, per ſæcula ſæculorum durabit. Vide igitur, mi Conrex, vt ne quid de auctoritate noſtra perdamus: & memento ſis partium tuarum in copijs inſtaurandis: in armis, & commeatu ſubmittendis: in congiatibus, & donatiuis largiendis. Ego quoq; aduigilabo, & regno noſtro dilatando, tuendoque curam omnem impendere non parcebo. Vę tibi Lupule. Comprehenſus lupulos tuos amariſſimos ad nauſeam prandebis, & cœnabis. Et Süſenbroto nomen commutabitur: Saurbrotus erit, dum illi venter rumpatur. Riuius in flumine deriuabitur, vbi vſque ad mortem bibet. Mezler iuxta etymon ſuum, vt bos, mactabitur. Cui nomen à terra nigra, grandi ſe pecunia redimat oportebit. Væ omnibus Grammaticæ capitaneis reliquis: purpureas voment animas. Vale mi decus, & corona mea. Hoc vnum noui, & luctuoſiſe accidit nuper Coſmopoli, quod ſummum caput, id eſt, Præfectus vrbis, viuere deſijt: hocque certitudinaliter cognoui: quamuis præſentialiter ibi non fuerim exiſtens. Pantopiæ 1 v. Kalend. Iulij.

XVIII. *Cacozelo ὑγιαίνειν.*

Tulliomaſtiges.

SI ipſa Eloquentia loqueretur, nunquid, amabo, non vt pater eius loqueretur? niſi forte, quod nunquam audiui dicier, filij adulti, & locutionis compotes aliter quàm parentes loquũtur. Porrò omnium gentium, omnium ſæculorum conſenſus Eloquentiæ parentem nominat M. Tullium. Iam ſi Eloquentiæ ipſiusmet orationem neceſſe eſt vnam omnium eſſe præſtantiſſimam, imitationeq; idcirco digniſſimam (optimá enim imitanda ſunt) tu negabis orationem Ciceronianam cuiusuis latinè ſeu loquentis, ſeu ſcribentis orationi præferendam eſſe? Deſinant igitur quidam ſemidocti, & neſcio quo in ludulo eruditi, eam arrodere, & carpere, & tãquam muſcæ elephanto inſidere: de quibus vnam te aiunt eſſe. Itáne frontem amiſiſti? Malum exſpecta ſi inſanire, & Aſinum Africanum ſuauius rudere, quàm luſciniam Arpinatem canere affirmare pertendis.

XIX. *Sodali S.*

Vinum poëtis.

CRatinus poëta Comicus ſcripſit, vinum poëtis equum generoſum eſſe: & nulla carmina diu poſſe viuere, quæ ſcribantur aquæ potoribus teſtatur Horatius. Scimus item tali equo inequitaſſe Homerum, Æſchylũ, Ennium, quales

les vates? Bene igitur tu, qui poëtanti mihi nudiustertius, ridentibus, & gratulantibus Muſis amphoram falerni ſubmiſiſti. Epotabimus hunc equum, illis Sarmaticis, de quibus Martialis, aliquanto dulciorem: ſic me amabit Helicon. Vale.

ALIQVOT SCENÆ EX COMOEDIIS PLAVTI.

Pro eius ſalibus ἀπολογητικῶς.

PAtienter nimium, & ſtultè veteres Romanos Plauti facetias, atque iocos miratos eſſe Horatius ad Piſones auſus eſt conqueri. Quam querimoniam, & contemptum doctiſſimus Petrus Victorius lib. 15. cap. 13. à quadam animi maleuolentia, & liuore profectam arbitratur; cum præſertim vexet etiam Lucillium, Ennium, Actium, Næuium, atque adeò in hoc ipſo libro, qui à quibuſdam de Arte poëtica inſcribitur. Antiquorum enim poëtarum ſplendorem, & gloriam videtur ferre non potuiſſe. Maior tribuenda fides utique Ciceroni, auctori grauiſſimo, & iudicio excellenti, quàm Horatio, licet poëtæ ſummo, & ingenioſiſſimo. Quid ergò ſentit de leporibus, & iocis Plautinis M. Tullius? 1. de Off. genus eius iocandi vocat *elegans, urbanũ, ingenioſum, facetum: quo genere & Atticorum antiqua comœdia, & philoſophorum*

Socraticorum libri ſint referti. De eiuſdem elegantiſſima dictione veterum, ac recentium iudicia proferre liceret vel trecenta. Sed nunc id non agitur. Recentium de ſalibus eiuſdem nonnulla, ad inſtitutũ accomodatè ſcilicet, in mediũ afferam. Ioannes Paſſeratius præf. in Top. Ciceronis, *Ita me Plautina delectant*, inquit, *vt cum à Cicerone diſceſſero, nemo ſit, quẽ Plauto anteponã, & in quo ex aliqua ægritudine, ac moleſtia libentius conquieſcã. Tantus hominis in iocando lepos: tam crebri ſales, ac facetiæ: tanta eſt antiqui, incorruptiq; ſermonis urbanitas: cuius me perſtudioſum eſſe non inficior.* Multos cum Plauto modios ſalis comedit Iuſtus Lipſius, & eſt de eo admodũ bene meritus, quem & Terẽtio anteponit Epiſt. Q. lib. 2. epiſt. 18. Et lib. 5. epiſt. vlt. in qua ſententia ſunt & alij, fruſtra Stephano Doleto contra ſentiente. Ergo Lipſij verba ſunt Antiq. lect. li. 1. c. 1. *Amo Plauti elegantes, & urbanos ſales: nec Venuſini illius, aliter cenſentis verſus unquam me hercle ſine indignatiuncula lego.* Et lib. 5. cap. 1. *Plautus Muſarum, & Gratiarum hortus.* Calcagninus quoque Diſquiſit. 12. in Off. Ciceron. Horatium præ Cicerone non cenſet audiendum. Multum enim ſalis, & fellis, & facetiarum, & ſcommatum videtur habere Plautus, & perſonis pulcherrimè inſeruire: vt miranda ſit iniquitas Horatij, cuius iudicio imitatus eſt Siculũ Epicharmũ Comicũ. Siculi autem ad dicta, & ioca multum à natura habebant acuminis.

EX AVLVLARIA.

Senex auariſſimus Euclio, ollam auri plenam poſſidens, ſeu ab olla illa poſſeſſus magis, metuit impenſiſſimè, ne quis noſcat vbi aurum recondiderit. Atq; ob hanc cauſſam ne anum quidem, quæ vel coquam, vel ianitricem, vel vtramq; agebat, ſcire ea de re hilum patitur: quam dum modò hîc, modò ibi theſaurum ſuum, & in eo cor ſimul ſuum, iuxta Euangelium, defodit, toties extrudit ædibus, quod lamentatur. Nunc aures adhibe, ſi placet.

EVCLIO, STAPHYLA.

EV. *Exi, inquam, age exi, exeundum hercle tibi*
hinc eſt foras,
Circumſpectatrix cum oculis emiſſitiis.
ST. *Nam cur me miſerã verberas?* EV. *vt miſera ſis.*
Atq; vt te dignam mala malã ætatem exigas.
ST. *Nam me qua nunc cauſa extruſiſti ex ædibus?*
EV. *Tibi ego rationem reddam, ſtimulorum ſeges?*
Illuc regredere ab oſtio, illuc ſis. vide vt
Incedit. at ſcin' quomodo tibi res ſe habet?
Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum
in manum,
Teſtudineũ iſtum tibi ego grandibo gradum.
ST. *Vtinam me diui adaxint ad ſuſpendium*
Potius quidẽ, quàm hoc pacto apud te ſeruiam.
EV. *At vt ſceleſta ſola ſecum murmurat?*
Oculos hercle ego iſtos effodiam tibi,
Ne me obſeruare poſſis quid rerum geram.

Abſcede etiam nunc, etiam nunc, etiã ohe nunc,
Illic adeſto, ſi hercle tu ex iſto loco
Digitum tranſuerſum, aut unguem latum exceſſeris,
Aut ſi reſpexis, donicum ego te iuſſero,
Continuo hercle ego te dedam diſcipulam cruci.
Sceleſtiorem me hac anu certè ſcio
Vidiſſe nunquã, nimisq́ ego hanc metuo malè,
Ne mihi ex inſidiis verba imprudenti duit;
Neu perſentiſcat, aurum ubi eſt abſconditum.
Quæ in occipitio quoq́ habet oculos peſſima.
Nunc ibo vt viſam, ſitne ita aurum vt condidi,
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.
ST. *Nec nunc mecaſtor quid hero ego dicam meo*
Malæ rei eueniſſe, quamue inſaniam
Queo comminiſci: ita miſeram me ad hunc modum
Decies die vno ſæpe extrudit ædibus.
Neſcio pol quæ illunc hominem intemperiæ tenent:
Peruigilat noctes totas. tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies, &c.

Notulæ ad intelligentiam adiuuandam, ex Commentariis potiſſimùm.

CVm oculis emiſſitiis) Emiſſitij ab emittendo, vt emiſſarius. Qui huc atque illuc excurrũt, omnia curioſè obſeruantes oculi. *Malam ætatem exigas*) ſenectutem, quam vocabant malam ætatem,

tatem, vt iuuentutem contra bonam ætatem. *Stimulorum ſeges)* Id eſt, digna in cuius corpore ſtimuli perpetuò ſati, & defixi ſient, vt in ſegete ſpicæ. *Grandibo gradum)* efficiam vt maiora in gradiendo ſpatia facias. *Dedam diſcipulam cruci.)* Cum ſimilitudinem litteræ præ ſe ferat qui pendet, hoc vult: ſuſpendam te, faciamque vt crux diſcipulam te ſcribere doceat, & longam vnam litteram facere.

Ex Milite glorioſo.

MIrum in modum à paraſito adulatore ſatis impudente miles deluditur. In Eunucho Terentiana à Gnathone paraſito idem fit Thraſoni: ſed nihil ad Plautinos lepores: quibus ad ſerenandos, hilarandoſque animos operam dare expediet. Paraſiti nomen apud antiquos haud ſordidum, & infame, ſed ſanctum, & venerabile fuiſſe, ac σύνθοινον, coëpulonem ſignificaſſe lib. 6. auctor eſt Athenæus. De his Paſſeratius præfat. in Curcul. poſtquam rem familiarem comederunt, vnum illorum opus aliorum bona, & interdum famam arrodere. Vnde canes habẽtur, partim venatici, partim moloſſici in Capt. Comparantur & cum muribus. Vt in Perſa. *Pater, auus, proauus, abauus, tritauus, Quaſi mures ſemper edere alienum cibum.* Totidem verba loquitur & Ergaſilus in Capt. Et Diogenes videns arrepentes muſculos, & micas panis ſui ſumentes, dicebat ſe paraſitos alere.

PYR-

PYRGOPOLYNICES miles,

ARTOTROGVS paraſitus.

PY. *Curate vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,*
Quàm ſolis radii eſſe olim, cum ſudũ eſt, ſolet;
Vt ubi uſus veniat, contrà conſerta manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.
Nam ego hanc macherã mihi conſolari volo,
Ne lamentetur, neue animum deſpondeat,
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit farctum facere ex hoſtibus.
Sed ubi Artotrogus? AR. *hic eſt, ſtat propter virum,*
Fortem atq; fortunatum, & forma regia.
Tum bellatorem Mars haud auſit dicere,
Neq; æquiparare ſuas virtutes ad tuas.
PY. *Quem ne ego ſeruaui in campis Gurguſtidoniis,*
Vbi Bombomachides Cloninſtaridyſarchides
Erat imperator ſummus, Neptuni nepos?
AR. *Memini, nempe illum dicis cum armis aureis,*
Cuius tu legiones diflauiſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia, aut panniculã tectoriam.
PY. *Iſtuc quidem ædepol nihil eſt.* AR. *mihi hercle quidem hoc,*
Praut alia dicam, tu quæ nunquam feceris.
PY. *Quid illud quod dico?* AR. *hem ſcio iam quid feceris.*
Factũ eſt hercle, memini fieri. PY. *quid id eſt?*
AR. *quidquid eſt.*
PY. *Habes tabellas?* AR. *Vis rogare? habeo & ſtylum.*

PY. Fa-

PY. *Facetè aduertis animum ad animum meum.*

AR. *Nouiſſe mores me tuos meditatè decet,*
Curăq; adhibere, vt præuolet mihi quò tu velis.

PY. *Ecquid meminiſti?* AR. *memini. Centum in Cilicia,*
Et quinquaginta, centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, ſexaginta Macedones
Sunt homines tu quos occidiſti vno die.

PY. *Quanta iſthæc hominum ſumma eſt?* AR. *Septem millia.*

PY. *Tantum eſſe oportet, rectè rationem tenes.*
Dum talem facies, qualem adhuc, aſſiduò edes:
Communicabo te ſemper menſa mea.

AR. *Quid in Cappadocia? vbi tu quingentos ſimul,*
Ni hebes machæra foret, vno ictu occideres?
At peditatus reliquiæ erant, ſi viuerent.
Quid tibi ego dicā, quod omnes mortales ſciunt,
Pyrgopolynicem te vnum in terra viuere
Virtute, & forma, & factis inuictiſſimis? &c.

NOTVLÆ.

Mihi conſolari volo.) MIHI παρέλκει. Senſum & rationem affingit macheræ, quaſi lamenti & conſolationis capax ſit, vt homo. *Fartum facere ex hoſtibus.*) Tractum à fartoribus, qui carnes, vnde farcimina, iſitia, & ſimilia confecturi ſunt, in minutiſſimas partes diſſecant. Significat geſtire gladium ſuum iam pridem otioſum, hoſtes in fruſta minutatim concidere, zu kleinen ſtucken zerhacken. *Gurguſtidoniis, Bombomachides, &c.*)

Riſus

Riſus cauſa hæc nomina, vt & alia huius ſcenæ, excogitauit Plautus. *An panniculam tectoriam)* Turnebus interpretatur lanoſam comam, qualis eſt arundinum, quibus integi villaticæ domus ſolent, cuius & Plin. meminit lib.16.cap.36. *Tu quæ nunquam feceris)* Hæc auerſus ad ſpectatores dicit, quaſi milite non audiente, vt ſæpe fit in theatro: & ea venia danda eſt dramatis. *Quidquid eſt)* quidquid eſt, quod tu dicere vis, ego ſcio, & memini, & tibi aſſentior eſſe verum. *Vis rogare?)* ſubaudi utendas. Quaſi dicat, accipe à me utendas, ſi vis. *Septem millia)* Collectio perſpicuè falſa.

Ex Sticho.

QVid non dicit eſuriens paraſitus, vt reiectus ab Epignomo, qui conuiuator erat futurus, à Pamphilippo ad cœnam pro umbra ducatur: aut is domi ſuæ coqui iubeat, & eò ſe inuitet? Sed fruſtra eſt. Abit triſtis, & ſuſpendere ſe mauult, quam vt fame interijſſe prædicetur.

GELASIMVS paraſitus, PAMPHILIPPVS, EPIGNOMVS adoleſcentes.

GE. *Cum amicis deliberaui iam, & cum cognatis meis,*
Id mihi auctores fuere, vt egomet me hodie iugularem fame.
Sed videóne ego Pamphilippũ cum fratre Epignomo? atq; is eſt.
Aggrediar hominẽ. Sperate Pamphilippe, ô ſpes, mea, *O mea*

O mea vita, & mea voluptas, ſalue, ſaluum gaudeo
Peregrè in patriam rediiſſe ſaluum. PA. *Salue Gelaſime.*
GE. *Valuiſtin' bene?* PA. *Suſtentaui ſedulò.*
GE. *Aedepol gaudeo.*
Aedepol næ egomet mihi modiûm nunc mille eſſe argenti velim.
EP. *Quid eo opus?* GE. *Hunc ad cœnam hercle vt vocem, te non vocem.*
EP. *Aduorſum te fabulare quidem.* GE. *ambos vt vocem.*
EP. *Aedepol te vocem libenter, ſi ſuperſiat locus.*
GE. *Quin tu, ſtas, obtruſero aliquid ſtrenuè.*
EP. *Immo vnum hoc poteſt.*
GE. *Quid?* EP. *Vbi conuiuæ abierint, tum venias.*
GE. *Væ ætati tuæ.*
EP. *Vnà tantum, non ad cœnam dico.* GE. *Dii te perduint.*
Quid agis Pamphilippe? PA. *Ad cœnam herclè aliò promiſi foras.*
GE. *Quid? foras?* PA. *foras hercle verò.* GE. *qui, malûm, tibi laſſo libet*
Foris cœnare? PA. *Vtrum tu cenſes?* GE. *iube domi cœnam coqui,*
Atq; ad illũ renuntiari. PA. *ſolus cœnabo domi?*
GE. *Non enim ſolus, me vocato.* PA. *At ille ne ſuccenſeat,*
Mea qui cauſſa ſumptum fecit. GE. *facile exſari poteſt.*

Mihi

EP. *Si arcte poteris accubare.* GE. *Vel inter cuneos ferreos.* *(loci.*
Tantillum loci ubi catellus cubet, id mihi ſat eſt
PA. *Exorabo aliquo modo.* EP. *Veni.* GE. *Huccine?*
EP. *imo in carcerem.*
Nam hîc quidem meliorem genium tuum non facies. Eamus tu.
PA. *Deos ſalutabo modò, poſtea ad te cõtinuò trãſeo.*
GE. *Quid agitur?* EP. *Dixi equidem, in carcerẽ iris.*
GE. *quin ſi iuſſeris,*
Eò quoq; ibo. PA. *Dii immortales, hic quidem vel ſumma in crucem*
Cœna, aut prandio perduci poteſt. GE. *Ita ingenium meum eſt.*
Quicumuis depugno multo facilius, quàm cum fame,
PA. *Non ergo is tu? apud me ſatis ſpectata eſt mihi tua iam felicitas.*
Dum paraſitus mihi atq; fratri fuiſti, rem confregimus.
Nunc ego nolo è Gelaſimo mihi te Catagelaſimũ.
GE. *Iãne abiſti Gelaſime? vide quid es capturus cõſilii.*
Egóne? túne? mihíne? tibíne? vides ut annona eſt grauis?
Vi benignitates hominũ periere, & prothymia?
Vides ridiculos nihili fieri, atq; ipſos paraſitarier
Nunquam ædepol me viuum quiſquam in craſtinum proſpiciet diem.
Nam mihi iam intus potione vincea onerabo gulam.

 Neq;

Neq; ego hoc committam, vt homines mortuum me dicant fame.

NOTVLÆ.

SVſtentaui ſedulo) Venuſta formula reſponſionis, qua de valetudine interrogati peregrè redeuntes vtebantur. Supra *Valuiſtin' vſq;? Ep. Suſtentatum eſt ſedulò. Aduerſum te fabulare.*) Dicis quod tibi obeſt. Nam ego cœnam dabo, ego ero cœnæ pater. Et dum affirmas nolle te vocare me ad cœnam, facis vt viciſſim te nolim. *Quin tu ſtas, obſtruſero aliq. ſtrenuè.*) Legendum cum diſtinctione. *Quin tu*: ſubaudi, inuitas. *Stas* participium eſt pro *ſtans*, vt in prolog. Mercat. muſſas pro muſſans. Cum enim Epignomus negaret locum eſſe, vbi reciperetur, alioqui ſe illum ad cœnam vocaturum, paraſitus ſoluit hominem ea cura: non, inquit, moror ſedere: ſtans comedero. Obſtrudere autem, tuburcinare, &, vt inquit Plaut. coruitare, hæc omnia pro eodem dicebant, nempe auidè veſci, idq; etiã Feſtus notat. *Quam afflict. hom. &c.*) quam ſit infeſta furibus, & graſſatoribus noctu hæc via. Cum redieris domum à cœna, inuadent te. Melius foret domi cœnare. *Ire aduorſum.*) Aduerſum ire eſt obuiã ire, ſeu occurrere. Romanis aduerſitores erant ſerui, qui dominum deducerent quopiam, & reducerent. *Non it, non it, &c.*) Quia ſic eum vrget vt domum eat, ibiq; cœnet, non it. *Betat* dixit pro eat. Betere eſt ire, vnde perbitere perire. Feſtus,

Noni-

Nonius. *Te lapide percuſſum velim)* à nocturnis illis, de quibus dictum, velim in te redeuntem à cœna lapides iaci. *Vel inter cuneos ferreos)* vel in arctiſſimo loco accumbere potero. Hyperbole. Quid enim anguſtius eo loco, in quem duo, aut plures cunei adiguntur, cum lignũ, verbi gratia, aliquod finditur? Tum inter duos cuneos patet tenuiſſima tantum rima. *Quem confregimus)* Fratres hi duo Epignomus, & Pamphilippus rem familiarẽ luxu, & delicijs perdiderant. Eam mercaturis faciendis cum recuperaſſent, redeunt domum, & paraſitum, quo ſocio, & adiutore decoxerant, repellunt, ac ludibrio habent. *E Gelaſimo Catagelaſimũ)* Nolo te è ridiculo, & vrbano riſum mouente fieri deridiculum. *Prothymia)* promptæ voluntates. *Potione vincea.)* Ita vocat laqueum. Potionem quidem, quod cum potum guttur ſoleat transmittere ipſi inditum, inditur, & inducitur ei laqueus, quaſi transmiſſuro. Vinceam autem à vinciendo venuſtè deflexit, & ad potionem vineam, vel vinaceam interim eleganter alluſit, quod laqueo collum vinciatur.

Ex Trinummo.

Elegantiſſima, ac diuina Scaligero eſt hæc fabula, & exemplum fidelis amici proponit. Inſcriptionẽ habet à tribus nummis, quibus cõductus eſt Sycophanta, qui peregrè redeuntem Charmidem deludit ante ædes ipſiús miris modis. Non vereor affirmare, in toto Plauto hac

ſcæna quamuis longa, nihil lepidius, iocoſius, facetius extare; ad quam, imò enim verò ad totam comœdiam melius percipiendum, totius comœdiæ argumentum, vt à me annis abhinc amplius quadraginta conſcriptum eſt, huc adſcribam.

Profecturus ad mercatum Charmides filiam virginem, & Leſbonicum adoleſcentem filium, cum Staſimo ſeruo domi relinquit. Sed cum filio malæ frugi malè fideret,& ne is abſente patre rem omnem dilapidaret permetueret, cum Callicle amico egit, vt in fidem ſuam liberos acciperet, eique aurum, quod in ædibus defoderat, indicauit; quod filiæ in dotem daret, ſi quid ſibi abſenti humanitus contigiſſet. Profecto in Seleuciam patre Leſbonicus in ἀσωτίᾳ viuens ipſas etiam ædes ad extremum venales inſcribit litteris. Emit eas Callicles, eo conſilio, vt reduci amico reſtituat: ſimul ne theſaurus, de quo Charmides ſecum mentionem fecerat, in cuiusquam alterius manus perueniret. Cum vulgò audiret malè, caſtigatorem ſuum Megaronidem re explicata placatum dimittit. Forte Lyſiteles adoleſcens Philtonis filius, nobilis ac diues ſororem Leſbonici ſine dote petit. Patrem huic rei allegat. Recuſat Leſbonicus ſororem indotatam dare in matrimonium, ne videatur potius in cõcubinatum dare: agrum, qui luxurię ſuppereſſet vnicus, doti aſſignat. Huic rei Staſimus ſeruus, domino conſultum cupiens, vehementer obſiſtit.

obſiſtit. Callicles ratus id ſibi quoque turpe futurum, dandam puellam cum dote cenſet. Atq; vt perditus adoleſcens patris theſaurum ne olfaciat, Megaronidis conſilio Sycophantam conducit graphicum, qui ſe dicat à Charmide apportare litteras, & aureos Philippeos M. vnde dos virgini conficiatur. Eos de theſauro Callicles accepturus erat. Factum probè. Cum iam ad Calliclem is ſycophanta properaret, ante ipſas ædes Charmidi reuerſo occurrit. Ibi inter eos lõga, & facetiarũ pleniſſima concertatio exoritur. Deniq; filiam deſponſam reperit Charmides, probat. Aedes item à Callicle emptas diſcit; re explorata eius erga ſe fidem prædicat; filio ignoſcit.

SYCOPHANTA, CHARMIDES ſenex.

SY. *Huic ego diei nomen Trinummo faciam: nam ego operam meam*
Tribus nũmis hodie locaui ad artes nugatorias.
Aduenio ex Seleucia, Macedonia, Aſia, atq; Arabia,
Quas ego neq; oculis, neq; pedibus unquã uſurpaui meis.
Viden' egeſtas quid negotii dat homini miſero mali?
Qui ego nunc ſubigor trium nummorum cauſſa, ut has epiſtolas
Dicam ab eo homine me accepiſſe, quem ego qui ſit homo neſcio,

Neq; noui: neque natus, nec ne is fuerit, id ſolidò ſcio.

CH. *Pol hic quidem fungino genere eſt, capite ſe totum tegit:*

Illurica facies videtur hominis, eo ornatu aduenit.

SY. *Ille qui me conduxit, vbi conduxit, abduxit domum.*

Quæ volui, mihi dixit: docuit, & præmonſtrauit prius,

Quomodo quicq; agerem: nunc adeò ſi quid addidero amplius,

Eo conductor melius de me nugas conciliauerit.

Vt ille me exornauit, ita ſum ornatus: argentum hoc facit,

Ipſe ornamenta à Chorago hæc ſumpſit ſuo periculo.

Nunc ego ſi potero ornamẽtis hominem circumducere,

Dabo operam, vt me eſſe ipſum planè ſycophantam ſentiat.

CH. *Quàm magis ſpecto, minus placet mihi hominis facies: mira ſunt*

Ni illic homo eſt aut dormitator, aut ſector Zonarius.

Loca contemplat, circumſpectat ſeſe, atq; ædes noſcitat.

Credo ædepol quò mox furatum veniat, ſpeculatur loca.

Magis lubido eſt obſeruare quid agat: ei rei operam dabo.

SY.

SY. *Has regiones demonſtrauit mihi ille conductor meus.*
Apud illas ædes ſiſtendæ mihi ſunt ſycophantiæ.
Fores pultabo. CH. *ad noſtras ædes hic quidem habet rectam viam.*
Hercle opinor mihi aduenienti hac noctu agendæ ſunt vigiliæ.
SY. *Aperite hoc, aperite, heus ecquis foribus tutelam gerit?*
CH. *Quid adoleſcens quæris? quid vis? quid iſtas pultas?* SY. *heus ſenex,*
Cenſus coniuratori ſi recte rationem dedi,
Lesbonicum hic adoleſcentem quæro, in his regionibus
Vbi habitet, & item alterum ad iſtanc capitis albitudinem,
Callicem aiebat vocari, qui has mihi dedit epiſtolas.
CH. *Meum gnatum hic quidem Lesbonicum quærit, & amicum meum,*
Cui ego liberosq́ue, bonaq́ue commendaui, Calliclem.
SY. *Fac me ſi ſcis certiorem hiſce homines vt habitent, pater.*
CH. *Quid eos quæres? aut quis es? aut vnde es? aut vnde aduenis?*
SY. *Multa ſimul rogitas, neſcio quid expediam potiſſimum.*
Sin vnum quidquid ſigillatim, & placide percunctabere,

Et meum nomen, & mea facta, & itinera ego faxo ſcias.

CH. *Faciam ita vt vis. Agedum, nomen tuum primùm memora mihi.*

SY. *Magnum facinus incipis ſic petere.* CH. *quid ita?* SY. *quia, pater,*
Si ante lucem ire occipias à meo primo nomine,
Concubium ſit noctis priusquam ad poſtremum perueneris.

CH. *Opus farto eſt, & viatico ad tuum nomen, vt tu prædicas.*

SY. *Eſt minuſculum alterum, quaſi vaſculum vinarium.*

CH. *Hic homo ſolidè ſycophanta eſt. Quid ais tu adoleſcens?* SY. *quid eſt?*

CH. *Eloquere, iſti tibi quid homines debent quos tu quæritas?*

SY. *Pater iſtius adoleſcentis dedit has duas mihi epiſtolas*
Lesbonici. CH. *mihi eſt amicus, teneo hunc manifeſtarium.* (*probè.*
Me ſibi epiſtolas dediſſe dicit; ludam hominem

SY. *Ita vt occœpi, ſi animum aduortas, dicam.*
CH. *dabo operam tibi.* (*ſtolam;*

SY. *Hanc me iuſſit Lesbonico ſuo gnato dare epi-*
Et item hanc alterã ſuo amico Callicli iuſſit dare.

CH. *Mihi quoq; adepol, quoniam hic nugatur, contrà nugari lubet.*
Vbi ipſe erat? SY. *bene rem gerebat.* CH. *ergo vbi?* SY. *in Seleucia.*

CH.

CH. *Ab ipſone iſtas accepiſti?* SY. *è manibus dedit mihi ipſe in manus.*

CH. *Qua facie eſt homo?* SY. *Seſquipede quidem eſt quàm tu longior.*

CH. *Nouiſtin' hominem?* SY. *ridiculè rogitas, quî cum vnà cibum*

Capere ſoleo. CH. *quod eſt ei nomen?* SY. *quod adepol homini probo.*

CH. *Lubet audire.* SY. *illi adepol illi illi: væ miſero mihi.*

CH. *Quid eſt negocii?* SY. *deuoraui nomen imprudens modò.*

CH. *Non placet, qui amicos intra dentes concluſos habet.*

SY. *Atq; etiam modò vorſabatur mihi in labris primoribus.*

CH. *Tempore huic hodie anteueni.* SY. *teneor manifeſtò miſer.*

CH. *Iamne commentus es nomen?* SY. *deûm hercle me, atq; hominum pudet.*

CH. *Vide homo vt hominem noueris.* SY. *tanquam me. Iſtuc fieri ſolet,*

Quod in manu teneas, atq; oculis videas, id deſideres.

Litteris recomminiſcar. Eſt principiũ nomini.

CH. *Callicles?* SY. *non eſt.* CH. *Callippus?* SY. *non eſt.* CH. *Callidemides?*

SY. *Non eſt.* CH. *Callinicus?* SY. *non eſt.* CH. *Callimachus?* SY. *nil agis.*

Neq; adeò adepol floccifacio, quãdo egomet memini mei.

CH. *At enim multi Lesbonici ſunt hic, niſi nomen patris.*
Dices, non monſtrare poſſum iſtos homines quos tu quaritas.
Quod ad exemplum eſt? coniectura ſi reperire poſſumus.
Ad hoc exemplum eſt? an Chares? an Charmides? num Charmides?

SY. *Hem iſtic erit, qui iſtum di perdant.* CH. *dixi equidem iam dudum tibi:*
Te potius benedicere aequum eſt homini amico, quàm malè.

SY. *Satin' intra labra atq; dentes latuit vir minimi precii?*

CH. *Ne malè loquare ei praſenti amico.* SY. *quid ergo ignauiſſimus*
Mihi latitabat? CH. *ſi appellaſſes, reſpondiſſet nomine.*
Sed ipſe vbi eſt? SY. *pol illum reliqui ad Rhadamantum in Cecropia inſula.*

CH. *Qui homo eſt me inſipientior, qui ipſe egomet vbi ſim quaritem?*
Sed nihil diſconducit huic rei. quid ais? SY. *quid?* CH. *hoc quod te rogo,*
Quos locos adiſti? SY. *nimium miris modis mirabiles.*

CH. *Lubet audire, niſi moleſtum eſt.* SY. *quin diſcupio dicere.*
Omnium primum in Pontum aduecti ad Arabiam terram ſumus.

CH. *Ehò*

CH. *Ehò an etiam Arabia eſt in Ponto?* SY. *eſt, non illac vbi thus gignitur,*
Sed vbi abſinthium fit, atq; cunila gallinacia.
CH. *Nimium graphicum hũc nugatorem: ſed ego ſum inſipientior,*
Qui egomet, vnde redeam, hunc rogitem, quæ ego ſciam, atq; hic neſciat:
Niſi quia lubet experiri, quo euaſurus eſt denique,
Quod eſt tibi nomen adoleſcens? SY. *Pax, id eſt nomen mihi:*
Hoc quotidianum eſt. CH. *adepol nomen nugatorium.*
Quaſi dicas, ſi quid crediderim tibi Pax, periiſſe illico.
Sed quid ais, quò inde iiſti porrò? SY. *Si animum aduortas, eloquar.*
Ad caput amnis, quod de cælo exoritur ſub ſolio Iouis.
CH. *Sub ſolio Iouis?* SY. *ita dico.* CH. *è cælo?* SY. *atq; medio quidem.*
CH. *Ehò an etiam in cælum aſcendiſti?* SY. *imò horiola aduecti ſumus,*
Vſq; aqua aduorſa per amnem. CH. *ehò an etiã vidiſti Iouem?*
SY. *Callicli iſſe ad villam aiebant ſeruis depromptũ cibum.*
Deinde porrò. CH. *deinde porrò nolo quicquam prædices.*

SY. Ego

SY. *Ego herclè, ſi eris moleſtus.* CH. *nam pudicum neminem*
Eſſe oportet, qui abs terra ad cælum peruenerit.
SY. *Dimittam vt te velle video, ſed monſtra hoſce homines mihi.*
Hos ego quæro, quibus me oportet hæc deferre epiſtolas.
CH. *Quid ais tu nunc, ſi fortè eum ipſum Charmidem conſpexeris?*
Illum quem tibi iſtas dediſſe commemoras epiſtolas?
Noueríſne hominem? SY. *ne tu me adepol arbitrare belluam,*
Qui quidem non nouiſſe poßim, quicum ætatem exegerim.
An ille tam eſſet ſtultus, qui mihi mille nummûm crederet
Philippeûm, quod me aurum deferre iußit ad gnatum ſuum,
Atq; ad amicum Calliclem, cui rem aiebat mandaße hic ſuam:
Mihi concrederet, niſi me ille, & ego illum noſſem approbè?
CH *Enimuerò ego nunc Sycophantæ huic ſycophãtari volo,*
Si hunc poßim illis mille nummis Philippeis circumducere,
Quos ſibi me dediſſe dixit: quem ego qui ſit homo, neſcio,
Neq; oculis ante hunc diem unquam vidi, eíne aurum crederem?

Cui ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum.
Aggrediundus eſt hic homo mihi aſtu. heus Pax, te tribus verbis volo.
SY. *Vel trecentis.* CH. *haben' tu id aurum, quod accepiſti à Charmide?*
SY. *Atq; etiam Philippûm, numeratum illius in menſa manu,*
Mille nummos. CH. *nempe ab ipſo id accepiſti Charmide?*
SY. *Mirum quin ab auo eius, aut proauo acciperẽ, qui ſunt mortui.*
CH. *Adoleſcens cedò dum iſtuc aurum mihi.*
SY. *quod ego aurum dem tibi?*
CH. *Quod a me te accepiſſe faſſus.* SY. *abs te accepiſſe?* CH. *ita loquor.*
SY. *Quis tu homo es?* CH. *qui mille nummûm tibi dedi, ego ſum Charmides.*
SY. *Neq; edepol tu is es, neq; hodie is unquam eris, auro huic quidem.*
Abi ſis nugator, nugari nugatori poſtulas.
CH. *Charmides ego ſum.* SY. *nequicquam herclè es: nam nihil auri fero.*
Nimis argutè obrepſiſti in eapſe occaſiuncula,
Poſtquam ego me aurum ferre dixi, poſt tu factus Charmides.
Prius tu non eras, quàm auri feci mentionem, nihil agis,
Proin tu te itidem vt Charmidatus es, rurſum re Charmida.

CH. *Quis*

CH. *Quis ego ſum igitur, ſiquidem is non ſum qui ſum?* SY. *quid id ad me attinet?*

Dum ille ne ſis, quem ego eſſe nolo, ſis mea cauſa quod lubet.

Prius non is eras qui eras, nunc is factus qui tum non eras.

CH. *Age ſi quid agis.* SY. *quid ego agam?* CH. *aurum redde.* SY. *dormitas ſenex.*

CH. *Faſſus Charmidem dediſſe aurum tibi?* SY. *ſcriptum quidem.*

CH. *Properas, an non properas abire actutum ab his regionibus,*

Dormitator, priusquam ego hîc te iubeo mulctari malè?

SY. *Quamobrem?* CH. *quia illum quem ementitus es, ego ſum ipſus Charmides,*

Quem tibi epiſtolas dediſſe aiebas. SY. *ehò quaſo, tu is es?*

CH. *Is enimuerò ſum.* SY. *ain' tu tandem, is ipſusne es?* CH. *aio.* SY. *ipſus es?*

CH. *Ipſus inquam Charmides ſum.* SY. *ergò ipſúſne es?* CH. *ipſiſſimus.*

Abi hinc ab oculis. SY. *enimuerò ſerò quoniam aduenis,*

Vapulabis arbitratu meo, & nouorum ædilium.

CH. *An etiam maledicis?* SY. *immo ſaluus quandoquidem aduenis.*

Di te perdant, ſi te floccifacio, an periiſſes prius,

Ego

Ego ob hanc operam argentum accepi, te mactò infortunio.
Sed enim tu quiſiſ, qui non ſis, floccum non interduim.
Ibo ad illum, renunciabo, qui mihi tres nummos dedit,
Vt ſciat ſe perdidiſſe. Ego abeo. malè viue & vale.
Quod dii te omnes aduenientem peregrè perdant Charmides.
CH. *Poſtquam ille hinc abiit, poſt loquendi liberè*
Videtur tempus veniſſe, atq; occaſio.
Iam dudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negotii fuerit ante ades meas.
Nam epiſtola illa mihi concenturiat metum
In corde, & illud mille nummûm quam rem agat.
Nunquam adepol temerè tinnit tintinabulum,
Niſi qui illud tractat, aut mouet, mutum tacet.
Sed quis hic eſt, qui huc in plateam curſuram incipit?
Lubet obſeruare quid agat, huc conceſſero.

NOTVLÆ.

F*Vngino genere eſt*) Ad cauſiam, ſeu petaſum reſpicit, quē capite geſtabat. *Illurica facies. v. hom.*) quænam ſit iſta facies, nemo explicat. Et forte facies pro toto aſpectu poſuit, cum ſequatur ratio, *eo ornatu aduenit*, & hominem Illyricum ſuſpicatur. Melius nō occurrit. *Aut dor-*

mitator

mitator, aut ſector Zonarius) Dormitator, id eſt, fur, quod interdiu dormiat, noctu vigilet ad furandum: quomodo & Heſiodus furem appellat ἡμερόκοιτον. Antiquitus autem æs in zonis gerebant: aut, vt hodie, in crumenis de zonis pendentibus. Vnde ſectores illi crumeniſecæ, ſcelus crumeniſecium. *Cenſus coniuratori, &c.)* Planius ſic legas, *cenſus cum ſum, iuratori rectè rationem dedi.* Senſus hic. Quid tu me rationes poſcis? cum cenſus ſum, tum iuratori rectè dedi. Iurator hic pro cenſore, non tam ideo quod ipſe iuraret, quàm quod alios ſub iuramento ex animi ſententia cenſeret. Apud eum quoque peregrini & nomina, & patriam, & negotia profiteri cogebantur. *Vt habitent)* vbi habitent. *A primo meo nomine)* ab initio nominis mei. Vt prima platea, &c. *Opus farto eſt)* Emenda, opus face, ſeu facla eſt. In tam longo itinere ad permeandum eius nomen, quod non poteſt ante concubium noctis, ſi vel ante lucem ire occipias. Dicit face opus, & viatico propter victum, & propter tenebras. *Homini amico.)* Suprà enim dixiſti Charmidem eſſe amicum tuum, qui dederit tibi has epiſtolas. *Ad Rhadamant. &c.)* fictus locus, vt videtur. Vide tamen Taubmanni Collectan. *Cunila gallinacea.)* Plin. lib. 20. cap. 26. *Pax, id eſt nomen mihi)* Tax legunt doctiores, à tangendo, vt ſignificet ſe furacem eſſe. Et ita ſenex intelligit. *Horiola)* nauis modica, piſcatoria. *Callicli iſſe ad villam)* lege Alij (ſcilicet dij.)

De

De Ioue enim interrogatus, an eum vidiſſet, nihil potuit reſpondere lepidius, cùm reſponſurus eſſet, non vidiſſe, quàm quod dij de eius abitu ſibi retuliſſent. *Scriptum quidem*) non ipſum aurum mihi dedit, ſed tantum auri ſummam, in tabellis notatam. Apertè mentitur. Paulo ante dixit, ſibi creditum mille nummûm Philippeûm. *Serò quon. aduenis, &c.*) Ad hiſtrionum pœnas alluditur. Si quid deliquerant in actione, poſtea vapulabant. In culpis autem fuit, ſi quis ſeriùs quàm oporteret, in proſcenium ingrederetur. Hinc ſycophanta Charmidi minatur, qui fabula iam magnam partem acta peregrè domũ venit, daturum eum pœnas, quòd ſerò venerit. *Dij te perdant ſi, &c.* Volebat, & debebat dicere, *dij me perdant, ſi, &c.* ſed facetè errat, mutata perſona. *Nouorum ædilium*) Hi ſolebant comœdias emere, & populo exhibendas curare.

SYNTAGMA OCTAVVM.

MIRA MIRORVM. IN HOMINIBVS.

I. *Riſus naſcentis, cerebrum palpit.*

ἀγέλαστοι, *riſu mortui.*

NAscentivm vox prima vagitus eſt: lætitię enim ſenſus differtur in quadrageſimum diem. Zoroaſter riſit eadem hora qua natus eſt: idque futuræ improbitatis indicium fuit. Eidem puero ita palpitauit cerebrum, vt impoſitam manum repelleret, futuræ præſagio ſcientiæ. Plin.lib.7.c.16. At Craſſus, auus eius, quem rapuerunt bella Patthica, quod nunquam riſerit, fertur ἀγέλαστος cognominatus. Plin.ibid.& cap.1.) Solin.cap.4. De Socrate, & Catone (cenſorio an Vticenſi?) idem legitur. Zeuxis pictor anum ridentem ab ſe ſcitiſſimè pictam auidius ſpectans tam effusè riſit, vt animam expirauerit. Contigit hoc idem Philæmoni Comico, dum aſinum ficus ſibi paratas comedentem intuetur. Neſcire ſe fatetur Cicer. in perſona Antonij 2. de orat. quid ſit, quod ita nonnunquam repentè erumpat riſus, vt eum cupientes, tenere nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet. De riſu agit Quintilian.lib.6.c.3.

II. *Memoria præcellens.*

ALexand. M. memoratur edidiciſſe totã Iliadem, & Odyſſeæ partem non modicam. Dio Chryſoſt. orat. 4. de regno, Adrian. Aug. libros ſtatim lectos, & ignotos quidẽ plurimis, memoriter reddidit. Spartian. Fertur & Demoſthenes Thucydidem, quo delectabatur impenſius, o-

cties ſua manu deſcripſiſſe,& ad verbum memoriæ mandauiſſe. Choſroes Perſarum rex omnia ſcripta Ariſtotelis memoria comprehendit. Auctor Agathias Smyrnæus, hiſtoriar. libro 2. Parum ergo fuit,quod de Alexandro,& Demoſthene prædicauimus. Reperies exempla inſignis memoriæ apud Plin.lib.7.cap.24.& Solin. cap.7. Senecam prolog. Declamat. Valer. lib. 8. cap. 7. Alex.ab Alex.lib.6.cap.18.Muret.lib.3.cap.1. Adrian. Iunium lib. 1.cap. 4. Legimus Eraſmum puerum adhuc totum Terentium, & Horatium edidiciſſe.

III. *Ingenium præcociſsimum.*

IOannes Picus Mirandulanus nondum annos vitæ XXIV. compleuerat, cum concluſiones ex dialecticis,moralibus,phyſicis,mathematicis, metaphyſicis, theologicis, magicis, caballiſticis cum ſuis, tum ſapientum Chaldæorum, Arabũ, Hebræorum, Græcorum, Ægyptiorum, Latinorumque placitis Romæ propoſuit,ideoq; obtrectationes multas ſubijt. Morte immatura ſublatus eſt, anno ætatis XXXIII. quo itẽ anno Laurentius Medices, ſingularis ſtudiorũ Mecænas, Hermolaus,Politianus vitam finiuerunt. Fæliciſſimi certè,ſi non præcociſſimi ingenij argumentum fuit in Q. Cicerone Marci fratre, quod adhuc adoleſcens, vt reor, IV. tragœdias diebus

non plus XVII. abſoluit. Barcinone in Hiſpania repertus eſt puer quadrimus, qui præter omnem naturæ curſum, & Euangelia Domini memoria tenebat, & latina lingua præſtantius quam vernacula loquebatur. Nicol. Orlandin. Hiſt. Societat. lib. 4.

IV. *Quæſtus medicus.*

HIeronymus Capiuaccius, medicus Patauinus haud ignobilis, lib. de lue Venerea cap. 2. narrat, ſe ex curatione luis Gallicæ pluſquam XVIII. millium coronatorum ἴατρον conſecutum. De eius morbi origine, & curatione libros tres eleganti, & graui carmine compoſuit Hieronymus Fracaſtorius, quibus Syphilidis nomen præſcripſit, quod ex amore, & coniunctione Veneris, vt plurimum ſuboriatur, vt Syphilis quaſi concordiæ, atque amicitiæ Venereæ partus ſit. Vide ſi lubet eundem de morbis contagioſis lib. 2. cap. 11. Et de diuerſis appellationibus ſcabiei huius Commentar. Salmuth in Panciroli lib. 2. pag. 89.

V. *Studiorum* ἀδιάλειψις, *ſeu continuatio.*

BArtholus Iureconſultus voluptates omnes adeò ſeuerè relecerat, vt ne horulam quidē vltra naturæ neceſſitatem ſtudijs detrahi pateretur.

tur, Iouius in Elog. Miranda item de Gulielmi Budæi in ſtudijs aſſiduitate,& labore indefeſſo in eius vita eſt legere. In quibus & hoc, ipſo nuptiarum ſuarũ die, quo nullus eſſe debet hilarior, omniq; cura ſolutior, minimum tres horas ſtudendo conſumpſiſſe. Nec momentum ſinebat per otium effluere. O viros ſapientiæ cupidiſſimos. O nos ignaua pecora, ſi cum talibus compararemur. Eiuſdem Budæi locum ex epiſtola ad Lud. Viuem lib.1.huc transferamus. Enimvero lectitandi, commentandi, ſcriptitandi voluptatem ijs quidem certè, quibus ea res ſub manus ſuccedit, numine aliquo aſpirante, nec ære, nec auro permutandam eſſe cenſeo, ne ſceptris quidem ipſis, nedum faſcibus, & infulis ad vulgus ſplendorem ſuum venditantibus,&c.

VI. *Præmium conſtantiæ.*

IOannis Fiſcheri, Epiſcopi Roffenſis conſtantia inuictiſſima,in tuendo matrimonio Catharinæ Caroli V. Imp. materteræ cum Henrico VIII. Anglorum rege, aduerſus eiuſdem regis iniquum cum ea diuortium, nouumq; cum Anna Bolenia coniugium, ſiue potius adulterium; item aduerſus eiuſdem ſcelus,& inſaniam,qua ſibi ſummi capitis Eccleſiæ auctoritatem in regno ſuo arrogabat, adeò placuit Paulo III. Pont. Max. vt iam coniectum in carcerem, vnde paulo poſt ad capitis ſupplicium eductus eſt, Cardina-

anti pinna in os inſereretur ad exonerandum ſtomachum. Sueton. Hadrian. cum auctor eſſet vt multi triſtes ab eo recederent, dicebat ſe grauiter ferre ſi quem triſtem videret. Spartian. Commodus cuſtodes honeſtos vitæ ſuę non potuit ferre, peſſimos quoſque detinuit, & ſubmotos vſque ad ægritudinem deſiderauit. Lamprid. Heliogabalus non ſolum Romæ, ſed per orbem terrarum voluit religionem extinguere, vnum ſtudens, vt Heliogabalus vnus vbique deus coleretur. Omnes deos ſui dei miniſtros eſſe aiebat, cum alios eiuſdem cubicularios appellaret: alios ſeruos; alios diuerſarum rerum miniſtros. Lamprid.

IX. *Sacra poëſis.*

ÆGidius Delphus Theologus totum fermè diuinæ ſcripturæ corpus carmine complexus eſt. Petrum Rigam quoque in vtroque teſtamento idem præſtitiſſe, in Hiſtoria poëtarum auctor eſt Gyraldus. Pſalmos quidem Dauidicos conſtringi numeris poëticis, (quod ſingulis pæne annis à poëtis noſtris, & diuerſis quidem carminum generibus fieri, ex Catalogis nundinarum librariarum Francofurtenſium cõperimus) ægrè fert in Poëtica ſua Iulius Scaliger. Nec id credo in alijs libris vtriuſuis Teſtamenti laudaret. Sed antiquitate, & multitudine id facientium vincitur.

X. *Cæcus, ſacerdos, duplex Doctor, memoria præſtans.*

NIcaſius Mechlinienſis à tertio ætatis anno oculis captus, Louanij Theologus renunciatus, Roman. Pont. conceſſu ſacerdos eſt conſecratus, concionatoris, & cætera ſacerdotũ munera obiuit: ſic tamen, vt in ſacrificio miſſæ alius ei ſacerdos adeſſet. Coloniam profectus, cum ſe iuriſprudentiæ ſtudio dedidiſſet, leges, quas nunquàm legerat, ſed auditu tantum perceperat, ſic mente tenuit, & ore palam recitauit, vt communibus Academici ſenatus ſuffragijs Doctor ſit renuntiatus. Scripſit Comment. in lib. IV. Inſtitut. Iuſtinian. Carolus Fernandus Brugenſis, & ipſe infans captus oculis ſic in litterarum ſtudijs profecit, vt cùm Pariſijs verſaretur, ibi publicè diſciplinas profeſſus ſit. In Elog. Belgarum ſcriptorum.

XI. *Orationes Gorgiæ Sophiſtæ, & ætas.*

HVius orationes tantoperè admirati ſunt Athenienſes, vt dies, quibus eſſent pronuntiatæ, dicerent ἑορτὰς feſtos: ipſas verò orationes lampadas. Vixit annos 80. quia nihil vnquã voluptatis cauſſà fecit; quam rationem longæuitatis ſuæ reddidit. Athenæus lib. 12. c. 26.

XII. Na-

XII. *Nuptiæ, & liberalitas Alexand. M.*

NVptias amicorum Suſis (in Perſide) celebrans, atque ipſe filiam Darij Statiram ducens, & præſtantiſſimas cæteris ſuorum præſtantiſſimis coniungens, nec non & Macedonibus, qui iam ante nuptias peregerant, epulum ſponſale præbens (cum quidem nouem hominum millibus ad cœnam inuitatis, vnicuilibet aurea patera ad libandum data eſt) cum in reliquis admirabili vſus eſt magnificentia, tum æs alienum de ſuo ipſe creditoribus diſſoluit, cuius ſumma impenſæ fuerunt IX. millia talentorum, & DCCCLXX. Plutarch. in Alexandro. De earundem nuptiarum ſplendore & magnificentia Athenæus multa lib. 12. In nuptiali conuiuio, quod exhibuit Caranus rex Macedoniæ quibus donis donati ſint inuitati idem lib. 4.

XIII. *Studium candidæ cutis, funes aurei.*

POppæa Sabina Neronis vxor quingentas aſinas ſecum ducebat, quarum emulcto quotidie lacte lauabatur, ad candorem cutis retinendum. Plin. lib. 28. cap. 12. Quæ etiam mulas, quibus vehebatur, aureis funibus ſubligatas haberet. Xiphilinus. Dilexit eam Nero vnicè. Et ta-

tranſegit. Viſque adeò verum apparuit, quod de eodem teſtatus eſt Martial.lib.5.

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

XV. *Perpetua, & longiß. ſanitas.*

XEnophilus Muſicus vixit annos c v. ſine vllo corporis incommodo in omni vita. Plin. lib.7.cap.50. Vide in Syntagmat. Deſcriptionũ, de ſene à D. Hieronymo deſcripto, numero x i i. Sanitas iſonomia, hoc eſt, æquabilitate facultatum quarundam, humecti videlicet, calidi, ſicci, frigidi, amari, dulcis, & id genus aliarum continetur, vt ſcribit Alcmæon. Quod ſi monarchia in his ſe oſtentarit aliqua, tunc verò cooriri morbos, & mox conſequi interitum. Diocles ægritudinum plurimas innaſci ex elementorum in corpore anomalia ſcribit, καὶ τοῦ καταστήματος. Eraſiſtratus in alimenti copiam, & cruditates, corruptionesq́; morborum cauſſas reiecit. Quippe moderationem, & αὐτάρκειαν, id eſt, ſufficientiam, eſſe ſanitatem. Ex Rhodigin.lib.21.c.3.

XVI. Πολυτοκία.

MArgaretha Hermanni Comitis Henebergiæ vxor, x l. circiter annos nata, ipſo die Paraſceues, nonam circiter horam, anno Domini M. c c l x x v i. trecentos & l x v. enixa eſt liberos, qui prius à Guldone Suffraganeo

Traie-

Traiectensi omnes in duabus ex ære peluibus baptizati ſunt, ſimulq; omnes cum matre vno eodemque die fatis conceſſerunt, in Lausdunenſis pagi templo in Holandia ſepulti, non procul à Lugduno Batauorum, cum hoc epitaphio, in ipſa imagine adſcripto.

En tibi monſtroſum nimis, & memorabile factum,
Quale nec à mundi conditione datum.

Pauperculam fœminam, quæ ex legitimo matrimonio, & vno partu gemellos in vlnis geſtabat, contumelioſè reiecerat, ipſam adulterij inſimulans, quod per vnum virum id fieri nequiuiſſet. Quare illa tantam ei multitudinem prolium ex vno partu imprecata eſt, quot eſſent in anno dies. Sunt autem CCCLXV. Plin. lib. 7. cap. 3. narrat repertam mulierem in Peloponneſo, quæ quinos quater enixa ſit, & ex omni eius partu maiorem partem vixiſſe. Omitto Eutychen, quæ 30. quamuis non ſimul, edidit. Quæ autem ſimul plures pepererint, earum exempla permulta congeſſit Maiolus Tom. 1. Colloquio III. pag. 130. & ſeq. Hiſtoriam de illuſtri fœmina ex Euſtathio in Homeri XIII. Iliados affert Iun. Cent. 1. Adag. 83. quæ vno partu proles IX. effudit: & delectis duabus, reliquas ancillis de ponte in profluentem abijciendas dedit, qui *γέφυροι* propterea ſint nominati (quaſi Pontani dicas) poſtquam patris peregre redeuntis ſuperuentu ab exitio ſunt liberati.

XVII. Πολυετία, ſiue annoſitas.

REuerendiſs. Fridericus Fornerus, Suffraganeus Bambergenſis, anno 1613. Nouembr. 16. Monachium ad quendam de noſtris Patribus, Ioannem Buslidium litteras dedit. In his ſcriptum eſt, vſum ſacramenti confirmationis extra Bambergam à 100. ferè annis nullum fuiſſe. Se autem, cum totam diœceſin luſtraret, altaria cõſecraret, demolita, profanata reſtitueret, ad fines ſyluæ Thuringiacæ, immò in ipſa Thuringia, vbi ditio Bambergenſis cum Erfordienſi coniungitur, in 6. millibus animarũ, quibus ſacram confirmationem impertiuerit, ſupra ducentos inueniſſe, qui centeſimum annum exceſſerint. Vnum etiam, qui centeſimum, & quinquageſimum, habentem filios centum, nepotes ſeptuaginta annorum, pronepotes quoque, & abnepotes. In Aquilonaribus regionibus longæuos inueniri ad annos 160, 170. traditum eſt litteris: vt & illud, in Braſiliæ quadam parte viuere nonnullos annis 140. In Arabia autem fælici paſſim viuere, 120. Lucij II. Papæ memoria compertus eſt Ioannes quidam (cui ob longæuitatem Ioannis de temporibus inditum nomẽ fuit) vixiſſe in Gallia annos 300. qui Caroli magni armiger fuiſſe ferebatur.

XVIII. Corpiloſum, ſeu hirſutum.

Her-

hodie, in quibus ſimul omnes fortaſſe nec mille numeres. Multi etiam in illis artium mercatibus ita diſſolutè, & ignauiter verſantur, vt iurare propemodum poſſint, ſe inanes veniſſe, inanes abijſſe.

XXI. *Simillimi facie.*

REgem Antiochum Antemon quidam ex plebe Syriaca ſic facie æmula mentiebatur: vt poſtmodum Laodice vxor regia, obiecto populari iſto Antemone tamdiu diſſimulauerit defunctum maritum, quoad ex arbitratu eius regni ſucceſſor ordinaretur. Inter Cn. Pompeium, & Vibium humili loco natum tantus error extitit de paribus lineamentis, vt Romani Vibium Pōpeij nomine, Pompeium Vibij vocabulo cognominarent. Oratorem C. Plancum Rubrius hiſtrio ſic impleuit, vt & ipſe Plancus à populo vocaretur. Armentarius Mirmillo, & Caſſius Seuerus Orator ita ſe mutuò reddiderunt; vt ſi quando pariter viderentur, dinoſci non poſſent: niſi diſcrepantiam habitus indicaret. M. Meſſalla Cenſorius, & Menogenes ex fæce vulgari hoc fuerunt vterq;, quod ſinguli: vt nec alium Meſſallam quàm Menogenem, nec Menogenem alium quàm Meſſallam putarent. Plin. lib. 7. ca. 12. Solin. cap. 5. De ſimili facie Menæchmorum vide Plauti eius comœdiæ prologum.

XXII. *Fratricida ſeſe puniens.*

POſt pugnam Pharſalicam, cum confuſa corpora ad ſepulturam diſcernerentur, miles Pompeianus fratris ſui, quem ipſe obtruncauerat, corpus dum ſpoliat, agnouit. Dictis in deos conuicijs corpus rapuit, & ſub Pompeianis caſtris rogo indidit, illico pectus gladio transuerberans: ſimulque & lacrymas,& ſanguinem fundens, ſuper fraternum cadauer ſeſe igni adiecit. Eutropius.

XXIII. *Litteræ omiſſæ totis libris.*

NEſtus Lycius carminum ſcriptor, ſub Seuero Aug. Iliadem compoſuit, atque à certarũ litterarum defectu λειπογράμματον appellauit: qua etiam ratione Tryphiodorus hunc imitatus Odyſſæam conſcripſit: ſiquidem in quacunque Rhapſodia illorum librorum id deficit elementum,quod illi nomen,& numeri ordinẽ aſſignat. In primo (verbi cauſſa) nullum reperitur α. in ſecundo nullum ineſt β. ſimilique modo in ſingulis. Heſychius. Nicol.Leon.lib.3.cap.61.

XXIV. *Præſagium.*

AVguſt. Cæſar, in monarchia Iulij ſucceſſor, eodem anno quo natus eſt Chriſtus,mandauit.

pit, ne quis deinceps ſe dominum appellaret; diuinans, credo, verum orbis terrarum dominum, ac principem eſſe ortum. Verba adſcribam Oroſij de lib. 6. cap. 22. Eodemque tempore hic, ad quem rerum omnium ſumma cōceſſerat, dominum ſe hominum appellari non paſſus eſt: immò non eſt auſus, quod verus dominus totius generis humani inter homines natus eſſet. Tyrannicum quiddam veteribus ſonabat *dominus*, & ſeruos reſpiciebat. Quare vt odioſum non ab Auguſto ſolum, ſed Tiberio, & Alexandro quoque Impp. reiectum eſt, Auctores Dio lib. 55. Tertull. in Apologet. & alij. Amplius. Antiqui omnem dominis inuidiam, ſeruis contumeliam detrahentes, dominum patrem, ſeruos familiares nuncuparunt, vt ex Seneca, & Macrobio in Thyeſten notauit Delrius.

XXV. *Chriſtianorum cædes.*

INtra 30. dies Chriſtianorum XVII. millia comprehenſa, & varijs cruciamentis necata, totum prope imperium latè ſuo ſanguine infecerunt, ac memorandum Chriſtianæ pietatis, atque conſtantiæ documentum conſecrati deo martyres reliquerunt. Sigon. de imp. occident. lib. I.

XXVI. *Dulcis mors.*

GEorgius Clarentiæ comes ob ſuſpicionem affectati regni ab Eduardo IV. Angliæ rege

dum habuiſſet maritum, extremo ſibi, vt ipſi putabant, matrimonio copulatos. Summa omniũ exſpectatio virorum pariter, ac fæminarum poſt tantas rudes, quis quem prius efferret. Vicit maritus, & totius vrbis populo confluente, coronatus, & palmam tenens, adoreamque ſibi per ſingulos acclamantes, vxoris multinubæ feretrum præcedebat. Πολυγαμίας exempla collegit noſter Ioannes à Pineda de rebus Salom. lib. 7. pag. 490. Notandum lege Iulia & Papia viro ſexagenario, mulieri quinquagenariæ nuptijs interdici, quod ea ætate & viri generare, & mulieres parere deſinant, qui matrimonij proprius vſus ac finis, & in eo ſalus reipub. Quare ad libidinem videntur nupſiſſe, qui vltra hunc terminum nupſerunt. S. Gentil. in Apolog. Apuleij.

XXX. Πολυποσία.

ALexander certamen potatorium inſtituit, in quo XLI. perierunt. Victor accepta corona triduum tantum ſuperuixit. Plutarch. Diotimus Athenienſis, quod infundibulo in ore poſito vinum infuſum abſque interuallo, & reſpiratione biberet, Infundibulum dictus. Dario Perſarum regi hoc epitaphium inſcriptum. ἠδυνάμην οἶνον πίνειν πολὺν, καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς. Multum vini potui bibere, & id bene ferre. Ex Critice Chriſtiana de ritu bib. &c.

XXXI. *Hortenſius Ciceronis.*

HOc libro M. Tullius, quod ipſe teſtatur, philoſophiam ab Hortenſio, qui tum eloquētiæ principatum tenebat, accuſatam, & vituperatam defendit, atque ideò vituperatoris nomen ei Commentatio dedit. Legit hunc Auguſtinus, quanto cum fructu, ipſum narrantem audi Confeſſ. lib. 1. cap. 4. Perueneram in librū quendam cuiuſdam Ciceronis, qui exhortationem continet ad philoſophiam, & vocatur Hortenſius. Ille liber mutauit affectum meum, & ad teipſum, domine, mutauit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam, vt ad te redirem, &c. Vides Ciceronem quodammodo conuertiſſe Auguſtinum? certè quidem conuerſionis eius principium attuliſſe.

XXXII. *Friderici III. nuptiæ.*

SPectatiſſimæ fuerunt nptiæ, quas Alphonſus rex Neapolitanus fecit Helionoræ nepti, & Friderico III. Germanorum Imperatori: in quibus Imperator ipſe cum omni ferè Germaniæ nobilitate affuit, compluribus item Hiſpaniæ Principibus, qui Helionoram ex Hiſpania deduxerant. His in nuptijs, vt alia taceam, venatio exhi-

exhibita eſt, quatuor millibus paſſuum à Neapoli, qui locus à regibus venationi ſtatutus eſt. Fixa tentoria in campis ſecundum Anguianam paludem. Fontes è vario vini genere paſſim ad littus facti: menſæ apparatæ, in quibus ſupra triginta hominum millia diſcubuere. Huc accedit, quod qui ſpectandi gratia conuenerant plurimi mortales, onerati eſculentis plurimorum dierum domum rediere. Neſciam, an ſol in hoc magnificentiæ genere quidquam viderit magnificẽtius. Ioulan. lib. 1. de Magnificentia.

XXXIII. *Picturæ nobiles.*

ARiſtides Thebanus omnium primus animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quos vocant Græci ethe: item perturbationes. Huius pictura eſt, oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans, intelligiturque ſentire mater, & timere, ne emortuo lacte ſanguinem infans lamberet. Plin. lib. 35. cap. 10.

XXXIV. *Caupo.*

TArenti aiunt cauponem noctu quidem inſaniſſe, interdiu verò vina vendidiſſe. Sed & clauiculam domus ſuæ in zona ita conſeruaſſe, vt quamlibet multis ſurripere conantibus, nunquam tamen amiſerit. Ariſtotel. in Mirabilib.

nomine, prodigioſę oſtentationis, quingenariũ, thorace plumbeo indutum, cothurniſque quingentorum pondo calciatum per ſcenam ingredi. Plin. lib. 7. cap. 20. Articulis ita firmis fuit Tiberius, vt recens, & integrum malum digito terebraret; caput pueri, vel etiam adoleſcentis talitro vulneraret. Sueton. cap. 68. Exempla plurima ſuppeditabit Maiolus To. I. Colloquio 4.

XXXIIX. *Iulius Cæſar, Cn. Pompeius.*

SIgnis collatis quinquagies dimicauit. Nam præter ciuiles victorias vndecies C. & XCII. M. hominum occiſa prælijs ab eo non equidem in gloria poſuerim, tantam, etiam coactam humani generis iniuriam: quod ita eſſe cõfeſſus eſt ipſe, bellorum ciuilium ſtragem non prodendo. Pompeius item oppida DCCCLXXVI. in ditionem redegit. Fudit, fugauit, occidit, in deditionem accepit hominum vicies ſemel centena LXXXIII. M. Depreſſit, aut cepit naues DCCCXLVI. Oppida, caſtella in fidem recepit M. D. XXXVIII. Plin. lib. 7. c. 25. & 26.

XXXIX. *Manus in liqueſactum plumbum, & in ignem.*

VIdi ego hominem manus in liquefactum plumbum immittere, idq; ex cãdenti patel-

la in volam accipere, æquè ac ſi argentum viuum, aut tepida fuiſſet aqua. Pierius libr. 16. C. Mutius Romanus, quaſi de dextera ſua pœnas ſumpturus, quod in ſcriba pro rege Porſena obtruncando erraſſet, foculo ad ſacrificium incenſo eam velut abalienato ab ſenſu animo torruit. Liuius lib. 2. Id facinus Martialis prædicauit.

XL. *Videntes in tenebris.*

CVr ex humanis membris oculum Ægyptij pro dei ſigno deſumpſerint, ea affertur ratio, quod oculus humanus miſtura ſuæ materiæ aliquid lucis poſſideat: quod in nonnullis tam efficaciter exploratū eſt, vt per medias noctis tenebras, oculis repente patefactis clarè cernant: id quod præcipuè Tiberio Imp. contigiſſe prædicant. Plinius lib. 11. cap. 37. Zonaras. Et ætate noſtra M. Anton. Sabellicū, dum apud nos græcè diſceret, de ſe affirmantem audiui, quotieſcūque noctu excitaretur aliquamdiu & libros, & inſtrumentum cubiculi vniuerſum liquidiſſimè diſcernere ſolitū. Pier. lib. 33. Narrat de ſe Cardan. quoque lib. 8. cap. 43. de rer. variet. prima iuuenta ſua, cum è ſomno expergiſceretur, in maximis tenebris omnia luſtraſſe, vt ſi dies clara eſſet: ſed breui tamen vim illam ſibi fuiſſe ſubtractam. Nunc etiam ſe aliquid videre, ſed non diſcernere. Olaus Magnus de Aquilonaribus quibuſdam idem, lib. 2. cap. 14.

LXI. *Martialis.*

ANdreas Naugerius patricius Venetus, poëta eximius, adeò Martialem oderat, vt quotannis ſtatò Muſis die dicato, multa eius volumina, tanquam impura, cum execratione Vulcano dicaret. Iouius in Elogijs. In iudicio quod de eo facit Iouianus de ſermone lib. 3. Adhæc dictis eius, inquit, partim occultiſſima quædam inſunt ſpicula, partim verba, quæ non ſolum à faceto ſunt aliena, verùm aut obſcœna ipſa admodum, ſcurriliaque, aut maxime ampulloſa, & acida, &c. Sed hunc poëtam ad emolumentum iuuentutis iam pridem à ſe ab omni obſcœnitate purgatum Commentarijs eruditis, & copioſis non multis ab hinc annis illuſtrauit noſtra Societas, opera Matthæi Raderi.

XLII. *Porcius Latro declamator.*

SEneca præfatione Controuerſ. lib. noni, docens lubricum eſſe in foro dicere; & eo ipſo nonnũquam turbari dicentes, de Porcio Latrone, diſſertiſſimo illius ætatis declamatore, quem & declamatoriæ virtutis vnicum exemplum nominat, hæc narrat. Cum pro reo in Hiſpania Ruſtico Porcio propinquo ſuo diceret, vſque eò eſſe confuſum, vt à ſolœciſmo inciperet: nec ante

XLIV. *Opes cuiuſdam ex infima plebe Romæ.*

PLin. lib. xxxiii. cap. xc. Aſinio Gallo, C. Martio Cenſorino Coſs. ad vi. Kalend. Feb. C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit, quamuis multa ciuili bello (inter Pompeium & Cæſarem) perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quatuor millia, centum ſedecim: iuga boum tria millia ſexcenta; reliqui pecoris ducēta quinquaginta millia; in numerato ſeſtertiûm ſexcenties, id eſt, vt Budæus rationem ſubducit, Philippéum ſeſquimillionem.

XLV. *Luxus annulorum Romæ.*

ANnulorum luxus viris communis cum matronis. Geſtabant autem in omnibus digitis. Martial. lib. 5. epig. 63. *Per cuius digitos currit leuis annulus omnes.* Quid digitos dico? in omnibus articulis debebam. Seneca Natural. lib. 6. cap. 31. Exornamus annulis digitos, & in omni articulo gemma diſponitur. Et hoc adhuc parum. In ſingulis articulis plures. Martial. lib. 5. epi. 11.

Sardonichas, ſmaragdos, adamantas, iaſpidas vno
Portat in articulo Stella, Seuere, meus.

AT quantum hîc cenſes inſumptum in tanto annulorū numero, & gemmarū? Nonne cētena

tena aliquot millia florenorum ? Non poteſt aliter. Idm cap.5.

XLVI. *Caput exanime Maximini iunioris Imp.*

TAntæ pulchritudinis fuit, vt paſſim amatus ſit à procacioribus fæminis. Etiam caput eius mortui iam ſordens, iam maceratum defluente tabo, velut vmbra pulcherrima videbatur. Capitolin.

XLVII. *Funes è capillis.*

PRætereundum ne illud quidem eſt, quod tāta fide Aquileienſes contra Maximinum pro ſenatu fuerunt, vt funes de capillis mulierum facerent, quum deeſſent nerui ad ſagittas emittendas: quod aliquando Romæ dicitur factum. Vnde in honorem matronarum templum Veneri caluæ ſenatus dicauit. Capitolin. in Maximinis.

XLIIX. *Curſores celerrimi.*

CEnturia ad Italos, & Hiſpanos, epiſt. 59. de curſoribus doctiſſimè diſputat rimator magnus antiquitatis Iuſtus Lipſius. Facit autem tria genera, homines pedites, equites, animantes. Primi generis aliquot ex eo exempla deſcribemus.

Phi-

Philippides quidam bello Perſico ab Athenienſibus Lacedæmonem, auxilij petendi cauſſa miſſus, confecit biduo ſtadia mille ducenta ſexaginta. Plin. lib. 7. & Æmil. Prob. Ea ſint Romana milliaria centum quinquaginta ſeptem, & ſemis. Euchidas ignis ſacri petendi cauſſa ab iiſdem Athenis Delphos miſſus, vno die iuit, rediuitque, ſtadia mille emenſus. Plutarch. in Ariſtide, id eſt, Romana milliaria cxxv. noſtra xxxi. & quod excedit. De Philonide Plin. lib. 11. cap. LXXI. ex Sicyone Elin mille & ducenta ſtadia, nouem diei confeciſſe horis: indeque quamuis decliui itinere, tertia noctis hora reuerſum. Totne ille ſtadia nouem horis? curſores noſtri equi non faciunt. Sed fuiſſe æſtiuas, & longas horas ponendum eſt: & de reuerſione (quod rem auget) capiendum: quinque duntaxat horas quieuiſſe, iterumque ſic rediſſe. De ſtadio, pede, paſſu, milliari, leuca quæ in eadem epiſtola diſſeruntur, ſi legeris, operæ precium feceris.

XLIX. Πολυθεότης.

ANtiquos habuiſſe xxx. millia deorum, & ccc. Ioues litteris mandatum eſt. Gyrald. Syntag. 1.

L. *Auguſtus Cæſar.*

POſt bellum Actiacum decreuit ſenatus, vt Augu-

& calida os colluiſſe, ne fauces calidis offenderentur. Cum coquis item, & obſonatoribus paciſcebatur, vt omnia calidiſſima menſis inferrent. Sic ſolus cuncta vorabat, cæteris ne vererentur illum non aſſequentibus. Hoc idem proditum eſt de Cytherio, Archyta, & alijs multis.

LIII. βιβλιοπλέσιοι.

EPaphroditus Cheronæus, Grammaticæ artis Profeſſor, qui Neronis temporibus floruiſſe dicitur, eiuſque à libellis fuit miniſter, & poſt illius mortem ad Neruam vſque Principem deuenit, triginta millia optimorum librorũ habuiſſe perhibetur. Nicol. Leon. lib. 3. cap. 34. Pãphilus Martyr in bibliotheca ſua XXXII. millia numerauit. Antoninus tit. 8. cap. 2. Eumenes Attali filius ſupra ducenta librorum millia conquiri, & in hœdinis pellibus deſcribi iuſſit. Sammonico quoque ſeruo, qui Gordianum iuniorem diſcipulum hæredem ſcripſit, fuere libri ad LXII. millia.

LIV. *Impietas Regis.*

HEnricus VIII. Angliæ rex ſanctiſſimi Martyris, & Archiepiſcopi Thomæ Cantuarienſis picturas ex omnibus parietibus, & nomen ex omnibus codicibus deleri, corpus ipſum comburi iuſſit. Optimum quondam paſtorem, &

Eccle-

LVII. *Exemplarium Demoſth. inopia.*

CVm Philippus Witembergæ Demoſthenis Philippicas enarraret, anno Dn. M. D. XXIV. habebat auditores tantum quatuor, propter exemplarium inopiam. Deſcribere enim cogebãtur, & vnicum tantum erat exemplar Præceptoris, vnde deſcribebant. Ex Tom. 5. orat. Quanta igitur hodie Græcis litteris ſtudentium fælicitas? Profectò nunc non libri lectoribus, ſed lectores libris deſunt.

LIIX. *Hoſpitalitas Neapolitanorum.*

REputanti mihi quãta ſint hoſpitalitatis merita, videntur nunquam ſatis digne laudari poſſe Chriſtiani, qui publicas domos conſtituere, in quibus è bonis, quæ Diuis oblata ſunt, cuiuſque modi genus hominum paupertate, aut ægritudine laborantium paſcitur, curatur, veſtitur. Neapoli in hoſpitali D. Mariæ domo, quæ ampliſſima eſt, expoſititias puellas vno tempore nongentas educari vidi. Quod quanquam abunde mirandum, illud multo admirabilius, maioribusque laudibus proſequendum, quod eaſdem publicè, liberaliterq; inſtitutas, qui domui præſunt, honeſtis viris bona cum dote collocant. Iouian. de Liberalitate.

LIX. *Faces pro tubis.*

ANte vſum tubarum anteſignani inſtructas acies præibant accenſis facibus: quibus vtrinque coniectis,manus conſerebantur,vt legimus apud Lycophronem,& in 4. Thebaid. *Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo Oſtendit Bellona facem.* Gentil.ad Apuleium.

LX. *Statuas pulſantes.*

NIconis Thaſij,pugilis eximij,iamque defuncti ſtatuam æmulus quidam odio indulgens, fuſtibus cædebat, vt hoc modo quaſi viuum cõtumelia afficeret. Ecce autem ſtatua, velut iniuriæ tantæ vltrix, in cædentem collapſa, eum oppreſſit, & extinxit. Pauſan. lib.6. In mortuos non ſæuiendum, ſeu cum laruis non luctandum præcipit adagium. Zoilus quoque Homeri ſtatuam flagellauit, dignus in quem ruens, nefariũ obtrectatorem contereret. Sed Ptolemæus Philadelphus φιλόμηϛος, in eum capitali ſupplicio vindicauit.

LXI. *Principes Francorum capillati.*

APud veteres Francos ſubditis in ſubiectionis ſignum cæſi erant capilli, Principibus

agnatis

agnatis prolixi, ad inſigne dominatus. Hi à puero, antequam adirẽt regna, quàm plurimùm poterant. Alebant eos ita, vt de ſincipite penderent capilli in humeros paſſi, occipitio vero ad vtrũque latus eſſent crines implexi, pexi, vncti, & odoramentis delibuti, vt hodie ſigna extant eorum in antiquis monumentis Eccleſiarum S. Dionyſij Francici, & Germani Pratenſis. Ioann. Tilius lib. 2. de rebus Galliæ. Huius rei illuſtrandæ Hotomannus Francogalliæ capite 19. memorabile exemplum adducit. Crotildis Regina Childeberti, & Clotharij regum mater fuit, quæ dum alterius filij, nomine Chlodomeris demortui filios inſano quodam amore proſequeretur, ſummam contentionem adhibuit, vt nepotes, remotis filijs in regiam dignitatem producerentur. Itaque capillitium eorum pro eo inſtituto ſumma cum cura, & diligentia nutriebat. Cuius rei reges fratres (Childebertus, & Clotharius) certiores facti, confeſtim Arcadiũ quendam ad eam miſerunt, qui nudum gladium, ſimulque forficem ei oſtentans, optionem faceret, vtrum illorum nepotum ſuorum capitibus admoueri mallet. At illa, inquit Gregorius Turonenſis, nimium felle cõmota, præcipuè cum gladium cerneret euaginatum, ac forficem, amaritudine præuenta reſpondit: ſatius mihi eſt, ſi ad regnum non erigantur, mortuos eos videre, quàm tonſos. Itaque nepos vterque in conſpectu ipſius trucidatus eſt.

LXII. *Imperator. & Tyrannorum vita parum tuta.*

A Caio Iulio Cæſare, qui ſpectante ſenatu tribus & viginti vulneribus cecidit, ad Carolũ vſque Magnum deinceps circiter xxx. numerantur Cæſares, ex quibus omnes, quibus Caij prænomen fuit, interfecti ſunt: quatuor verò ſibi ipſis mortem conſciuerunt. Immò tandem eò militaris licentia progreſſa eſt, vt inter iocos, & commeſſationes Imperatores eligerẽt, vt haberent quos occiderent. Verè, ac prudenter Petrarcha dialogo 97. Ad Placentiam aduerſus Iulium ſuus exercitus inſurrexit. Alexander Romanus à ſuis militibus interfectus eſt. Poſtmodũ Maximini pater, & filius: ſic Balbinus & Maximus: ſic Probus dux clariſſimus: ſic Gratianus, & Valentinianus optimi fratres: ille à ſuis legionibus: hic à ſuo comite proditus eſt. Sic innumerabiles alij à ſuis hoſtibus inuicti, ab exercitibus proprijs periere, & quos milites appellabãt, inuenere carnifices. Saturninus apud Vopiſcum, quum ipſi inuito à militibus purpura imperatoria indueretur, flendo ita eos compellauit. Neſcitis, amici, quid mali ſit imperare. Gladij, & tela noſtris ceruicibus impendent: imminent haſtæ vndique, vndique ſpicula: ipſi cuſtodes timentur; ipſi comites formidantur: non cibus pro voluptate: non iter pro auctorita-

ctoritate : non bella pro iudicio : non arma pro ſtudio.

LXIII. *Senator carnifex.*

OLim gens Germanica iuſtitiæ obſeruantiſſima, frequẽter gladio in ſontes vſa eſt. Fertur in quadam imperij vrbe extare adhuc gladiũ, rubigine propemodum exeſum, quo olim coactus fuit is, qui poſtremus in ſenatum aſſumptus fuiſſet, ſupplicium de ſontibus ſumere. Neque illi hoc ignominioſum, ſed potius honorificum, vtpote factum ad tuendam iuſtitiam, fuit. Cam. cap.76. Hiſtoriarum.

LXIV. *Maximilian. I. Imp.*

LOca ſontibus morte puniendis prætériens, venerabundus ſalutabat, his verbis, ſalue Iuſtitia. Ibid. Appoſitè ad illud Sap.13. *Benedictum igitur lignum, per quod fit iuſtitia.*

LXV. *Balduinus XII. Fland. Comes.*

HIc tam ſeuerus in puniẽdis criminibus fuit, vt à ſecuri, qua de reis illo tempore ſupplicium ſumebatur, cognominatus fuerit. Hic vndecim equeſtri dignitate viris, eo quod tres mercatores ſpoliaſſent, eoſque interfeciſſent, in pa-

latium ſuum vocatis,& in tabulam collocatis, laqueos ſingulis inijci iuſſit: poſt, proprijs manibus ſubtracta tabula illis gulam fregit. Ibid.

LXVI. *Gladius, & robur Scanderbegi.*

HVius gladium, quo in prælijs vteretur, Mahometes Turcarum Imp. hoſtisque acerrimus videre cupiuit. Accepta cautione Conſtantinopolim miſit. Sed nemo tanti roboris in aula Turcica repertus fuit, qui eo commodè & peritè vti poſſet: ita vt Mahometes remiſſo eo, veluti ad terrorem ſuppoſititio gladio ſe hoſtili animo, & arte deluſum eſſe renuntiare iuſſerit. Cui Scanderbegus reſcripſit, ſe bona fide, & abſque fuco, dolové malo miſiſſe acinacem ſuum, quo in prælijs vteretur: verùm manum, & brachium ſuum, quo medios Turcas proſcindere, tranſuerſos diuidere, integrosque artus detruncare ſoleret, non miſiſſe. Barletius cap. 28. Iouius in Elogijs militaribus, qui & hoc addit. Tanta autem inuſitatæ virtutis viri eius fama erat, vt Turcæ poſt mortem eius tota fere Epiro ſepulchrum Scanderbegi quæritarent, admirabundique vſque adeò piè venerarentur, vt ſuperſtitioſi homines eruta demum ſepulchro tanti herois oſſa religiosè diriperent; quum quiſque ſe bello inuictum, tutumque fore crederet, ſi fruſtulum ex oſſibus, reliquijsque inuictiſſimi Imp.

in a-

in amuleto ceruicibus ſuſpenſum, iturus in prælium geſtaret.

LXVII. *Imprecationes, & execrationes iaculans.*

VIr nobilis ſubditos multis cum imprecationibus miſerè vexare ſolitus, coêgit ſibi arcē ædificare laboribus duriſſimis; quos inter laborandum nullo alio nomine, quàm canes ſuos appellabat. Ædificio necdum abſoluto in grauem morbum incidit. Quumque nondum ab imprecando, & ſubditos canes appellando deſiſteret, deum ita offendit, vt prorſus elinguis fieret, & dum hæc ſcriberem, nulla articulata vox, ſed tantummodo latratus caninus ab eo exaudiretur. Camer.cap.86.

LXVIIII. *C. Mæcenas, Antipater Sidonius.*

QVibuſdam perpetua febris eſt, vt C. Mæcenati. Eidem trtiennio ſupremo nullo horæ momento contigit ſomnus. Antipater Sidonius, poëta, omnibus annis vno die tantùm natali corripiebatur febri, & eo conſumptus eſt, ſatis longa ſenecta. Plin.lib.7.cap.51.

LXIX. *Diodorus Siculus hiſtoricus, & Salluſtius.*

ANnos xxx. ſcribendo conſumpſit: magnam enim Aſiæ,& Europę partem peragrauit, quod alios ex ignoratione locorũ ſæpius erraſſe cognouiſſet. Scripturus bellum Iugurthinum, quod pop. Rom. cum Iugurtha Numidiæ rege geſſit, quo exploratiora de locis ſcriberet, ipſe in Aphricam ad ea viſenda profectus eſt. Salluſtius.

LXX. *Neronis Imp. luxuria.*

EX nonnullis comperi, perſuaſiſſimum habuiſſe eum, neminem hominem pudicum, aut vlla corporis parte purum eſſe: verum pleroſque diſſimulare vitium, & calliditate obtegere: ideoque profeſſis apud ſe obſcœnitatem, cætera quoque conceſſiſſe delicta. Sueto. cap. 29. Nullam veſtem bis induit. Quadringenis in pũctum HS. aleam luſit. Piſcatus eſt reti aureo, purpura, coccoque funibus nexis. Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur; ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillata, & phalerata cum Mazacum turba, atque curſorum. Idem cap. 30.

LXXI. *Obitus Principum vtriuſque ſexus. Item eruditiſſ. virorum.*

COntigit intra vnius anni ſpatium Carolum V. Cæſarem, Henricum II. Franciæ regem, Chri-

Chriſtiernum & Chriſtianum Daniæ, Heleonoram Franciæ, Mariam Vngariæ, Bonam Poloniç, Mariam alteram Angliæ reginas: Periolum item Venetorum Ducem, & Ferrariæ Herculem; tres quoq; eximiæ virtutis Cardinales, Polum, Pætum, & Gropperum: Lipomannum deniq; primùm Veronenſem, mox Bergomi laudatiſſimũ Epiſcopum vltimũ vitæ diem vnà clauſiſſe. Scriptum in Collect. vitæ Pauli IV. Obierunt eodem anno Germanicus Cæſar, Liuius, Ouidius.

LXXII. *Eruditio, & memoria Pauli IV. Pont. Max.*

VT in Pontifice, miranda ſunt quæ dicam. Scholæ Salernitanæ libellum memoria tenebat: Galenum græcè à capite ad calcem legerat. Quocirca horum doctrinis inſtructiſſimus, ſæpe, & libenter cum medicis diſputabat. Humanioribus litteris erat egregiè excultus, & vtriuſque linguę ſcientiſſimus. Philoſophiam, ac Theologiã, eam maximè quam S. Thomas tradidit, probè quidem nouerat: ſed antiquorum Patrum doctrina potiſſimùm delectabatur. Sacra Biblia ad verbum edidicerat, ex ijsq; grauiſſima ſua dicta condire conſueuerat. Memoria erat adeò tenaci, vt in extrema etiam ſenectute (vixit annos LXXXIII) integras è M. Tullio, aut è Virgilio, alijsque auctoribus paginas inoffensè recitaret. In conuentu quodam Cardinalium at-

que Epiſcoporum, cum Hiſpanus quidam Epiſcopus, vt ſuam ſententiam elegantius proferret, è Verrina Cic. bene multa mutuatus, longiuſculè procederet, Catafa (ſic enim à familia Neapolitana clariſſima dictus eſt antea, Ioannes Petrus Carafa) interpellans hominem, ſatis, inquit, Verrinarum. Non rarò etiam, ſi cum eruditis ageret, ex Homero, cuius carmina multa edidicerat, mutuabatur. Reprehenſiones, & monita eius inſignis eruditionis plena erant. Solebat B. Thomam ciuem ſuum, appellare baculum ſenectutis ſuæ, dicebatque, Neapolim dum illum pareret, obijſſe. Iijs verbis acutè ſignificans, nunquam alterum illi ſimilem parituram. Eloquentia fuit incredibili, maximè cum latinè diceret: latinè enim loquebatur tam facilè, próprie, nitidè vt Italicè. Quocirca qui eam linguam probè callerent, erant ei admodum chari. Cuius rei argumentum eſt, quod in aula quatuor huiuſmodi ſecretarios adſciuit. In Collectan. de eius vita.

LXXIII. *Diuina prouidentia in hominibus alendis.*

NOn tot manipuli fruméti peracta meſſe rediguntur, quot viuunt homines ſingulis annis. Nihilominus panis ſuppetit omnibus, ita, vt ſuperſit etiam in futurum, nec deſit quod médicis largiamur. Certum præterea nec centeſimum

mum rus colere. Nam ſi compares, pro mille ruſticis in vicinis pagis, xx. millia & amplius in vna vrbe reperias. Cum ergo pauciſſimi ruſticum opus faciant, & pro ſingulis vix ſinguli demetantur manipuli, cum cuique in annum totum ad panem vix centum ſufficiant, conſtat vtique quotidiana experientia à deo nos ali, modo quodam nobis incognito: quomodo ſe in ſolitudinem ſequentia tot millia pauciſſimis panibus, & duobus piſcibus mirandum in modum ſaturauit. Camer.

LXXIV. *Accuſati ſæpiſsimè, ſemper abſoluti.*

CAto Cenſorius accuſatus eſt quater & quadragies, & cauſſa dicta toties abſolutus. Ariſtophan Athenienſis, teſte Æſchine, vocatus eſt in iudicium quinquies, & nonagies. Abijt victor ſemper.

LXXV. *Bibones.*

GErmanus quidam, tribunus militum, ſolebat vinum haurire immoto gutture. Alij ligatis cruribus, ac brachijs amphoras plurimas ſorbent, quas perpetuò meiunt. Cardan. lib. 8. cap. 40.

LXXVI. *Sudor voluntarius, capillorum traductio, mortuò ſimilis.*

Ex

EX D. Auguſtino profertur, eum teſtari, ſe vidiſſe hominem qui ſudaret cum vellet. Alios qui capillos immoto capite traducerent ad frontem, reducerentque. Narratur de quodam Preſbytero Reſtituto nomine, qui quoties volebat, iacebat vt mortuus abſque anhelitu, nec ſolum vellicantes, ſed & pungentes non ſentiebat, & admoto igne amburebatur abſq; dolore. Cardanus lib. 8. cap. 43. vbi & de ſe ipſo mira.

LXXVII. *Odium Origenis.*

APud veteres magiſtros, & doctores Chriſtianos tantum viguit ſtudium abolendi Origenis, vt ipſos etiam titulos librorum eius extare paſſi non ſint. Traditum à fide dignis. Hieronymus ad Pammachium epiſt. 52. Chalcenterum, & Adamantium ferreis inteſtinis, & adamantina duritie, propter indefeſſum ſcribendi ſtudium vocat.

LXXVIII. *Annus Ægyptius.*

PErhibentur Ægyptij quōdam tam breues annos habuiſſe, vt quaternis menſibus finirentur. Vnde annus plenior, & verior, qualis nunc & alijs, & illis eſt, tres eorum annos complectebatur. Auguſt. Ciuit. lib. XII. cap. 10.

LXXIX. Φιλοπλωχία.

Non-

NOnna, mater S. Gregorij Nazianzeni tam munifica in pauperes fuit, vt ſæpè diceret, ſi poſſet, ſe ipſam quoque, & liberos vendituram, vt pauperibus ſubueniret. Narrat ipſe Greg. orat.in funere patris.

LXXX. *Serò idololatriæ.*

AB Adamo vſque ad Noë, per annos bis mille, ducentos quadraginta duos, nullus fuit idololatra. Poſt diluuium cœpit idololatria. Cyrillus Alexand. contra Iulian.lib.3. De origine idololatriæ diſputat Palæotus Cardinal. lib. 1. de Imagin.cap.14.

LXXXI. *Inſignis pudicitia 3. fæminarum.*

SI quando lauabant, ne ſe nudas ipſæ intuerentur, tunica intima, ſeu induſio retento lauabant Olympias vidua, ætate adhuc viridi, diaconiſſa Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ad quam extant epiſtolæ S.Chryſoſtomi, de qua & in vita illius: Lyſidiſa. Philotera autem, cum eſſet ingreſſa ſolium, paulatim ſubducebat ſubuculam, quantum quæ nuda erant, ab aqua tegebantur. Deinde rurſus (vbi ſatis lauiſſet, & collo tenus ſub vndis latuiſſet) paulatim aſcendens, ſeu emergens induebat. De vtraque Clemens Alexand. Stromat.lib.4.cap. 6. Theodoret. de Græcor.

cor. affect. lib. 12. Quomodo in balneis ſit verſandum, vide eundem Clemen. Pædagogi lib. 3. cap. 5.

LXXXII. *Mirum de quadam compoſita voce, qua caret Ouidius.*

PArticipium *potens* nomini iunctum, poëtis eſt vſitatiſſimum, cum ſiue de dijs, ſiue humanis, aliſvé de rebus loquuntur. Illis ſiquidem eſt omnipotens Iupiter, armipotens Mars, Ignipotens Vulcanus, vmbrarum potens Pluto, cœlipotentes diui, pennipotentes aues, &c. Aſt in omnibus Ouidij libris nuſquam, quod meminerim, tale verbum legitur, præter vnum *omnipotens.* Hoc obſeruatu dignum cenſui.

LXXXIII. *Elias Propheta.*

ELiam ſcribunt infantem, ac lambentem matris vbera conſpectum eſſe non lac, ſed flammas ab vberibus rapere. Qua re illa acerrima ſpiritus in eo flamma, qua reges, & pontifices ſine metu corripuit, ſignificata eſt. Ex Rabbinis, vti reor.

LXXXIV. *Platoni donata pecunia.*

A Dionyſio ſeniore, Siciliæ tyranno male habitus eſt Plato. Ad iuniorem redijt, & ab

ſeo donatus eſt 80. talentis, hoc eſt, quinquaginta octo millibus coronatorum.

LXXXV. Coronidem huic parti imponemus, huc transferentes quæ ab Auguſt. libro 14. Ciuitat. cap. 24. miranda maximè de hominibus prodita legimus. Nam & hominum quorundam naturas nouimus multum cæteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles, nonnulla vt volunt de corpore ſuo facientium, quæ alij nullo modo poſſunt, & audita vix credunt. Sunt enim qui & aures moueant vel ſingulas, vel ambas ſimul. Sunt qui totam cæſariem capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantque cum volunt. Sunt qui eorum, quæ vorauerunt incredibiliter plurima, & varia paululum præcordijs contractis, tanquam de ſacculo, quod placuerit, integrum proferunt. Quidam voces auium, pecorumque & aliorum quorumlibet hominum ſic imitantur, vt niſi videantur, diſcerni omnino non poſſint. Nonnulli ab imo fine pedore vllo ita numeroſos pro arbitrio ſonitus edunt, vt & illa etiam parte cantare videantur. Ipſe ſum expertus, ſudare hominem cum vellet. Notum eſt quoſdam flere cum volunt, atque vbertim lacrymas fundere, &c.

IN ANIMANTIBVS.

I. *Aquilarum plumæ. Meſſori relata gratia.*

PLumæ aquilæ aliarum auium plumas, ſi commiſceantur; interterunt, & quodamodo deuorant. Pier. lib. 19. Profitetur Albertus M. pennas plures anſerinas ab vna aquilina conſumptas ſeſe expertum eſſe. Idem accidere non coniunctis, aut commiſtis, ſed ſeorſum poſitis vtrorumque pennis, lego. Aquilam aues vniuerſæ tam rapaces, quàm non rapaces extimeſcunt, adeò, vt qua eam viderint, aut audierint die, ad prædam prodire non audeant, vt Plin. tradit. Homerus τελειότατον πετεινῶν perfectiſſimam volucrem appelans, ei principatum inter aues videtur tribuere. Alij phœnicem ſtatuunt.

Nunc, quam gratiam benemerito aquila retulerit, dicendum eſt. Cum XVI. meſſores vnum è ſocijs aquatum miſiſſent, reperit is apud fontem ſerpentem, qui complexus aquilam arctiſſimis eam ſpiris implicitam ſuffocabat. Ille vt falce meſſoria armatus erat, audacter progreſſus ferro ſerpentem diſſecat, aquilam liberat. Hauſta in vrnam aqua ad ſocios redit, ſingulis poculum miniſtrat: mox dum & ipſe bibere vult, præſto adeſt aquila: poculum ab eius ore diſpellit, ac procul reijcit. Meſſor factum miratur, aquilam agnitam increpat, & apud ſocios pro ingrata reā agere meditatur, cum eos hîc & illic concidétes, & mo-

& morientes videt. Vnde ſimul & aquam ab illis hauſtam veneno infectam, & ſe periculo ſubductum intelligit, beneficiumque optimè in volucre collocatum cognoſcit. Ælian. de animal. lib.17.cap.37.

II. *Gallina multouipara.*

Apud Macedones gallinam repertam aiunt, quæ oua XVIII. ſimul edidit, & è ſingulis binos pullos excluſit. Pier.lib.24.

III. *Vultures.*

Vltures biduo aut triduo volant eò, vbi cadauera ſunt futura. Plin.lib.10.cap.6. Hinc Ægyptij præſagitionẽ ex vulturis ſimulacro indicabant; conſueuerantque priſci reges belli tẽpore exploratores dimittere, qui obſeruarent in quamnam exercitus partem vultures imminerent, inde ſtragem futuram conijcientes, vbi illi frequentiores incubuiſſent.

IV. *Vitulus marinus, & muſtelæ marinæ.*

B. Baſilius homil. 7. in Hexaem. tradidit memoriæ, eum catulos proprios aliqua re perterritos, & fugientes in vterum ſuum rurſum recipere. Quod quidem notatum ab alijs hactenus

non animaduerti. Referunt tamen, qui Indianam deſcriptionem nobis reliquerunt, animal quoddam in Hiſpania noua reperiri, burſam quandam exterius in ventre habēs, vbi fœtus ſecum fugientes, ne pereant, vel rapiantur, magna cura abſcondit. Plutarch. autem in libello de amore erga prolem, muſtelas marinas narrat viuum intra ſe partum edere, quem exire foras ad paſcendum permittunt, mox dormiturum intra viſcera recipiunt. Mercurial. Variar. lib. 5. cap. 8.

V. *Trochilus, & Regulus auis.*

IN Ægypto aiunt crocodilis hiantibus trochilos aues dentes expurgare, carunculis, quæ in ijs hærent exeſis, atque hoc velut gratum officium cum voluptate admittere, nec vllo pacto ijs nocere. De hoc locutum credo Apuleium in Apolog. purgandos ſibi dentes innoxio hiatu præbet (crocodilus.) Nam quod eſt ore amplo, ſed elingui, & plerumque in aqua recluſo, multæ arundines dentibus implectuntur. Eas illi, cum ingreſſus in præripia fluminis hiauit, vna ex fluuialibus, amica auis, iniecto roſtro, ſine noxæ periculo exſcalpit. Ariſtotel. de mirabilib. Minima eſt auis, dicta quibuſdam Regulus. Si plumis nudata veru paruo configatur, & igni admoueatur, in gyrum ſe ipſam cum veru conuerſat, atque aſſat Albertus M. de animalibus lib. 23. ſe expe-

experimento hoc didiciſſe autumat. Cum hac auicula, quæ regina auium dicitur, tanquam cū affectatrice regni, pugnat aquila, odioque extremo illam perſequitur. Sed qua eſt ſollertia, & ingenio, fruticetis, & cauis ſeſe abdit, vt à potentiore inuadi facilè nequeat.

VI. *Vindicta libidinis.*

IN Syria inquiunt inter ſylueſtres equos vnum præire armento, Vbi ſi iunior aliquis equam initurus conſcenderit, ducem indignari, & hunc tantiſper, dum comprehendat, perſequi, defixoque morſu verenda euellere. Idem.

VII. *Bucephalus.*

ALexandro equi magna raritas contigit: bucephalum eum vocarunt, ſiue ab aſpectu toruo, ſiue ab inſigni taurini capitis armo impreſſi. Sedecim talentis ferūt ex Philonici Pharſalij grege emptum, etiam tum puero capto eius decore. Neminem hic alium, quàm Alexandrū regio inſtratus ornatu recepit in ſedē, alios paſſim reijciens. Idem in prælijs memoratæ cuiuſdam perhibetur operæ, Thebarum oppugnatione vulneratus, in alium tranſire Alexandrum non paſſus: multa præterea eiuſdem modi, propter quæ rex defuncto ei duxit exequias, vrbemque tumulo circumdedit nomine eius. Plin. lib. 8. cap. 42. Solin. cap. 47. Gellius lib. 5. cap. 2.

VIII. *Peregrinis & indigenis tantum nocentia.*

QVædam animalia indigenis innoxia, aduenas interimunt: ſicut ſerpentes parui in Tyrinthe, quos terra naſci proditur. Item in Syria angues, circa Euphratis maximè ripas dormientes Syros non attingunt; aut etiam ſi calcati momordere, non ſentiuntur malefica: alijs cuiuscunque gentis infeſti, auidi, & cum cruciatu exanimantes: quamobrem & Syri non necant eos. Contra in Latmo Cariæ monte Ariſtoteles tradit à ſcorpionibus hoſpites non lædi, indigenas interimi. Plin. lib. 8. cap. 59.

IX. *Teſtudines Indicæ.*

TEſtudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, vt ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant: atq; inter inſulas rubri præcipuè maris his nauigant cymbis. Plin. lib. 9. c. 10.

X. *Longæuitas piſcis.*

ÆVi piſcium memorandum nuper exemplũ accepimus. Pauſilypum villa eſt Campaniæ, haud procul Neapoli: in ea Cæſaris piſcinis à Pollione Vedio coniectum piſcem ſexageſimum poſt annum expiraſſe ſcribit Annæus Seneca,

neca, duobus alijs æqualibus eius ex eodem genere etiam tunc viuentibus. Plin.lib.9.c.53.

XI. *Ciconiæ.*

ABituræ congregantur in loco certo, comitatæque ſic, vt nulla ſui generis relinquatur, niſi captiua, & ſerua, ceu lege prædicta die recedunt. Nemo vidit agmen diſcedentium, cum diſceſſurum appareat: nec venire, ſed veniſſe cernimus: vtrumque nocturnis fit temporibus. Et quamuis vltra citraue peruolent, nunquam tamen aduenisſe vſquam, niſi noctu exiſtimantur. Honos ijs ſerpentium exitio tantus, vt in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe, eademque legibus pœna quæ in homicidam. Tanta ſiquidem illic ſerpentem copia, vt niſi à ciconijs interimerentur, indigenas migrare oporteret. Nidos eoſdem repetunt, genitricum ſenectam inuicem educăt. Plin. lib. 10. cap. 23. Ariſtoteles de admirabil. cap. 22.

XII. *Memnonides, & Meleagrides aues.*

AVctores ſunt, omnibus annis aduolare Iliũ ex Æthiopia aues, & confligere ad Memnonis tumulum, quas ibidem Memnonidas vocăt. Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Æthiopia circa regiam Memnonis exploratum ſibi

Cremutius tradit. Simili modo pugnant Meleagrides in Bœotia. Plin. lib. 10. cap. 26.

XIII. *Turdus, ſturnus, luſcinia.*

AGrippina coniux Claudij Cæſaris turdū habuit (quod nunquam ante) imitantem ſermones hominum cum hæc proderem. Habebant & iuuenes Cæſares item ſturnum, luſcinias græco, atque latino ſermone dociles: prætereà meditantes in diem, & aſſiduè noua loquentes, etiam longiore contextu. Docentur ſecretò, & vbi nulla alia vox miſceatur, aſſidente qui crebrò dicat, quæ condita velit, ac cibis blandiente. Plinius lib. 10. cap. 42.

XIV. *Vipera.*

VIperæ mas caput inſerit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit oua vnius coloris, & mollia vt piſces. Tertia die intra vterum catulos excludit: deinde ſingulos diebus ſingulis parit, viginti ferè numero. Itaque cæteræ tarditatis impatientes perrumpunt occiſa parente.

XV. *Cameli, & equi in matres reuerentia.*

ARiſtoteles, & Auicenna tradiderunt, camelum

lum nunquam inire matrem ſuam. Quin etiam ſi quis cogat, ipſe non patitur. Iam cum aliquando admiſſarius non haberetur, curator pullum matri opertæ admiſit, qui dum coiret, delapſo operimento agnouit matrem. Et quamuis rem abſoluiſſet, memor tamē commiſſi ſceleris, paulò poſt vbi data eſt occaſio, camelarium morſu defixo interemit. Simile quiddam aduerſus matrem accidit equo cuidam regis Scytharum, qui vt facinus expiaret, ſemetipſum præcipitem ex editiſſimo loco dedit, atque ita animam efflauit. Pier. lib. 12.

XVI. *Ceruus.*

MAs cum pinguerit, quod valde tēpore fructuum fit, nuſquam apparet, ſed lōgè ſecedit, vt qui pondere ſuæ corpulentiæ capi ſe poſſe facilius ſentiat. Cornua etiam locis difficilibus amittit, & quà inueniri nequeant. Vnd illud prouerbium ortum, Quà cerui amittunt cornua. Quaſi enim ſua amiſerit arma, cauet ne inermis reperiatur. Cornu ſiniſtrum compertum eſſe à nemine adhuc fertur: occulit enim id tanquam quodam medicamento præditum. Ariſtotel. de hiſtor. animal. lib. 9. cap. 5.

XVII. *Canis Bruxellenſis, & Louanienſis.*

BRuxellæ me puero canis fuit, Britanni generis, ex illis grādioribus (Ein Engellendiſcher Hund) quibus cerdones hic vti ſolent ad currū corijs onuſtum in forum, & è foro trahendum. Ille, præter hanc operam doctus fuit ad macellū ire, pecuniam ferre, carnes referre. Id ita fiebat. Corbem vimineum collo appendebant, pecunia in tot libras carnis impoſita. Ille rectà, & nuſquàm reſiſtens ferebat: carne accepta redibat. Sed eueniebat interim vt in via canes alij odore moti aſpirarent, & accederent, quaſi erepturi. Tum ille corbem deponere, in orbem propugnare, fugare, & ſi copia, aut robore vinceretur, vnà irruere, & partem de prædà capere. Hæc publicè nota erant, & à nobis, alijſque iucundè ſpectata. Sed maius etiam ingenij, & ratiocinationis (pæne rationis dixeram) ſpecimen, in cane, qui ante annos circiter triginta in hac Louanio vrbe fuit. Is litteras millo, ſiue collari inſertas, & aptatas ſigno ab hero accepto curſim Bruxellam deferebat, in notam ibid. certamq; domum. Atque illi ibi reſignabant, canem paſcebant, litteras à ſe, aut aliunde acceptas iterum inſerebāt: & fideliſſimi, & ſed & celerrimi nuntij vice canis eodem die referebat. (auff der Poſt) Lipſius Cent. 1. ad Belg. epiſt. 44. De amore & fide canum erga dominos Pierius lib. 5.

XVIII. *Canes Theſſalonicenſes, & S. Petri.*

ET prudentiam aliquis canibus, ac cum iudicio dilectum donet, ex facto quod Nicetas Choniates ita narrat. Capta Theſſalonica à Balduino Flandriæ noſtræ Comite, & Latinis erat; iterumque paulo poſt à Græcis recepta. Cædes ibi vtrinque variæ, & multæ: ſed canes Theſſalonicenſes nullum omnino cadauer Græcum tangere, quaſi amicis popularibusque parcentes: at contra Latinos, noſtrosque vorare, tanta rabie, vt etiam ſepulchris conditos eruerent, & lancinarent. Simile, & magis recens Sabellicus denarrat Decad.3.lib.9. Tenebant Rhodij equites, acres illi tutores Chriſtiani nominis, oppidum in ora Cariæ, exaduerſum Cæo inſulæ, opere & præſidio munitum, quod S. Petri vocabant. Id Chriſtianis, ſi qui ſeruitutem Turcicam fugere poſſent, auderentque, certiſſimum refugium, & aſylum: canum ea in re mira ſagacitate. Nam habebant oppidani quinquaginta admodum canes, quos (laudabili more) cuſtodiæ cauſſa, & contra inſidias nocte extra muros excubare iubebant. Ii ſi quis Chriſtiani generis accederet, comiter adire, & blandiri, ac gannitu quodam, & velut plauſu ad oppidum deducere. Si qui autem barbarorum, ſtatim intonare, inuadere, lacerare. Refert Lipſ. Centur. 1. ad Belg. epiſt. 44.

XIX. *Equus cornutus.*

IN Arteſia, haud procul Lillerio, Melanorum arx eſt, vel potius fuit: nam ipſa per bella diruta, villa tamen, & veſtigia manent. In ea Toparcha erat, qui ſtudioſè equitium alebat, & ioco dicere ſolitus. Si equi ſibi cornuti naſcerentur, tunc denique ad bellum ſacrum (ea tunc militia vigebat) ſe iturum. Euenit, & equus grandi forma cornibus eminentibus naſcitur: cui ſupra vulgus etiam celeritas, & vires. Saltus adhuc eius oſtenditur pedum circiter LX. & columellæ defixæ ſunt, quas Illuſtriſſ. Princeps Carolus Dux Croius & Arſchottanus, loci nunc eius dominus memoriæ & poſteritatis cauſſa iuſſit renouari. Cent.3. ad Belgas. ep. 57.

XX. *Equi curſores.*

PRobo Imp. oblatus è captiuis equus Scythicus (Vopiſci verba) nec decorus, nec ingẽs, qui centum in die milliaria currere diceretur: ita vt ad octo, aut decem dies continuaret. Exclamas te non admittere. Quid ergo Plinio facies, qui adauget? Sarmatæ, inquit lib. 8. longinqua itinera acturi, inedia pridie præparant eos, exiguum tantum potum impertientes: atque ita per centena millia, & quinquaginta, continuo curſu euntibus inſident. Vides Pegaſos alatos? Lipſius Centuria ad Italos, & Hiſpanos, epiſt. LIX. Equi celeres, quos quidam veredos nominant, quorum vſus eſt in poſtis, vt vulgo loquun-

quuntur, Caſſiodoro ſæpe dicuntur curſuales. Veredos autem dictos tradit Feſtus, quod veherent rhedas, id eſt, ducerent.

XXI. *Columbæ tabellariæ.*

BEllo ſacro, cum Tyrus à Chriſtiano exercitu clauderetur, columba ſæpius emiſſa, immiſſa, litteras, & alloquia hoſtibus ferebat. Quæ obſeruata denique à noſtris, clamore tanto à terreſtribus, naualibuſque copijs ſimul excepta eſt, vt trepida ales, tanquam turbine cœli moti acta, in terram delapſa, prædæ, & gaudio, & mox etiam vſui eſſet. Nam dempta epiſtola, lectaque cum inſcriptum reperiſſent, breui auxilia affutura, ſumerent animos, atq; exſpectarent: noſtri barbaricis item litteris exararunt, virtuti & fidei eos ſatisfeciſſe, fortunam deeſſe: nec ſpem auxilij, interclusis ab hoſte itineribus. Ita columba dimiſſa ſubditiuam chartam retulit, & dolo non ſuo vrbem reſerauit. Lipſius eadem Cent. & epiſt. cuius vide item Saturnal. 2. cap. 5. vbi ex Varrone de re ruſtica docet, patres familias, qui in theatrum, aut circum ibant, vnde non pro arbitrio reditus, columbas ſecum ſinu ferre, eaſque ſolitos emittere cum tabellis, nuntias domum quid vellent. Idem ex Plinij lib. 10. cap. 24. idem in hirundinibus factitatum obſeruat. In obſidione Mutinenſi Antonius & vallum, & omnem cuſtodiam, etiam fluminis retia

adhibuerat,ne quis ex vrbe elabi poſſet,aut nuntius extra mitti. At D. Brutus obſeſſus ad Conſules, quos monere aliter non poterat, columbis eſt vſus internuntijs,epiſtolis earum pedibus alligatis, quæ euolantes ad caſtra eorum peruenerunt.

Ex Odis Anacreonteis vna eſt, ſuauiſſimum hoſpitis,& columbæ,litteras poëtæ ferentis colloquium continens. ἐρασμίη πέλεια, πόθεν πόθεν πέτασαι. &c. *Amabilis columba, vnde vnde pergis, aut quò?* &c. De Cornice Marthis Ægypti regis quid ex Æliano referat Tiraquell.vide apud Alexan.ab Alex.in cap.27.lib.1.

XXII. *Aues ſine plumis.*

VAſcus Gama, ab Emmanuele Luſitanorum rege ad Indiam explorandam cum quatuor nauibus miſſus,ad inſulam quandam paruam deuenit, vbi aues viſuntur, quas inſulani Sotilicarios appellãt,pares anſeribus magnitudine. Plumis minimè veſtiuntur. Alas habent ſimiles alis veſpertilionum. Volare nequeunt: ſed explicatis alarum membranis, curſum celeritate ſumma conficiunt. Oſorius de reb. Emman. libro 1.

XXIII. *Grus cicur.*

LEonicus Tomæus domi ſuæ gruem, de manu ipſius cibum capientem per annos XL. aluit.

fuit. Iouius in Elogijs. Gruibus infeſtæ ſunt aquilæ, quæ tamen ingenio, & ſollertia ab illis ſuperantur.

XXIV. *Columbæ, & equa.*

PEr picturam propter adumbratam ſimilitudinem columbi aduolarunt ad columbas, & equabus rectè pictis equi adhinnierunt. Clem. Alexand. Exhort. ad Græcos. Epheſi ab Apelle ad viuum expreſſa fuit imago equæ, quam admiratus eſt Alexander. Sed cum inductus forte equus viſa equa picta adhinniuiſſet, ſenſiſſe fertur Apellem equam melius expreſſam, quàm ipſum Alexandrum. Sic Gentianus, qui aliam hiſtoriam de Zeuxide cum hac confundere mihi videtur. Ille enim puerulum vuam tenentem pinxerat tam doctè, & ad viuum, vt aues aduolarent, & vuam roſtellis peterent. Inde collegit Zeuxis melius ſe vuam quàm puerum pinxiſſe, id eſt, rei naturæ ſimilius. Alioqui aues præ timore aduolare ad vuam non fuiſſe auſuras.

XXV. *Simia.*

TAm verecunda eſt ſimia, vt lotium, ſicuti feles excrementa ſua, effoſſa terra obruat: aut alia quapiam re ſuperingeſta omnino occulat, Pierius lib. 6.

XXVI. *Baſiliſcus.*

Quod

QVod Albertus de ouo galli gallinacei fimo obruto tradit, inde baſiliſcum enaſci, cuius figura omnino gallo ſimilis, cauda autem ſerpentina, fabuloſum iudicant peritiores. Pierius lib. 14. Notabis iſtuc de Alberto, quod in Elogijs prodit Iouius, magno omnium Gymnaſiorum conſenſu Maximi nomen ei delatum fuiſſe. Illum autem Chriſtiana verecundia publico voto obſtitiſſe. Magnum nihilominus nemo non appellat.

XXVII. *Ob culices deſolatæ vrbes.*

MYuntem Ioniæ vrbem, dum floreret maximè, caſu tali derelictam, deſolatamq; fuiſſe memoriæ proditum eſt. Ferunt enim eo regionis in tractu, quo ſita erat ciuitas, maris quendam haud ſanè magnum fuiſſe ſinum, quem Mæander è regione influens amnis, limoſus, alioqui, & materiæ ſemper aliquid ſecum afferés, obturatis aduectitio luto, obſtruſisque illis faucibus, & obſepto aditu, annis voluentibus paulatim paludem effecit. Ex qua tanta culicum poſtea vis eſt enata, vt illorũ moleſtia, & tædio coacti ſint Myuntij relicta vrbe, patrijsque ſedibus Miletum populariter commigrare. Quod Atarnenſium etiam ciuitati, quæ iuxta Aſiæ Pergamum ſplendidè, frequenterq; habitabatur, quõdam eueniſſe dicitur. Talẽ enim ob cauſſam relictam

ſtam ab Incolis fuiſſe illam, in Achaicis ſuis Pauſanias retulit. Nicol.Leon.lib.2.cap.72. A cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum: à talpis in Theſſalia: à ranis ciuitatem in Gallia pulſam: à locuſtis in Africa: ex Gyaro Cycladum inſula incolas à muribus fugatos tradidit memoriæ Plin. lib.8.cap.29. Nihil tam minutum, quin aliquid poſſit vel prodeſſe vel obeſſe. Etiam capillus ſuam vmbram habet, inquit Mimograph.

XXVIII. *Genera piſcium.*

HIeronymus in Ezechielem tradit, qui ἁλιευτικὰ tam græco, quàm latino ſermone conſcripſerint, prodidiſſe, piſcium genera eſſe centum quinquaginta tria.

XXIX. *Pauo.*

PAuo Romæ in delicijs epularum eſt habitus. Difficillimæ concoctionis. Eius mortui caro non putreſcit. Auguſtin. lib. ciuit. 21. cap. 4. Quis enim niſi deus creator omnium dedit carni pauonis mortui, ne putreſceret? Quod quum auditum incredibile videretur, euenit vt apud Carthaginem cocta apponeretur hæc auis. De cuius pectore pulparum quantum viſum eſt, decerptum ſeruare iuſſimus. Quod poſt dierum tantum ſpatium, quanto alia caro quæcunque cocta putreſceret prolatum, atque oblatum, ni-

hil noſtrum offendit olfactum. Itemq; repoſitum poſt dies amplius quàm triginta, idem quod erat inuentum eſt. Idemque poſt annum: niſi quod aliquantum corpulentiæ ſiccioris, & contractioris fuit.

XXX. *Mulæ meritum.*

QVum templum Mineruæ, cui Hecatonpedon nomen fuit, Athenienſes ædificarent, ex mulabus vnam aiunt acceſſiſſe, & iumentis, quæ ſareinas ad arcem traherent, comitem ſe addidiſſe, præeundoq; velut hortatam ad laborem cæteras. Ob id decretum eſt, vt ea vſq; ad mortem publicè aleretur. Plutarch. in Catone.

XXXI. *Equæ, equi.*

EQuarum libido extinguitur tonſa iuba. Gignunt annis omnibus vſq; ad quadrageſimū. Generat mas ad annos triginta tres. Vixiſſe equum ſeptuaginta quinq; annos proditur. *Plin.* lib. 8. cap. 42.

XXXII. *Auium varij cantus.*

NAtura quibuſdam auibus breuem, & temporarium cantum commodauit. Hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis ſerum, vlulis veſpertinum, bubonibus nocturnum,

nium, gallis antelucanum. Quippe hæc animalia inter ſe vario tempore, & vario modo occinunt, & occipiunt carmine. Scilicet galli expergifico, bubones gemulo, vlulæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obſtrepero, hirundines perarguto. Apuleius lib.2.Florid.

XXXIII. *Cicadæ.*

NOſtro hoc cælo admodum canoræ ſunt, vſque ad moleſtiam: at contra in inſula Seripho naſcuntur, & viuunt mutæ: mutæ quidem ob loci poſitionem: nam ſi aliò migrent, aut portentur, loquaces, & canoræ ſunt. Ælian. hiſtor. lib.3.cap.36.

XXXIV. *Cornix, coruus, muſcà albi.*

DVorum fere ſtadiorum ſpatio à mœnibus patriæ ſuæ cornicem albam, capite nigricante, ſicuti cæteris alarum apicibus in rubedinem vergentibus, non expreſſo quidem candore, ſed liuente aliquo modo viſam ſcribit Rhodiginus lib.17.cap.11. Ibidem de coruo candido nitore conſpicuo, quem Britannorum rex Alphonſo Siciliæ regi dono miſerit. Ibidem Toleti in macello publico vnam comparuiſſe muſcam toto anno, albedine inſigni notabilem. Sed & perdicem albam, item paſſeres, & vrſam quandoque

viſam, & coruos Ariſtoteles ſcribit. Vlyſſes Aldrouandus Tom. 1. Ornitholog. cap. 1. ex Olao Magno, & alijs docet, in regionibus Septentrionalibus, & in inſulis Oceani Deucalionei, & in nouo orbe coruos albos frequentes reperiri. pag. 344. col. 2.

De mirabili amore quorundam animantium erga certos homines mira, & ſtupenda extant litteris. Retulit nonnulla lib. 13. Athenæus, quem Græcorum Plinium vocare poſſis.

XXXV. *Salamandra.*

ANimal eſt lacerti figura, ſtellatum; nunquam niſi magnis imbribus proueniens. Huic tantus rigor, vt ignem tactum extinguat, non alio modo quam glacies. Eiuſdem ſanie, quæ lactea ore vomitur, quacunque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili: idque quod contactum eſt, colorem in vitiliginem vertit. Plin. lib. 10. cap. 67.

XXXVI. *Gruum φιλοςοργία.*

NOn ſolum genus ſuum, ſeu naturæ ſocias diligunt grues, verum etiam tanto ſunt zelo erga fœtus ſuos, vt mas & fæmina pro his educendis inter ſe decertent. Refert Albertus ſe oculis conſpexiſſe gruem marem deijcere fæminam, & occidere, roſtro vndecim vulneribus in-

flictis,

dictis, eo quod pullos, quò minus ipſum ſequerentur abſtraxiſſet.

XXXVII. *Pſittacus.*

PSittacus fuit Aſcanij Cardinalis Romæ, centum aureis comparatus nummis, qui articulatiſſimè, continuatis perpetuo verbis Chriſtianæ veritatis Symbolum integre pronuntiabat, perinde ac vir peritus enuntiaret. Rhodiginus lib. 3. cap. 32. Hominum more tangi affectibus hanc auem, ſibi placere, gaudere, homines amare, odiſſe, adulari, geſticulari, inebriari, lugere demonſtrat Aldrouandus Ornitholog. lib. 11.

IN REBVS INANIMIS.

I. *Belgium, & Galilæa.*

IN Belgicis prouincijs ſunt vrbes muris, aggeribus, foſſiſvé cinctæ CCVIII. pagi ſex millia trecenti, præter arces innumerabiles. Item Ducatus IV. Comitatus VII. Dominia VI. Lud. Quiciardin. In Galilæa, vt prodidit Ioſephus in vita ſua, numerabantur partim vici, partim oppida cccc. In quibus præcipua Sepphoris, & Tiberias. Minimus autem quiſque pagus ad XV. colonorum millia habuit, præcipuè circa montem Thabor. Idem belli Iud. lib. 3. cap. 2.

IN Bibliotheca Pergami numerata ſunt librorum ducenta millia. Plutarch. in Antonio. Inter reges quoque Alexandriæ,&Pergami magna fuit contentio in comparandis libris veteribus: nec ante eorum ætatem vllus vnquam liber habuit falſum titulum. Diodorus. Sub Zenone incendium extitit Conſtantinopoli, in quo præter maximam vrbis partem cxx.millia librorum cõbuſta ſunt. Inter quos Homeri poëma vtrumq; in draconis inteſtino cxx. pedum longo aureis literis deſcriptum. Zonaras Tom. III. Bapt.Egnat.de Rom. Principibus lib.2. Lege Syntagma Lipſij de Bibliothecis exteris, & Romanis. Inter alia verò bibliothecarum ornamenta fuiſſe imagines, & ſtatuas Principum, & clarorum prætereà virorum, demonſtrat. ibid.

III. *Fontes.*

IN Haleſina regione fons, aliàs quietus, & tranquillus cum ſiletur. Si inſonuerint tibiæ, exultabundus ad cantus eleuatur, & quaſi miretur dulcedinẽ vocis, vltra margines intumeſcit. Solin.cap.11. In Epiro ſacer fons eſt, frigidus vltra omnes aquas, & ſpectatæ diuerſitatis. Nam ſi in eum ardentem demergas facem, extinguit: ſi prope, ac ſine igni admoueas, ſuopte ingenio inflammat. Idem. cap.13.

IV. *Smaragdus.*

Gem-

GEmma hæc incredibili virore ſuo mirificè recreat oculos,nec eius aſpectus ſatiat. Creſcit quidem ad magnitudinem inſignem, verùm apud nos vix vnquam vnguem æquaſſe viſus eſt. Sic autem, ſi vitioſus non ſit, XVI. aut amplius talentis æſtimatur. In Vraba prouincia, iuxta flumen S.Marthæ,breuis temporis ſpatio, vt refert Franciſcus Lopez, in monte inuenti ſunt M. DCCC. Cardan.de variet.rer.lib.5.c.18. Epilepticos paroxyſmos vel auertit ne accedant: vel cum inuadunt, profligat, ſi vincat. Si ſuccumbat, vel rumpitur, ac diſſilit: vel vim omnem amittit. Sunt, vt notat Pierius lib.41. qui perpetuo claroq́ue ſmaragdi virore,ſignum id eſſe virginitatis velint, idque inſuper argumento addunt: in patranda re venerea, quod experimento compertum eſt,ſi quis lapidem attingat, eum ſponte frangi. Ex Theophraſto narrat Nicol. Leon.lib.2.c.51. Smaragdos ex iaſpide fieri lapide, naturamq; illum hoc modo cõmutare ſuam. Nam in Cypro inſula lapis aliquando repertus, cuius altera quidem pars exacta erat, perfectusq; ſmaragdus, altera verò iaſpis, quæ nondum in Smaragdi videlicet tranſierat ſpeciem,& ſinceritatem. Cæterùm ſmaragdum ipſum peculiares quaſdam habere vires dicit: ſed inter præcipuas eius dotes oculorum præſeruare & reficere aciẽ affirmat. Et ideò à gemmarum ſcalptoribus valde expeti,& perquiri:raros prætera inuentu eſſe ſmaragdos, neq; admodum magnos excreſcere

Quod fertur Babyloniorum regi inter reliqua munera ſmaragdum aduectum fuiſſe vlnarum 4. longitudine, craſſitudine verò trium: &,in templo Iouis obeliſcos fuiſſe 4. ex ſmaragdo lapide, qui longitudine quidem quatuor, & decem exedebant vlnas, latitudine autem altera eorum parte quatuor, altera duas impleſſe, ad pſeudoſmaragdum referendum eſt. His Plinius accinit.

V. *Adamas in marmore.*

PErvulgata res eſt, paucis ante nos ſæculis, dū Neapoli marmora ædificij cauſſa diſcinderētur, adamantem mirè ſplendidum, non natiua vena, aut rudi, & informi, ſed abſoluta artificis manu confectum, & perpolitum mira cælatura, & arte in medio marmoris concretum fabros inueniſſe, eumque pro miraculo regi dono datum, inter cubiculi arcana conſpicuum fuiſſe, hodieque inter illuſtria adnumerari. Alex.ab Alex.lib.5.cap.9.

VI. *Æs ſeminatum.*

ARiſtoteles de Mirabilibus cap. 40. ſcribit in Cypro genus quoddam gigni æris,auro non abſimilis, quod in fruſtra minutiſſima conciſum agricolæ ſerant: mox ad pluuiam exoriri,& coaleſcere,& poſtquam adoleuerit ad iuſtam maturitatem colligi,& recondi.

VII. *Lapides inſtar ignis ardentes.*

IN Thracia apud Sithonios fluuium fuiſſe perhibent Pontum, qui cætera nihil diſtabat ab alijs: lapides autem peculiariter curſu deuoluebat ſuo, qui lignorum more ignem conciperét, facileque comburerentur: quamuis contrariam quandam ignitis carbonibus, ſibiq; peculiarem, & omnino admirandam ſortiti fuiſſent naturam. ſiquidem inſufflati, commotique facillimè extinguebantur, & peribant: aqua verò conſperſi excitabantur ſtatim, & claram ex ſeſe flammam emittebant: odorem autem ipſa aduſtione adeò grauem, & tetrum reddere ſolitos dicunt, vt omnium ſerpentem genera, quæ eò loci degebant, vel ſolo ſuffitu celerrimè inde abigerentur. Nicol. Leon. lib. 2. cap. 3.

VIII. *Ebur ſiccitate offenditur.*

EBur vetuſtate candorem amittere, & alias ſentire iniurias, maximè autem ſiccitatibus pallorem ingratum contrahere, in confeſſo eſt. Quamobrem frigidis, & humectis potiſſimùm locis id conſeruare ſtudebant. Memoriæ proditum eſt, Palladis ex ebore ſimulacrum in Athenarum arce collocatum, quæ ſitu ipſo, & alti-

altitudine etiam ſua ſiccius experiri cælum dicebatur, infuſa ſæpius aqua diu priſtinum retinuiſſe candorem. Epidauri eburnea Æſculapij ſtatua in throno reſidens, ex eadem materia conſtructo, ſuper defoſſum infernè puteum ob id ipſum collocata fuiſſe perhibetur. Econtrà verò Iouis Olympici ſimulacrum, quod ex ebore à Phidia Athenienſi diuinitus conſtructum fuiſſe ferunt, ne paluſtris ſitus, in quo admirandum illius templum fuerat ædificatum, ſentiret iniurias, profuſo ſæpius olei liquore, permulta ſæcula illæſum, integrumq; conſeruaſſe perhibentur Elij. Idem lib.2.cap.59.

IX. *Eucarpiæ vrbis fertilitas.*

EVcarpiam minoris Phrygiæ vrbem adeò feracis, & fertilis ſoli fuiſſe autumant, vt vuarum eo in tractu enati racemi currus ſinguli facile pondus explere poſſent: quin etiam currum ab vnico racemo aliquando medium diffractum fuiſſe, auctor eſt Metrophanes. Ex quo & nomen oppido, & fabulæ locum fuiſſe datum contenderim: ſiquidem Barbari eius loci accolæ regionem illam Baccho, & Cereri à Ioue fuiſſe conceſſam palam fabulati ſunt. Idem lib.3.cap.72.

X. *Supellex ſapientum.*

LVcerna Epicteti mille drachmis: Protei Stoici baculus talento eſt venditus. De Epicteto

Lipſius Manuduct.lib. I.cap.19. De Seneca habes: clarum aliud ſidus ſe oſtendit Epictetus, æuo,non merito poſterior: & ſcriptorum pondere, ſi non numero, comparandus, vita præponendus, &c. lege totam laudatiunculam.

XI. *Roma quater capta.*

SPatio annorum CXXXIX. Roma quater in hoſtium poteſtatem eſt adducta. I. Honorio Imp. Occidentis,ætate S. Hieronymi, anno ab ea condita M. CLXII. Chriſto nato CCCCXI. IX. Kalendas Septembris, ab Alarico Hunnorum rege videlicet. II. Anno CCCCLVI. à Genſerico rege Vandalorum,ſub Imperat. Martiano. III. Anno DXLVIII. à Totila rege Gotthorum, qui eam maximè deuaſtauit, ſub Iuſtiniano Auguſto. IV. Anno tertio ab hac deuaſtatione, id eſt, DLI. ab eodem Totila rurſus per Beliſarium Iuſtiniani Ducem recepta, ac reſtitui cœpta eſt. Ad nuntium autem primo captæ ſic eſt lamentatus Hieronymus ep.16. ad Principiam Virg. Hæret vox,& ſingultus intercipiunt verba dictantis. Capitur vrbs, quæ totum cepit orbem; immò fame perit antequam gladio, & vix pauci qui caperentur inuenti ſunt. Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies, & ſua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & ſuo recepit vtero, quem paulo ante effuderat.

XII. *Terræmotus, & eclipſis.*

ANno Domini cccxxv. in Campania terræmotu procubuerunt oppida xii. Sol autem tanta obſcuritate luna orbem ſubeunte infectus eſt, vt ſtellæ interdiu perinde ac nocte micuerint. Cedren. Hæc defectio diuerſa eſt ab illa, de qua ſcriptum antea ex Nicephoro.

XIII. *Veſtigia Chriſti in cælum ſe ſuſtollentis.*

LOcus, in quo Chriſtus poſtremùm veſtigia fixit, continuari pauimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit. Siquidem quæcunque applicabantur, inſolens humana recipere, terra reiecit, marmoribus ſæpe in apponentium ora excuſſis. Sigon. de imp. occid. libr. 3. ex Sulpitio Seuero.

XIV. *Dens molaris gigantæus.*

AVguſtinus Ciuit. lib. 15. cap. 9. dicit ſe vidiſſe in littore Vticenſi molarem dentem adeò magnum, vt diſſectus ad formam, & magnitudinem vſitatorum noſtra ætate dentium centuplo maior iudicari facilè potuerit. Addit ibidem Viues, feſto D. Chriſtophori, cum iſſet illum veneraturus ad maximum Valentinæ vrbis tem-

plum,

plum, oſtenſum ſibi molarem dentem pugno maiorem: vt vel hinc conijcere quiſque poſſit, quantæ magnitudinis integrum caput fuerit.

XV. *Cor.*

COr veneno tinctum igne confici nequit. Sueton. in Calig. cap. 1. Cor quidem Germanici Cæſaris inter oſſa cremata repertum eſt integrum: vt eum veneficio perijſſe creditum ſit.

XVI. *Serula artificioſa.*

HAbebat arculam eburneam Paulus IV. Pont. max. affabrè, & ſingulari artificio factam. Huic Chriſtophorus quidam Germanus ſerarius faber ſeram aptauerat, tantæ paruitatis, vt humani vnguis magnitudinem haud multum excederet; attamen confertam tam multis machinis, atque obicibus, tantæ tenuitatis, gracilitatiſque, vt cum ſumma admiratione intuentes afficerent, tum omnem quaſi oculorum aſpectum non obtuſum quidem, ſed acutiſſimum ita fugerent, vt nec Lynceus ille ex Argonautis, nec qui Iliadem Homeri iuglandis vnius in putamine deſcripſit, dinumerare illa, aut à ſe inuicem diſtinguere, ac diiudicare potuiſſet. De huius ergo peritia, & in arte ſua experientia eam voluptatem cepit Paulus, vt (illo admonito prius, vt ad ſe tempore minus impedito rediret) nume-

batum eſt, pepones, alioſque plurimos fructus, qui vel calidi, & humidi ſunt, vel ſaltẽ non multum frigidi, cum cũltris inciduntur, eorum aciẽ obtundere. Quem effectum potius corpuſculis viſcidis quibuſdam adſcribendum putat, quæ adhærendo acutiem ferri remittant. Idque eo cõprobari, quoniam prout huiuſmodi corpuſcula paulatim diſſipantur, & euaneſcunt: ſic cultris priſtina vis reſtituitur.

XIX. *Glaciei genus.*

QVoddam genus glaciei Septentrionali mari ſupernatat, quod in littus extractum, ſponte, ac per ſe littus deſerit, nemineq; prorſus promouente in mare redit. Saxo Grammat. & ex eo Olaus lib. 2. cap. 8.

XX. *Quædam inſulæ quibus animantibus careant penitus.*

ICHthyophagũm inſulam Solis appellatã narrat Plin. lib. 6. cap. 23. & in ea nullum animal poſſe viuere. In inſula Arabiæ fælicis Syageo nõ reperiuntur canes, expoſitique in littore oberrando moriuntur. Idem cap. 28. In inſulam Ithacam importati lepores non viuunt, vel in ipſo littore. Ariſtot. hiſtor. animal. lib. 8. cap. 28. Plin. Ebyſus eſt vna de Baleatibus, in qua nullus ſerpẽs. Solin. cap. 26. idem de Gaulone affirmat cap. 31:

In Creta nulla viſitur noctua: ſi eò inferatur, moritur. Plin.lib.10.cap.29. In eadem nec lupi, nec vulpes, nec vrſi, & nullum omnino maleficum animal, præter phalangium araneæ genus, Plin.lib.8.cap.58.

XXI. *Olympus Macedoniæ mons.*

DE excelſitate montis huius ita ſcriptum extat apud D. Auguſtinum lib. 1. de Geneſi, contra Manichæos, cap. 15. Mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, vt in eius cacumine nec ventus ſentiatur, nec nubes ſe colligant; quia excedit altitudine ſua totum iſtum aërem humidum, in quo aues degunt, & ideo nec ibi aues volare aſſeuerantur: quod ab eis perſpectum dicitur, qui per ſingulos annos ſolebant, neſcio quorum ſacrificiorum cauſſa memorati montis cacumen ſcandere, & aliquas notas in puluere ſcribere, quas alio anno integras inueniebant: quod fieri non poſſet, ſi ventum, aut pluuiam locus ille pateretur. Deinde, quia ſenuitas aëris illius, qui ibi eſt, non eos inſpirabat, durare ibi non poterant, niſi ſpongias humectatas naribus applicarent, vnde craſſiorem, & conſuetum ſpiritum ducerent. Hi ergo indicauerunt, ſe etiam nullam auem eo in loco aliquando vidiſſe. Quem tamen aquæ diluuij, montem cæteris omnibus celſiorem excelle-

ſſerunt, teſtante hoc ipſa ſcriptura ſacra, & eodem Auguſtino quæſt. ſuper Geneſ. lib. 1, cap. 10. & Ciuit. lib. 15. ca. 17. Non ergo mirum ſi à poëtis cælum ipſum altiſſimum eius vocabulo ſignificatur.

XXII. *Saxa ſtupendæ magnitudinis.*

VIdimus apud Rauennam in littore Adriatici maris templum, cui D. Mariæ rotundæ ob circularem formam nomen eſt: cum antea fuiſſet Theodorici Gotthorum regis ſepulchrum latiſſimè patens. Mirandum, omne illud templū vnico ſaxo tegitur, vt latius ſaxum nemo in Europa vidiſſe putetur. Eius ambitus eſt ſupra pedes centum, craſſities ſupra decem. Maiolus To. 1. Colloq. 18. Sed in Ægyptiorum hiſtorijs, quæ de ſaxorum amplitudine produntur, fidem pæne excedunt. Saxum enim vnicum exciſum, ac quadratum per ſingula quatuor latera cubitis 40. latum, vnicum efficit ſolidum templum, cum fuerit omne excauatum, manente craſſitie, quæ parietum locum teneret, ac tecti cubitorum 4. Herodot. lib. 2.

XXIII. *Auri piſcatio.*

QVI orbem nouum perluſtrarunt, memorāt, retia in fluuios quoſdam mitti, & capi more

piſcium auri glebas ingentes. Id præcipuè accidit flumini Zeneo, non procul ab vrbe, cui Carthaginis nomen eſt inditum. Ingruentibus enim pluuijs accolæ, qui norunt glebas multas, magnaſque aureas vi fluminis trahi, retia tendunt, expiſcanturque aurum magna copia. Glebæ illæ interdum æquant oua gallinacea. Petrus Hiſpal. parte 5. cap. 12.

XXIV. *Herba viua.*

IN Braſilia reperitur genus herbæ, quam incolę viuam nominant. Si quis accedat propius, ſeſe colligit, conglobataque conſtringitur, velut aut metuens, aut pudefiens. Quod ſi is qui acceſſit, rurſum longius ab illa recedat, libera metu pudoreve rurſum ſe dilatat. Si fuſte contingatur, claudit ſeſe, ac colligit: dimiſſa rurſum ſe pandit, quaſi quæ ſentiat hominum, animantium ve pręſentiam, vnde iure viua nuncupata eſt. Ex litteris noſtrorum è Braſilia, anni 1560. Sunt auctores alij, qui eam apud Indos reperiri, magiſq; ad arbores, quàm ad herbas pertinere tradiderunt. Cui pudoris cognomentum indiderunt, quod pudicam mulierem imitetur, quæ accedentibus viris ſeſe componat, ac colligat, abſcedentibus ſit ſit liberior.

XXV. *Spicæ ingentes, & admodum graniferæ.*

IN Hiſpaniola noui orbis ſpicas frumenti adeò ingentes tradit exiſtere Petr. Mart. vt humano brachio æquentur: duo quoque granorum millia ſingulas continere. Auget miraculum, quod ſatum frumentum Februario, exitu Martij menſis meti poteſt.

XXVI. *Magnes lapis.*

MAgnetem lapidem nouimus mirabilem eſſe ferri raptorem: quod cum primùm vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum atque ſuſpenſum; deinde tanquam ferro quod rapuerat vim dediſſet ſuam, communemque feciſſet, idem annulus admotus eſt alteri, eumque ſuſpendit: ita vt ille prior lapidi, ſic alter annulus priori annulo cohærebat. Acceſſit eodem modo tertius, acceſſit & quartus. Iamque ſibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinſecus, ſed extrinſecus adhærentium, quaſi catena pependerat annulorum. Quis iſtam vim lapidis non ſtuperet, quæ illi non ſolum inerat, verùm etiam per tot ſuſpenſa tranſibat, & inuiſibilibus ea vinculis ſubligabat? Hæc Auguſt. lib. Ciuit. 21. ca. 4. Trahi à magnete ferrum tam notum eſt in vulgus, quàm diem eſſe cum ſol lucet. Quod ſi quis etiam ſcriptorum teſtimonia poſtulat, habet Platonem in dial. cui titulus Ion, Philonem de mũdi opificio, Plin. lib. 3. cap. 14. Galen. lib. 1. de na-

tural.facult.cap.14. Et de locis affectis cap 5. Cic lib.1.de diuinat. Dioſcoridem lib.3.ca.93. Solin, ca.55. quos omnes eruditione liberali inſtructiſſimus Leonardus Coquæus Commentator profert. Vnum Plinij locum adſcribam,ex lib. 36. c. 16. Quid ferri duritia pugnacius? ſed cedit, & patitur moras. Trahitur namque à magnete lapide: domitrix illa rerum omniũ materia ad inane neſcio quid currit, atque vt propius venit, aſſiſtit, teneturque,& complexu hæret. Veruntamen vt & hoc ſcias, ſi allio allinatur, aut fimo tegatur magnes,vires ſuas ad ferrum attrahendum tamdiu amittit, donec vino abluatur.

XXVII. *Aliud de magnete. Item antipathia cum adamante.*

IDem ſanctus Doctor eodem lib.& capite aliud permirum de iſtoc lapide à Coëpiſcopo ſuo Seuero Mileuitano, teſte oculato acceptum narrat. Bathanatius quondam Comes Africæ, cum apud eum conuiuaretur Seuerus, eundem pertulit lapidem, & tenuit ſub argento, ferrumque ſuper argentum poſuit. Deinde ſicut ſubter mouebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum deſuper mouebatur, atque argento medio, nihilque patiente, concitatiſſimo curſu ac recurſu infra lapis ab homine, ſupra ferrum rapiebatur à lapide. Addit quod apud Plin.& Solinum legit, Solini verba recito. Inter adamantem, & magnetem

hetem eſt quædam naturæ occulta diſſenſio, adeò vt iuxta poſitus, ferrum non patiatur abſtrahi: aut ſi admotus magnes apprehenderit, rapiat, atque auferat.

XXVIII. *Vas ligneum pro cacabo ad focum.*

HOmini pio in Auguſtodunenſi agro vas ligneum cacabi vicem præſtitit, igniſque ſuperpoſitum, quotidianos cibos concoxit, & non aliter atque ænea reliqua vaſa, incorruptum ſemper multos in annos extitit, tametſi eſculenta in eo ardentiſſimè ferrerent. Greg Turon. de glor. Confeſſ. cap. 98. Sed hoc diuinitus hominis pietati datum, non eſt dubitandum. Tamen quia de mirabilibus agimus, hoc etiam mirabile in medium adducere voluimus.

XXIX. *Fons Hammonis.*

EST aliud Hammonis nemus: in medio habet fontem, ſolis aquam vocant: ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cuius vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit: inclinato in veſperam, caleſcit: media in nocte feruida exæſtuat: quoque nox pigrius vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum aſſiduo tepore langueſcat, Q. Curtius lib. 4.

XXXI. *Olei vis contra ferrum.*

CVm ferrum, ferriq́; vſus bello inprimis inſeruiat, & ſymbolicè pro bello ponatur, tamen tanta ineſt oleo vis, vt id emolliat, & ad feriendum inutile, ac ineptum reddat: ſiquidem fabri qui ferrum lenteſcere, & emollire volunt, candefactum id oleo intingere conſueuerunt. Pierius lib.53. in Olea.

XXXII. *Mare mortuum.*

Diuerſæ admodũ à cæteris aquis naturæ eſt. In eo enim viuentia, etiamſi nihil ſe moueant, ſupernatant: in anima verò omnia in ima deſcendunt. Eò fit vt & piſcibus orba ſit palus. E manifeſto enim periculo ad aquas ſe recipiunt, naturæ ſuę congruentes. Pauſanias Eliacis prior.

XXXIII. *Cornu Monocerotis.*

IN templo S. Dionyſij, quod abeſt Lutetia paſſuum tribus millibus, regum ſepulchris, ſtatuis, cæteriſque ornamentis auguſtiſſimo pēdet monocerotis cornu, quod demiſſum diligentius conſideraui. Erat autem longius, quàm vt extenſa manu, ſtanſque apicem cōtingere poſſem: craſſitudo exigua pro longitudine: nam duobus primis digitis vtrinque facile complecti poterat: adeo verò ſenſim in acutum tendit, vt vix minui

videa-

videatur, cum in apice pollicis craſſitiem retineat. Teres vbique, & quaſi faſcijs ab ima ad ſummum in cochleæ formam aſcendentibus diſtinguebatur. Erant autem faſciæ quinque, quas lineæ mediæ, & ipſæ in ſpiræ modum aſcendentes diſpeſcebant, nulla cauitate. Neque Natura, quod ſciam, huic quidquam ſimile efficere ſolet, ſed ars, quaſi in torcularibus. Sed torcularia duas habent tantum faſcias, è quibus vna caua eſt: cornu hoc quinque: nec cauitatibus vllis, niſi admodum exiguis, interpoſitis: ab imo inane eſt, vt boum cornua: ſed inanitas non maior eſt ſolidiore parte, neque enim tenuia ſunt labra: rectiſſimum ad amuſſim. Color qualis ceruino, ſed abſque ramis, & longe grauius: pendebat enim libras ſeptendecim cum tertia, &c. Cardan. de rer. variet. lib. 17. cap. XCVII.

XXXIII. *Lapidum miracula.*

LApidem è Scyro inſula integrum fluctuari tradunt, eundem comminutum mergi. In Aſſo Troadis ſarcophagus lapis fiſſili vena ſcinditur. Corpora defunctorum in eo condita, abſumi conſtat intra XL. diem, exceptis dentibus. Mutianus ſpecula quoque, & ſtrigiles, & veſtes, & calceamenta illata omnia lapidea fieri auctor eſt. Eius generis & in Lycia ſaxa ſunt, & in oriente, quæ viuentibus quoque adalligata, erodunt corpora. Plin. lib. 36, cap. 17.

SYNTAGMA NONVM.

POEMATIA BELLA, PIA, FESTIVA, DVLCIA, Ψυχαγωγικώτερα.

Ex M. Ant. Flaminio.

Ad agellum ſuum.

VEnuſte agelle, tuq; pulchra villula
Mei parentis optimi
Olim voluptas, & quies gratiſſima
Fuiſtis: at ſimul ſenex
Terras reliquit, & beatas cælitum
Petiuit oras, incola
Vos alter occupauit, atq; ferreus
Amabili veſtro ſinu
Me lacrymantem eiecit, & charis procul
Abire iuſſit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farneſij benignitas.
Iam vos reuiſam. Iam iuuabit arbores
Manu paterna conſitas
Videre. Iam licebit in cubiculo
Molles inire ſomnulos,

Vbi ſenex ſolebat artus languidos
Molli fouere lectulo.
Gaudete fontes, riuuliq́ limpidi;
Heri vetuſti filius
Iam iam propinquat, voſq́ dulci fiſtula
Mulcebit: illa fiſtula
Quam veſtro Iola donat Alcon maximus:
Vt inclyti Farneſij
Laudes canentem Naidum pulcher chorus
Miretur, & Pan capripes.

Ad ſeipſum de aduentu hyemis.

IAm bruma veniente præteriuit
Æſtas mollior, & cadunt ab altis
Frondes arboribus. Tepor Fauonî
Immanes Boreæ furentis iras
Formidans abit: illum agri voluptas,
Canoræ volucres ſequuntur. Ergo
Et nos dulcia rura deſeramus,
Dum ver purpurea coma decorum
Reducat Zephyri tepentis auram.
Horti deliciæ meæ valete.
Fontes luciduli valete. Salue
Mihi villula charior ſuperbis
Regum liminibus: recedo, ſenſum
Sed meum hîc, animumq́ derelinquo.

In bonam valetudinem

HYMNVS.

Diua funeſtis inimica morbis,
Cui vigor mentis, ſolidumq́ robur,
Et ioci dulces, animiq́ ſemper
Gaudia cordi:
Quam colunt ſanctè iuuenes, ſenesq́
Quam ſibi cuncti cupiunt, ſuisq́.
Nam ſimul cœtus hominum caducos
Alma reuiſis,
Ilicet morbi fugiunt proterui,
Occidit febris truculenta dirus
Occidit pallor, fera mors profundo
Exulat orco.
At domus florent pueris, ſenesq́
Induunt fortem virides iuuentam,
Et Venus terras colit, & Lyæus,
Et bonus Hymen.
O quies rerum, ô hominum benigna
Mater, ô cunctis veneranda; namq́
Quid poteſt gratum ſine te, quid vlli
Dulce videri?
Huc ades noſtrum miſerans laborem,
Siue te cæli tenet aula, ſiue
Inſulis molles choreas beatis
Læta frequentas.
Huc ades tandem, bona diua, & artus
Languidos aura refoue ſalubri,
Ne meam tabes edat immerentem
Atra iuuentam.

EX GEORGIO BVCHAN.

Equi

Equi elogium.

CÆtera rerum opifex animalia finxit ad vſus
Quæq; ſuos, equus ad cunctos ſe accommodat vſus:
Plauſtra trahit, fert clitellas, fert eſſeda, terram
Vomere proſcindit, dominum fert, ſiue natatu
Flumina, ſeu foſſam ſaltu, ſeu vincere curſu
Eſt ſalebras opus, aut canibus circumdare ſaltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera ſeu vacuis ludat laſciuia campis.
Quod ſi bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It, domino & ſocius vomit ore, & naribus iras,
Vulneribusq; offert generoſum pectus, & vnà
Gaudia, mœrorem ſumit, ponitq; viciſſim
Cum domino: ſortem ſic officioſus in omnem,
Vt veteres nobis tam certo fœdere iunctum
Crediderint mixta coaleſcere poſſe figura,
Inq; Pelethronijs Centauros edere ſyluis.

EX ANDREA NAVGERIO.

Inuitatio ad amœnum fontem in æſtu meridiano.

ET gelidus fons eſt, & nulla ſalubrior vnda:
Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent ſoles frondentibus alni:
Et leuis in nullo gratior aura loco eſt:
Et medio Titan nunc ardentiſsimus axe eſt:
Exuſtusq; graui ſidere feruet ager.

Siſte, viator, iter: nimio iam torridus aſtu eſt
Iam nequeunt laſsi longius ire pedes.
Accubitu languorem, aſtum aura, vmbraq́; vi-renti,
Perſpicuo poteris fonte leuare ſitim.

Huiuſcemodi inuitationes perlepidas ſub arborum vmbras, & ad pellucidulos fontes, ſeu riuulos præterlabentes loquacibus lymphis inuenies Antholog. lib. 2. tit. 20. εἰς δένδρα.

EX IOVIANO PONTANO.

Deploratio ſturni.

Cantabas mecum ad citharam, dulcesq́; querelas
Fingebas, vario garrulus ipſe ſono.
Ipſe tibi numeros monſtro, numerumq́; recenſes:
Ipſe tibi carmen, carmen & ipſe refers.
Sæpe etiam roſtro inuitas, pungisq́; iacentem,
Præcinis & querulos quos ſequar ipſe modos.
Inuidit mihi te nigri Iouis inuida coniux,
Quæ lætum nobis nil ſinit eſſe diu.
Ah deſideriũ, ah lacrymas quas, ſturne, relinquis,
Ipſe diu luctus, ipſe future dolor.
At contra Elyſium per te nemus, & pia vernant
Arua, ſonant cantu prata canore tuo.
Tu modò quum remeant nocturna ad ſomnia manes,
Nocturnis venias manibus eia comes:
Et mecum in ſomnis dulces meditare querelas
Ad citharam, & ſolitos perſtrepe in aure ſonos.

Mirus

Mirus fuit Iuſti Lipſij in canes amor, de quo palam, toto licet audiente mundo confiteri non veretur. Id vt magis credas, ecce verba viri ex Cent. 2. Miſcell. epiſt. LXVIII. Quod catellum illum nuper mihi viſum, & ſimul amatum offers, agnoſco amorem. Accipio, & habeo pro munere magis mihi charo, quam ſi gemmas à te, vel aurum. Non rideo. Amaui à puero totum hoc genus, & video idem feciſſe præſtantes aliquot animos ab æuo priſco. Telemachus ille Homeri in concionem etiam venit, canibus duobus aſſeclis. Et Patroclo fuiſſe nouem *κύνας τραπεζῆας* canes menſarios, idem vates dicit. Non enim ad venationem ſolum, aut Dianæ ſtudium: ſed ad voluptatem, & tutelam habebant, *Hac leuiſomna canum fido cum pectora corda.* Epiſt. 44. Cent. 1. ad Belgas tota eſt de canum laudibus: quem honorem in alia elephanto, & in alia item equo habuit. Refellit eos qui contubernium, aut comitatum huius animantis indignum litteratis putant, & ad venatores magis, ac Martis cultores relegant. Stupenda quæ domi ſuæ canes egerint enarrat. Tres ibidem catellos feſtiuè deſcribit, & carminibus laudat. Funus autem Sapphyri *βιοθανάτου*, in aquam ſcilicet bullientem illapſi quam eleganter, in re tenui *τραγῳδῶν*; epiſt. 9. Cent. 3. ad Belgas luget? Omiſſis quæ antecedunt, verſiculos ſubijcio, in quibus Catulliʒat.

O Iſt-

O luctum, & lacrymas. meus Saphyrus
Ille gemmula vèra, non catellus,
Morte eſt præcipiti, malaq́; functus,
In vaſum miſer incidens ahenum
Efferuentis aquæ miſer catelle,
Hæc te poſt tria luſtra mors manebat?
Quis nunc blanditias hiante rictu,
Quis nunc blanditias mouente cauda
Hero vltra faciet? quis obſidebit
Oſti limen, & ingredi parantem
In ſe geſtibus, atq; voce vertet?
Quis luſu recreabit? ô miſelle.
Non vltra ſalies: abiſti ad Orci
Nigra limina. Sit tibi benignus
Frater Cerberus, ipſa Ditis vxor
Sit fautrix: & aberro? ſit patrona.
Illi delicium nouum pararis.

Ex libro I. Floridorum noſtrorum, qui eſt de puero IESV.

FILIÆ SION, IOSEPHVS.

F. *Ioſeph, en agedum probate cuſtos*
Diæ Virginis, & dei educator,
Duc nos ocyus intus ad parentem
Signatam, ad puerumq́; præpotentem.
I. *Qua cauſſa properatis hucce Nymphæ?*
Quid intus facietis? editote.

F. *Ma-*

F. *Matri dicere venimus ſalutem:*
Adorareq́ paruulum ſtudemus:
Amplexu teneroq́ confouere:
Labra iungere & illius labellis.
Tu bona hæc potes inuidere nobis?
I. *Pateſcunt aditus: adite, amorem,*
Si poteſt, ſatiate ſauciata.
Iſtoc cum puero eſſe, ferre circum:
Hunc complexibus impedire, & illi
Mellitum imprimere oſculum ſubinde,
Mihi quod licuit, quod & licebit,
Fando non queat exprimi voluptas.

Ex hoc libro meo ſelegit ſibi quondam complusſcula poëmatia Rudolphus Matmannus noſter, humaniores litteras bene doctus, mecumq; vt inſtituto vitæ, ſic voluntate, & ſententia coniunctiſſimus: qui morte ſua acerbum nobis omnibus ſui deſiderium reliquit: ſelegit, inquam, & ad ea ſeſe alijs verſuum generibus exercuit, quos pia iuuentus vt plenos Gratiarum meritò legat, & ediſcat. Sic igitur eius Muſæ noſtris accinuerunt.

RVDOLPHVS.

F. *Eia bone ô cuſtos, tutorq́ fidelis Ioſeph,*
Cui matrem, & ſeſe tradidit ipſe deus.
Duc age nos alma ad conſpectum Virginis intrò,
Ad puerum, blando quem fouet illa ſinu.
I. *At quæ cauſſa viæ? nobis edicite Nymphæ:*
Quæve huc vs veſtrum flectere ſuaſit iter?

F. Ve-

F. *Venimus huc matrem merita donare ſaluti,*
Viſere & vnigenam Virginis atq; Dei.
Et (modò ſi digna ſumus) amplexuq; fouere
Infantem, & teneris oſcula ferre genis.
Quare illum per te liceat, rogitamus, adire:
Eia intro propere duc, age pande fores.
I. *En aditus patet, hac Nymphæ concedite: veſter,*
Si pote, ſpectando quò ſatietur amor.
Eſſe hoc cum puero, atq; vlnis portare, ſubinde
Amplecti, & dulces fundere blanditias,
Dicere nemo queat quam ſit iucunda voluptas,
Nec lingua centum, mille nec ora queant.

Angeli ad apiculas.

HEus innubæ volucres,
Quæ floridos per hortos,
Per rura odora, montes,
Per frondeaſq; ſyluas
Depaſcitisq; rores,
Idoneosq; ſuccos
Ad factitanda mella:
Ne ne volate poſthac
Diuerſa per locorum.
Huc ad labella IESV,
Gemina roſis labella
Volate, & inſidete.
Thyma hic, & hic anethum,
Hic tymbra, roſmarinus,
Cythiſusq;, liliumq;.
Hinc ducitote ſuccos

Hinc ſugitote mella.
Hic namq; mella veſtro
Mellitiora melle.

Rudolphus.

MEllilegæ volucres, queis prata virentia cordi,
Et picti floribus horti:
Arboreaq; comæ ſyluarum, & ruris odores,
Gignit quos mollior æſtas,
Vnde & lucidulos rores depaſcitis, aptos
Succos melli faciundo.
Ne ſit dehinc vobis vltro citroq; volare,
Varios & carpere flores.
Quin pueri iſtius formoſa ad labra venite,
Et Hyblæum ducite nectar.
Hic caltha, hic cythiſus, flos hic bene olentis anethi,
Hic ros fragratq; marinus.
Hic Arabum meſſes, nigriq; hic rura Sabai,
Et Idumes balſama ſpirant.
Ergo hinc cæleſtes ſuccos, & ſugite mella
Veſtro mage dulcia melle.

Cachinnuli.

VAgitus teneros modò audiebam
Infantis pueri, genasq; guttis
Stare lucidulis ſimul videbam;
Meis cum ſe oculis profudit imber.
Iam nunc ſed ſine nube pura frons eſt:
Gaudentem aſpicio, audioq; lætos

Vſurpare cachinnulos. Et ecce
Rurſum humor mea ſalſus ora tingit.
Quid hoc eſſe rei putemus ergo?
Flens, ridens, hilariſvé, mœſtulusvé
Puſio iaculatur hic amores.
Habent & lacrymas ſuas amores.

Rudolphus.

VT modò vagitus tenues, queſtusq́ puelli
Audiui, & ſalſis ſtare genas lacrymis
Aſpexi, ſimul ipſe etiam reſoluta velut nix
Ad flatus Zephyri ſenſim abij in lacrymas.
At nunc pura nitet frons, & ſine labe puelli,
Et dare mî riſus, & parat ille ioco;
Cũ rurſum ecce genæ lacrymis implentur obortis;
Et cadit in tepidos nunc quoq; gutta ſinus.
Eſſe quid hoc dicam, ſeu flet, ſeu puſio ridet,
Ex æquo lacrymas quòd ciet iſte meas?
Haud tantùm mœſtis erumpit fletus ocellis,
Magna ſuas etiam gaudia dant lacrymas.

Et amor, & dolor, & lætitia, ſiue gaudium emittunt lacrymas. Xenoph. lib. 7. rerum Græcarum, ὅτω κοινόν τι ἄρα χαρᾷ, καὶ λύπῃ δάκρυά ἐστι. Sic lætitiæ, & triſtitiæ commune quiddam ſunt lacrymæ. Primi, & tertij generis, amoris, inquam, & lætitiæ deſtillant, ſeu guttatim duntaxat prorumpunt: ſecundi ſe profundunt, & vbertim promanant: & hæ quidem calidæ; gaudij, & amoris frigidæ ſunt. Quare porrò tam lætis, quàm

quàm mœſtis lacrymæ oboriantur, Alexand. Aphrodiſæus cauſſam affert Problem.lib.1.cap.32. Largiter flent etiam gaudentes aliquando. Ioſeph. Antiquit. lib.12. cap.2. ſcribit Ptolemæum Philadelphum Ægypti regem, quum illi libri ſacri, quorum ingenti deſiderio flagrabat, litteris aureis deſcripti ab ijs quos Pontifex Eleazarus miſerat, porrigerentur, incredibili lætitia velut ebrium lacrymas non tenuiſſe. Multa de gaudij lacrymis collegit ex auctoribus Lud. de la Cerda noſter in illud 1. Æneid. *Conſtitit, & lacrymans, quis iam locus,* &c.

Ad luſciniolam.

Philomela dulcis ales,
Variare docta cantus,
Quin aduolans parentis
Vicem canis puello,
Donec ſopore victi
Se clauſerint ocelli?
Quid te per arboreta,
Nemorumq; per receſſus
Truncisq;, cautibusq;,
Et auribus ferarum
Lepidum ſonare carmen
Delectat, ô aëdon?
Si garrias apud nos,
Ad aſtra te vehemus.
Nam qua tuas ſorores

Pridem canendo vincis,
Iam temetipſa vinces.
Ades ſonora cantrix,
Ades auium magiſtra.

Rudolphus.

QVæ dulci varium modularis gutture carmen,
Ocyus huc ad nos quin philomela venis?
Quin philomela venis noſtro cantare puello,
Lumina dum blando victa ſopore cadunt?
Nam quid per ſyluas, & deuia rura vagantem
Delectat ſurdis te canere arboribus?
Hìc garri ad cunas potius, recreaq́ puellum:
Exprome hîc quidquid vocis, & artis habes.
Tum nos te memori verſu ſuper aſtra feremus,
Seraq́ erunt cantus conſcia ſæcla tui.
Ergo ades, & reliquis quò tanto dulcius, hoc iam
Ipſa ſtude numeris te ſuperare tuis.

Plura non adſcribam. Hæc ſufficiant, quibus bonæ, probandæ, & imitãdæ exercitationis ſpecimen tibi exhibendum, & chariſſimi capitis memoriam, quod in Commentarijs Ouidianis feci, denuo prodendam cenſui.

EX LIBRO. II. NOSTRO DE VIRG. MATRE.

De innumeris eiuſdem miraculis.

Non

NOn tot flumina piſcibus natantur,
Non tot aëra remigant volucres,
Non tot ſylua feras, fauos tot Hybla,
Non tot Parthus habet ferox ſagittas,
Non tot æquora fluctibus tumeſcunt,
Non tot ſpicea ſerta geſtat æſtas,
Non tot arboribus coma vireſcunt,
Non tot robora montibus creantur,
Non tot aſtra micant tacente nocte,
Quot exempla tuæ benignitatis,
Humanum in genus, in tuos clientes.

Summa laudum eius.

TE cantare ſolent ſacri Poëtæ,
Te tonant. quoq; Rhetores diſerti,
Ore hi magniloquo, rotundo at illi,
Nec laudando queunt modum inuenire.
Ego te cano vocũlis duabus
Perquam magnificeq́;, regieq́;.
MATER ALTITONANTIS. Hocce totum eſt
Quod nec plurima turba ſcriptitantum
Longis eſt potis explicare chartis.

EX IOANNE POST.

Ad M. Antonium Muretum.

DIſertiſſime Rhetor, atq; vates.
Omnium optime, ne, rogo, graueris,
Si vacat tua Muſa docta, paucas
Mecum texere collocutiones.

Ex Ioanne Latomo.

Epitaph. Guliel. Budæi.

BVdæus columen, decuſq; Graiûm,
Budæus Latiæ corona linguæ,
Budæus dubij lucerna iuris,
Budæus pater elegantiarum,
Et fons totius eruditionis.
Budæus patriæ iubar coruſcum,
Regis delicium ſui, ſuæq;
Tempeſtatis honos, lepos, voluptas
Hîc terræ exuuias reliquit, orbi
Famam, aſtris animam. Viator ito.

Ex M. Antonio Mvreto.

In D. Catharin. Ipſa loquitur.

ILlecebras inter medias educta virago,
Re princeps, mulier corpore, mente dea,
Nixa deo, mundi ſpernens mala gaudia, vici
Tum tormenta animo, tum ratione ſophos.
Non rota; non gladij, non ipſi horrenda tyranno
Mors potuit mentem ſede mouere meam.
Scilicet haud quidquam mens Chriſto afflata veretur.
Jlle mea vires, & mea vita fuit.
Quid fuit? eſtq́;, fuitq́;, atq; eſt ſine fine futurus.
Principium vitæ mors dedit ipſa mihi.

vitium vxoris aut ferendum eſſe, aut tollendum. Qui tollit, vxorem commodiorem præſtat: qui fert, ſe meliorem reddit. Exemplum eſt Socrates, cuius patientiam Xantippe exercebat.

In imaginem male redditam.

Effigie ſtuduit tua in hac oſtendere pictor
Expreſſiſſe queat quam tibi diſſimilem.

INCERTI.

De piſce, hirundine, lepore vno iaculo confixis.

Rans amnem viſus lepus eſt, contẽditur arcus,
Ocyus & celeri miſſa ſagitta manu.
Forte ſalit piſcis, Progne præteruolat, hærent
Tres vno in telo, piſcis, hirundo, lepus.

Symbolum Lotharingiæ Ducum ſunt tres aues in aere volantes, vno eodemq; iaculo transfixæ, à Godefrido ſcilicet Bulionæo, dum à Chriſtianis Hieroſolyma obſidetur: cuius ſacræ expeditionis ipſe ductor fuit, & vrbe capta primus rex. Titulus eius Symboli, *Dederit ne viam caſuſvé, deuſvé*, petitus eſt ex 12. Virgil. *Quis tantum Rutulis laudem caſuſvé deuſvé Attulerit.*

EX TRIPHONE BENCIO.

Querimonia anſeris, quem ab arbore ſuſpenſum iaculis Romani petebant.

 Quid

QVid benefacta iuuant? quid vos ſeruaſſe Quirites?
Et Capitolini templa ſuperba Iouis?
En iaculis ſumma pendens ex arbore veſtris
Poſtmodo victori præda futura petor.
Ergo non aliam tanta feritate decebat,
Quam veſtri altricem ſanguinis eſſe lupam.

Talis ludus ſuſpenſa columba deſcribitur à Marone 5. Æneid.

M. ANTON. CASANOVÆ.

BAlthaſar hic iaceo, primo quem flore iuuentæ
Decerpſit rapida mors inimica manu.
Si ſpectes annos, iuuenem me fata tulerunt:
Si ingenium, dices me periiſſe ſenem.

Plaut. Trinum. *Non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia.* Æſchyl. in Septem. ad Thebas. γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ᾽ ἡβῶσαν φέρει. Nazianz. in Monod. Baſilij. πολιὸς τὴν σύνεσιν καὶ περὶ τῆς πολιᾶς. Intelligentia canus etiam ante canitiem.

Aliud.

FAbricij quod pauperies ditiſſima nollet
Plus eſt quàm quidquid tu dare, Pyrrhe, potes.

FOLLES ORGANICI.

Incerti.

REddere nos ſcimus magno cum fœnore dona.
Aura datur nobis muta, ſonora redit.

TESTV-

TESTVDO, AVT CHELYS.

Bembi.

VIuebam in ſyluis, ſum dura occiſa bipenni.
Dum vixi, tacui: mortua dulce cano.

Matthæi Coruini Regis Hung. tumulus.

Incerti.

COruini breuis hæc vrna eſt, quam magna fatentur
Facta fuiſſe deum, fata fuiſſe hominem.

IVLII ROSCII.

In effigiem Mureti.

VEra quidem hæc: ſcriptis ſed quàm tamen exprimit ipſe,
Multò ea Mureti verior effigies.

M. Anton. Muretus, Preſbyter, & ciuis Romanus obijt diem ſuum Romæ, annum agens LX. Anno Chriſti M. D. LXXXV.

Quædam eius elogia.

LIPS. Variar. lib. 1. ca. 2. Quem ego virum natum his ſtudijs iuuandis honoris cauſſa nomino. Rurſum lib. 3. cap. 1. Vir cum primis eruditus, & qui in his litteris noſtris meo iudicio familiam ducit. CORNEL. VALER. commendans illi adoleſcentem Lipſium Romam, epiſt. inter Mu-

retinas 48. Et tu, M. Antoni, antea quidem in Gallia, nũc in Italiæ luce hæc ipſa ſtudia cum immortali tua laude, & omnium gentium admiratione tractas. GVLIELMVS CANTER. ep. 42. ibid. Quanquam nihil magnopere video, cur ea res gloriæ tuæ, quæ iam pridem eſt toto orbe clariſſima, multum addere ponderis potuerit. Quis eſt enim in omni quæ incolitur terrà ita barbarus, & omnis expers elegantiæ, vt Muretum non cognoſcat, amet, exoſculetur? Ego certè ὁ τῶν λόγων ὕπω γευσάμενος tanti te, liberè vt loquar, facio, quanti haud ſcio an alium neminem. VIR GRAVIS, & eruditus ſeriò contendit, à mille retro annis nullum vixiſſe eloquentia cum hoc vno comparandum. Ex epiſtolis Pauli Manutij, Pauli Sacrati, & aliorum ſcriptis longum foret oſtendere, quam præclara de eo iudicia ad poſteros reliquerint.

ÆNIGMATA.

TINEA.

Sympos.

Littera me pauit, nec quid ſit littera noui,
In libris vixi, nec ſum ſtudioſior inde:
Exedi Muſas, nihil hinc tamen ipſa reporto.

PAPAVER.

Idem.

Grande mihi caput eſt, intus ſed membra minuta:

Pes

Pes vnus ſolum, ſed pes longißimus idem:
Et me ſomnus amat, proprio nec dormio ſomno.

Vis ſomnifica ineſt papaueri, & obliuionem generat. Virgil. 1. Georg. *Vrunt lethæo perfuſa papauera ſomno.* Ouid. 5. Triſt. *Quotq́ ſoporiferum grana papauer habet.*

THVS.

Idem.

DVlcis odor nemoris flamma, fumoq́ fatiger:
Et placet hoc ſuperis medios quod mittor in ignes,
Cum mihi peccandi vitium natura negarit?

CAMPANA

Iul. Scalig.

EXcubat os nitidum patulo mihi ſemper hiatu,
Sacra miniſterio ferrea lingua dei eſt.
Nunquam ſponte loquor, nunquã niſi iuſſa tacebo,
Excutere at vocem verbera ſæpe ſolent.

Verbera appulſum linguæ in cauo dependentis ad oras nominat, cum ipſa campana trahitur.

CLAVVS FERREVS.

Eiuſdem.

INfælix fouea ſummerſus protinus ima
In per me facto funditus ore forem.
Magna tamen capite in noſtro ſapientia magno,
Quanquam percuſſum, vitat adire locum.

CERE-

[CEREVISIA.

Iunij.

NOmine ſum vini non digna, vicem tamen huius
Impleo, dum cerebri victrix percello cauernas:
Illud ſol radians, me mulciber excoquit, amne
Gignor, alitq; Cereis madefacti farris aceruis.

PILA LVSORIA.

Eiuſdem.

GLabra foris, piloſa intus, ſpecieq; globoſa
Exilio, quanquam mi pedis vſus abeſt.
Aëreasq; carens pennis volitabo per auras,
Et vires crebra pulſa reſumo manu.

ARCA NOE.

Lorich.

DIc mihi quæ fuerit quondam ditiſsima nauis,
Vnica quæ vexit totius orbis opes.

Homines, & animantia præcipuæ ſunt mundi partes. Atque hæ, cæteris omnibus, etiam montibus aquarum altitudine obrutis, arca illa vectabantur.

CONIVGIVM.

Incerti.

Sunt

SVnt duo, quæ duo ſunt, & ſunt duo, quæ duo non ſunt,
Quæ duo ſi non ſint, ſunt duo nulla duo.

Si mas & fæmina non ſint, nulla erit generatio: ergo nunquam erunt duo. Et illa duo in matrimonio non ſunt duo, iuxta illud Chriſti, *itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Aptatur quoque iſtud ænigma Chriſto, in quo videre eſt vnā perſonam, & duplicem naturam, diuinam, & humanam. Athanaſ. in Symb. Sicut enim anima rationalis, & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

CORNIX ET NIX.

Incerti.

RES volat in Syluis nigro veſtita colore.
Si caput abſtuleris, res erit alba nimis.

MVLVS.

Incerti.

EX aliis naſcor, nec quidquam naſcitur ex me,
Diſsimilis matri, diſsimilisq; patri.

NOX ET DIES.

Incerti.

SVnt geminæ germana, harum alteram, & alterā gignit,
Perq; vices ſic ſit filia nata parens.

In ſalutiferam Chriſti necem.

MOrti morte tua mortem moriendo dediſti:
Mors tua ſit mortis, Chriſte, medela meæ.

In amorem impurum.

NEc ſcio quid ſit amor, nec amo, nec amor, nec amaui:
Hoc ſcio. quisquis amat vritur igne graui.

At paſtor Maronianus Eclog. 8.

Nunc ſcio quid ſit amor: duris in cotibus illum
Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec noſtri generis puerum, nec ſanguinis edunt.

Curam grauem, vulnus altum, cæcum ignem vocat Virgil. exordiens 4. Æneid. Plautus Ciſtell.

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum:
Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quæram, &c.

Libido vetita.

COrpus, opes, animam, conſortia, fœdera, famam
Debilitat, perdit, necat, odit, deſtruit, aufert.

In conditionem humanam.

PVluis & vmbra ſumus: puluis nihil eſt niſi fumus.
At nihil eſt fumus: nos nihil ergo ſumus.

Hemiſtichium prius hexametri eſt Horatij Ode 7. libr. 3. conſentaneum verbis diuinis in ſacra

cra Geneſi, cap. 3. vbi hominem primum, & per eum nos omnes illius poſteros ad ærumnas condemnans Deus, *in ſudore*, inquit, *vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua aſſumptus es: quia puluis es, & in pulnerem reuerteris.* Repetit ea toties S. Eccleſia, quoties capitibus noſtris, quotannis nempe, cineres conſecratos imponit, & de vitæ rationibus emendandis, ac de morte ſemel obeũda nos admonet iſta cærimonia. Similia Pindarus, Theognis, Anacreon, Euripides dixerunt. Sophocles in Aiace.

Οὐ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
Εἴδωλ᾽ ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.

Siquidem nihil nos eſſe ſentio, niſi
Simulacra, quotquot viuimus, & vmbras leues.

GANDAVVM.

Maximil. Virentij.

D*Elicium terræ, Flandri decus orbis, ocellus*
Belgicæ, & enixo Cæſare virgo parens:
Concilio illuſtris, bello horrida, florida pace,
Pulchra ſitu, felix aëre, diues aquis,
GANDAVVM *breuiter. Nil vltra quære, nec vrbem,*
Verùm orbem in tanta mole videre puta.

Gandauum vrbs non Belgicæ modò, ſed totius Europæi orbis maxima, Caroli V. patria, ante eius ortum Auguſta Belgarum dicta, poſt eum Imp. deſignatum Auguſta Caroli à multis ſpectatiſſimis viris appellari cœpta eſt. Olim,

quod vetuſtiſſimi annales teſtantur, à VII. Principibus per ſeptennium, & ſemeſtre obſeſſa expugnari non potuit. Itaque Virginis imaginem pro inſigni gerit, vt quæ à nemine vi bellica conſtuprata ſit. Scriptum in vita Caroli lib. I. Hinc intelligis cur in Epigrãmate dictum *virgo parens.*

EX FRANCISCO REMVNDO
Societatis IESV.

Ad innocentes Martyres.

INteritu veſtro non eſt quæſita voluntas:
Ludite in ignota, parua caterua nece.
Si, cum poſſe deeſt, ſatis eſt voluiſſe necari,
Nunc cum velle deeſt, ſit potuiſſe ſatis.

De S. Magdalena Chriſti pedes oſculante, in domo Phariſæi.

MAgdala diuinis dum figeret oſcula plantis,
Sæpe hæc ex imo pectore verba dabat:
Dicam ne, an ſileam? culparum ſarcina fælix,
Quæ me tam caros deprimit ante pedes.

De illius capillis, quibus Chriſti pedes tergebat.

O Quam diuerſos crinis formatur in vſus,
Arma ſua inuictus ponere neſcit amor.
Magdala crine poteſt, ſolita memor artis, eodem
Illaqueare homines, illaqueare Deum.

De

De Photio ab Andrea Schotto Societ. IESV latinitate donato.

NOmen habes, Schotte, à tenebris, à lumine nomen
Photius: hic librum conficit, ipſe Notas.
Vmbra ſit interpres lucis, quis crederet vnquam?
Hoc lucem eſt tenebris gignere, nocte diem.
Quas non diſcuteret tua lux, ô Schotte, tenebras,
Si lumen præbet nominis vmbra tui?

Virgo mater Chriſto blanditur infantulo.

GRatia tanta in te ſedet, ô puer, atq; venuſtas,
Pendula vt ad nutus ſtet mea vita tuos.
Vis? volo: ſi rides corrideo, ploroq; dum fles:
Quod pateris patior, quod facis illud ago.
Dum vigilas vigilo: quin dormio tu quia dormis:
Si ludis, meus eſt hîc quoq; ludus amor.
Quæ tibi deliciæ ſunt, hæ mea ſola voluptas,
Quæ tua cura, mea eſt: qui labor, ille labor.
Non magis arbitrio ſolis flos vertitur vllis:
Non magis à vitreis os ſimulatur aquis,
Non magis agnus ouem ſequitur, leuis arbutus Auſtrum.
Ah mihi quid ſupereſt cum moriere? mori.

De B. Ignatio Societatis JESV Fundatore. Ad maiorem Dei gloriam.

QVidquid agis, loquериſvé, Pater, vel mente reuolуis,
Sola DEI totum GLORIA claudit opus.
Pauperṫas tibi diuitiæ, vigilantia ſomnus,
Cura quies, lacryma nectar, amorq́; dapes:
Et tibi ſunt laudes conuicia, gaudia pœna,
Dummodo præ te eadem gloria ſemper eat.
Iam diuina, reor, fiet tibi GLORIA nomen.
O noua laus propriæ laudis ab interitu.

De amore ſuo erga JESVM infantem.

PAruulus ille ſuis me primùm cepit ocellis
Virgineo matris qui iacet in gremio.
O in amore meo bona ſors. formoſius illo.
Nil dare terra potes, condere, olympe, nihil.
Hoc ego iam dudum fælici ſaucius igne,
Langueo per longas in mea fata moras.
Vita vale: quicunq; meos cognoſcet amores
Dicet: non poterat dulcius iſte mori.

EX IVL. SCALIG. HEROINIS.

Cornelia Gracchorum mater.

SCipio me genuit: genui Cornelia Gracchos.
Felix ſi quiſſem perpetuare decus.

Vrbis

Vrbis fulmen erat genitor: nati ignis, at Vrbis.
Quid mirum, genitam fulmine ferre faces?

Veturia Coriolano filio.

Ergo ego facta parens patriæ vt miſeranda carerem?
Anne etiam tu ſtas, vt ruat illa mihi?
Si meus, actutum hinc: ſi non, huc exige ferrum.
Quæ ſcelus hoc geſſit, hæc mala ferre decet.

Sibyllæ.

Nec dubio Cortina aſtu, nec Apolline falſo,
Sed vero gerimus pectora fœta deo.
Cætera quidnam ad nos? vnum eſt, cognoſcite IESVM.
Quæ hunc non prædixit muta Sibylla fuit.

FRANCISCI HAEMI.

Memento homo quia cinis es, &c.

Te cinerem meminiſſe decet, cineremq́ue futurum,
Ruperit vt vitæ ſtamina Parca tuæ.
Cur homo cur igitur te tanti ducere pergis?
Quænam ſic criſtas tollere cauſſa iubet?
Ardua cur agitas anguſto pectore, vita
Cum tua vel filo pendeat è tenui?
Vertice cur alios elato deſpicis omnes,
Aſtraq́ue ſublimem tangere ſumma putas?

Forſitan extemplò, ſtultiſſime, lurida te mors,
(Cuius nemo hominum ferrea iura mouet,
Vt cui pro ludo eſt imis confundere ſumma)
Opprimet, iniecta corripietq́ue manu:
Omnibus & tritam mortalibus ire iubebit,
Vnde gradum nulli fas reuocare, viam.

TEBALDEI.

In Sannazarij de partu Virginis.

VIrginis intactæ partum, partumq́ue videbis
Actia quem docto pectore Muſa dedit.
Admirandi ambo: humanæ fuit ille ſaluti
Vtilis, humanis hic fuit ingenijs.

INCERTI.

Nympha ad fontem dormiens.

HVius Nympha loci ſacri cuſtodia fontis
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.
Parce meum quiſquis tranſis caua marmora ſomnum
Rumpere: ſiue bibas, ſiue lauere tace.

LVDOVICI CAVANI,

Parmenſis.

De Pio V. & Turcis.

Ducunt

DVcunt horrendum inter ſe contraria bellum,
Conſerit Impietas cum Pietate manus.
Spes hinc vincendi magna eſt, metus inde cadendi:
Hac ductum ſequitur Dæmonis, illa Dei.
Vtram igitur partem maneat victoria conſtat:
Stabit enim Pietas, corruet Impietas.

EX BAVARIA SANCTA.

MATTHÆI RADERI SOC. IESV.

In Carolum M. Aug.

HEroum ſanguis, quondam tria fulmina mundi,
Tres MAGNI titulos obtinuere Ducis:
Perſarum domitor, gener alter Dictatoris,
Et Magnus Romæ conditor ille nouæ.
Carole quartus ades, tribus his cognominis heros,
Par armis, maior ſed pietate tribus.
Fuderunt reges illi, ſtrauere tyrannos,
At tibi, MAGNE, ipſi ſuccubuere dei.

In S. VVolfgangum.

HENRICI pietas qua creuerit arte requiris?
VVolfgangum huic cæli rex dedit artificē.
Integra ſi neſcis quid proſit vita magiſtri,
Inclyta diuini Cæſaris acta lege.
Sic populos, ſic ille duces, ſic imbuit ipſam
Ætatem, quæ ſpes poſteritatis erat.

O ſator Imperij, VVolfgangos mitte trecentos,
Si vis HENRICO *ſurgere mille pares.*

S. Henricus Imp. moribundus reddens ſuis coniugem Virg.

VIrginis intactum ſine labe relinquo pudorem,
Hanc ad me dotem detulit, hance refert.
Exploratores fidei teſtabitur ignes,
Lædere non auſos Virginis eſſe pedes.
Rarius in terris Phaeton non vidit, & aſtris,
Condita poſt mundi mœnia coniugium.
Virgo ſimul vixit cum Cæſare Cæſaris uxor,
Inq; toro abſq; toro, cumq; viro abſq; viro.

EX IACOBO BIDERMANNO S. IESV.

IN SANCTAS.

In Annam Prophetidem.

NVmen in exiguo totum videt Anna puello.
I nunc atq; oculos Annam habuiſſe nega.

In Catharinam.

LActeus è iugulo Catharinæ exuberat humor:
Debet enim partos paſcere lacte Sophos.

In Afram patronam Auguſtan.

MAgdalis inde ſuos, hinc Afra piauit amores,
Illa ſuos, vndis, ignibus iſta ſuos.

In

In Suſannam Virg. & Martyrem.

VIrginea fero tela manu: nec terreor illis:
Iam didici iugulo talia ferre meo.

In Paulam viduam.

DEſereret Domina cum Paula palatia Romæ,
Exul habebatur fœmina, Roma fuit.

In Monicam Auguſtin. matrem.

PArturiant vteris aliæ ſua pignora matres,
Dum mea ſint lacrymis pignora partu meis.

In Catharinam Senenſem.

CIngite crudeles mea tempora cingite vepres,
Non mea ſerta mihi, ſed tua, Chriſte, dolens,

Ex M. Antonio Casanova.

De Iunio Bruto.

NAtorum cæde orbaſti te nomine patris,
Cerneret vt verum te tua Roma patrem.
Et ſemel optaſti pulchram per vulnera mortem,
Vt nullo poſſes tempore, Brute, mori.

Ariſtoteles.

VNo oculo vnum hominem mirum eſt potuiſſe videre
Quidquid cælum oculis proſpicit innumeris.
Ni tot lumina habet quot verba, aut fallimur, vni
Ni verba innumeros credimus eſſe oculos.
Iure ab Ariſtotele nil cælum diſtat: vterq;
Dum videt æternis omnia luminibus.

Colophonem huic Syntagmati addat Franciſcus Bencius, mei dum vixit (vixit autem Romæ) cupidiſſimus, id quod crebris ad me litteris, apud animum meum teſtatiſſimum reliquit. In quo genere officij me vinci non ſum paſſus, amantemq; redamaui vnicè. Is ergo ex nomine meo quondam Anagrammatiſmum confecit, quem non aucupandæ alicuius inanis gloriolæ, ſed teſtandi amoris erga illum mei, prodendæque optimi viri, & Socij chariſſimi nunquam apud me interituræ memoriæ nũc demum in lucem profero, dignum eius ingenio, quod ex oratorijs illius quæ feruntur ſcriptis cognoſcere quiuis poteſt. Eſt igitur hic.

PIVS, BONA CONATVS.

QVi bona conari potis eſt, nec inutile cœptum
Perficere eſt animus, conuenit eſſe pium.
Si pietas adſit, iuuat indulſiſſe labori;
Si deſit, quem fers eſt labor omnis iners.

Tu

Tu BONA CONATVS PIVS *es, Pontane: videri*
Te talem virtus vtraq; rara facit.
Inſpicio mores? vita eſt tibi purior auro:
Eloquium? lingua lactea vena fluit.
Adde quod & priſcis æquanda volumina ſaclis
Inſtituunt mentes vt decet eſſe pias.
O te fœlicem fortunatumq; laborum,
Ingenij admirer, ſeu pietatis opus.

SYNTAGMA DECIMVM.

MISCELLA.

Vituperatio, & laudatio corui.

CVM æſtate proximè præterita, menſe Iulio, quo potiſſimùm, intendentibus ſe caloribus ſtudia litterarum in extremum vſque Septembrem proferri, & Academiarum ſpatia vacuefieri incipiunt, Ioannes Lepidus patruus noſter, vir honorum functione, & eruditionis, ac virtutis nomine ſuſpiciendus, me, & vnà fratrem meum, duos conſobrinos noſtros, adoleſcentes ingenio, doctrina, probitate florentiſſimos ad hortum ſuum in ſuburbano, vt antea ali-

quoties, animi gratia humaniſſimè inuitaſſet, cōtigit vt eo quaquà verſum iucundè obito ac perluſtrato, curioſeque ſpectatis omnibus, quæ ſpectatu digna in primis videbantur, ad diſcum iaciendum veniremus. Quo ludo finito, ſub arbore patulis diffuſa ramis in vmbra ad menſulam conſtratam, lactucula que, aſſo frigido de pullis gallinaceis, item piſciculis, & cancris bene coctis, cruſtulis inſuper, & ceraſis inſtructam accumbere, & pro copia edere ac bibere (erat autem vinum notæ optimæ, flos ipſe Liberi) iuſſi ſumus. Dum igitur hilariores facti varios ſermones cædimus, forte à vicina arbore coruū importunè crocientem audimus. Tum ego.

Quis nobis ſalutatorem iſtum gutture rauco latrantem ac ſtridentem, aureſque noſtras tam aſpero clamore radentem huc allegauit? Nihil præter cras cras cras audire eſt.

Nil aliud niſi cras ſemper canis, ô male corue.
Dic mihi, cras iſtud, peſſime, quando venit?
Quàm longè cras iſtud? vbi eſt, aut vnde petendum?
Nunquid apud Parthos, Armenioſq́ latet?

Sanè haud ineptè ab auibus iſtis, vt ſic loquar, craſtinantibus, qui de die in diem ſua differunt, ac procraſtinant, corui appellantur. In quos verſiculus. *Linque coax ranis, cras coruis, vanaq́ vanis.* Albus fuit quondam coruus, adeò, vt candore nec columbis, nec anſeribus, nec cygnis ipſis concederet. Præterea potis loqui, &

Phœ-

Phœbo ſacer. Cui Deo quoniam ſuper amata nuntium acerbum, quem ille ignorare maluiſſet, attulit, fuit ab eo candor eius in nigrorem nigerrimum transmutatus: quam loquacitatis ſuæ pœnam vſque hodie ſoluit, nec perſoluit, Phœbi reus in omne æuum. Hic cum omnes ad fabulam atriſiſſent, perrexi ego. Et quid ſibi vult, inquam, quod in prouerbio eſt, mali corui malum ouum? Nonne, ex parente improbo haud probum generari filium: nec ab indocto magiſtro doctos effici diſcipulos; nec ex illaudata patria prodire laudatos ciues, & ſimilia? Nihil ergo boni, nihil laudabile in hoc alite. Quid multa? in vniuerſitate auium haud quidquam arbitror reperiri vilius, contemptius, abiectius. In locis ſolis ferme conſpicitur, vbi capitales vita multantur: aut morticina, & cadauera iacent, quæ cum vulturibus commune alimentum habet: etſi piſces quoq; mortuos, in littus eiectos eſitare conſueuit. Omnino polyphagi, & pamphagi cernuntur corui: nec mortuorum tantum ſeu hominum, ſeu animantium carnes auidiſſimè conſectantur: nonnunquam & viuas auiculas, alaudas, & paſſeres prædones immaniſſimi comprehendere, enecare, abſumere viſi ſunt. Aſinos quoq; (videte audaciam, & impudentiam) audent oppugnare, eorumq; oculos eruere: & lepores ſola voce in terrorem dare, quaſi eos deuoraturos minarentur. Frugibus item, pomis, vermibus, ſerpentibus

tibus auidè paſcuntur. Ceraſorum tam ſunt appetentes, vt ea cum oſſiculis, & pediculis deglutiant. Ex eorum ingluuie crediderim fieri, quod æſtate ſexagenis diebus alui profluuio laborant. Pullos excludit quidem coruus: cæterùm quia pennis aſpicit primis diebus albicantes, tanquam ſuppoſitios ſceleſtus & impius nutrire negligit. Deus autem, à quo aluntur, fouentur, ac ſuſtentantur, & propagantur omnia, paruiſſimis quibuſdam inſectis, nidos circumvolitantibus, & vermiculis ex nidi materia putiſcéte enaſcentibus eos paſcit. Vnde illud Dauidicum, *Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.* Quod tamen nonnulli ad rorem cæleſtem referunt, & ab impietatis crimine eos aſſerẽtes, tam obliuioſos eſſe narrant, vt ad nidos ſuos reuerti non meminerint: & nuces etiam alioſque fructus in ſubterraneis latebris in hyemem abſconditos deſerant, qui à ruſticis poſtea reperiuntur. Reuerſi autem domum pullos ſuos paſcũt illi quidem: verùm vbi vtcunque pennis coöperti ad volatum maturuerint, tædio nutriendi nidis eos, & tota regione expellunt. Quare & hominis liberos ſuos abdicantis, exhæredes ſcribentis, domo eijcientis hieroglyphicum coruus eſt. Teterrimum alitem D. Hier. vocat, eumque ex arca Noetica emiſſũ, diabolum in baptiſmate pulſum repræſentare autumat. Et profectò cacodęmon ſub corui ſpecie non rarò ſeſe mortalibus obtulit. Reddunt

autem

autem coruorum proles talionem parentibus, iamque ſenio confectos, vt victum ſibi parare nequeant, viciſſim non alunt: atque ad reſiſtendum iam debiles immani quodam parricidio deuorant. Rectè igitur mali corui malum ouum. Quid de illorum rapacitate dicam? quam & germanica nomenclatura declarat. Rappen enim ſeu Raben vnde niſi à rapiendo, aut à rau[illegible] factum ſit? Furacitatis quoque accuſantur: ne[illegible] in edulijs ſolum, ſed etiam in pecunijs. Nominant vrbem, vbi quidam coruus de menſa, in quâ nummorum vis magna reponi ſolebat, paulatim quinque aut ſex florenorum pretium auerterit, & in horto propinquo ſub lapidem abdiderit. Quoties ex ipſis deorum aris exta, & carnes ſacrilegè rapuerunt? Quamobrem quis eos & tanquam parricidas in culeum inſuendos, & tanquā fures, ac raptores manifeſtarios laqueo de cruce ſuſpendendos negauerit? Quid denique in ipſo corui habitu, & nigrore horribili eſt elegantiæ? Abſente graculo pulcher coruus, eſt in prouerbio. Certe inelegantes, impoliti, ac ſordidi ſcriptores corui audiunt. Ne faciam longius, cum hæc auis & voce abſona, & nigrore horrida, & forma inuenuſta, & in ſobolem ac parentes ingrata, & impia, & tam vorax, & furax, & rapax ſit, quis eam non auerſetur? quis totis vrbibus, in quarum turribus aliquando nidulantur, totis ſyluis, totis campis ferro, & igni exterminandos nō arbitretur? Hæc ego cum diſſeruiſſem, patruus noſter

noſter his me verbis, quantum recordari poſſum, excepit.

Satis tu multa, Marcelle mi, aduerſus miſerum coruorum genus in medium exprompſiſti, & vt eloquentiæ candidatus non ineloquens fuiſti. Ego verò in omnibus abs te dictis refellendis operam non ſumam: ſed cum ea quæ ad genus hoc alituum commendandum, prout memoria ſuggeſſerit expoſuero, tu ad plura tibi reſponſum, nec amplius coruum viliſſimam, & abiectiſſimam omnium volucrum, ſed pæne honoratiſſimam, vt ſpero, confitebere. A maioribus autem ad minora progrediar. Tu, mi patrue, ſubieci ego, quantum, & quo modo placuerit: nos cupidè auſcultabimus. Ergo illud inprimis accipitote. Quod Apollini hanc auem ceu vatem vati dedicandam veteres cenſuerunt, mouit eos, quod tam voce augurium, quam volatu auſpicium faceret, futuraque præmonſtraret: per quam item quaſi per numen quoddam iuſiurandum iurare non dubitabant, cum hac, tum reliquis eius excellentijs perſuaſi videlicet. Quò referendum quod de coracinis ſacris legitur, quæ coruis peragi ſolita haud fidem ſuperat: quando nec de ſuperis, nec de medijs, nec de infernis dijs inuenitur, qui Corax coruus nũcupatus ſit. Niſi forte hoc nomine ſacra Oreſti, & Pyladi à Scythis inſtituta accipere oportet. Illis enim ob amicitiam qua erãt conglutinati Coraces vocabulum indiderunt: quod eorum lingua

gua

gua dij amicitiæ Præſides ſonat, vt à Luciano in Toxaride relatum video. Valent ingenio, docilitate, & prudentia; ſermonem noſtrum diſcunt, & apparet eos quodammodo intelligere, quæ loquuntur. Quid? An non Auguſtum ab Actiaca pugna victorem redeuntem his verbis ſalutauit coruus, Aue Cæſar victor Imperator? quem proinde xx. millibus nummûm emi idem Imp. mandauit. Alius ſermonis compos, Tiberio regnante quouis matutino in roſtra forum verſus euolans, Tiberium, inde Germanicum, inde Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem pop. Romanum ſalutabat? quem cum ſutor quidam neſcio qua de cauſſa occidiſſet, vt Plin. teſtatur, populus occiſum luxit: deinde lecto, lectum duorum Æthiopum humeris impoſuit, ac præcedente tibicine, & coronis omninm generum vſque ad rogum deduxit: quo quidē honore vix ipſis Imperatoribus maior haberi potuiſſet. Interfectorem autem proſcripſit, & vita exturbauit. Iniuriâ igitur deſpicitur, & pro ſtolido traducitur coruus, ipſo quoque elephanto ingenioſior. Cui quanquam cū humano genere ſocietas eſt, & bellua nulla à nobis propius abeſſe exiſtimatur, non tamen loquendi facultate pollet. Nec verò, quia de cadaueribus edit cornus, id quidquam de eius præſtantia diminuit: cum contra homines quidam omnibus ciborum delicijs ſeſe farcientes ſtupidi

nihilominus, & caudices inueniantur: & qui atrum panem ad betas, & lenticulam adhibent, & crudam de fonte bibunt docti, & ſapientes multi deprehendantur. Nec ideo ludibrium debent, quod aliquando in ludis à Claudio Pulchro editis ad tegularum ſimilitudinem in ſcena, imagine decepti aduolarint; cum ſingulari picturarum artificio non animantes modò, ſed homines quoque deceptos hiſtoriæ commemorent. Coruorum miniſterio Deus in Elia Propheta pane, & carnibus, quotidie mane, & veſperi alendo vſus eſt. Paulo Anachoretæ annis ſexaginta in dies ſingulos panis dimidium ad alimoniam coruus apportauit. Valerium Tribunum aduerſus Gallum pugnantem, eius galeæ inſidens coruus adiuuit, & clariſſimæ familiæ Coruinorum cognomentum dedit. Proditum eſt litteris, coruos ad annos triginta, interdum ad quadraginta coniugium ſanctum, & inuiolatum conſeruare, defunctoque altero vſque ad mortem in viduitate perſiſtere. Olfactu ſunt ſagaciſſimo. Quietem, & otium oderunt, id quod eorum crebræ volitationes huc & illuc teſtantur. Pluuias præſagiunt, alioque crocitatu illas, alio futuram ſerenitatem prænuntiant. Eorum in agris frequentia bonitatem ſoli ad fruges profundendas: viciſſim raritas ſterilitatem indicat. Quos ſemel locos habitare cœperunt, conſtanter retinent: nec ad morem aliarum auium ſub hyemem in peregrinas regiones commigrant, cum ipſorum

natura

natura quamuis cæli mutationem facilè toleret: quæ cauſſa eſt, quod in omni plaga orbis reperiuntur, κοσμοπολῖται ciues mundi, ſeu mundani, inſtar Socratis. Quin etiam ad venatum aliarum auium, velut accipitres, inſtitui ſe patiuntur. Cadauera, licet eorum ſint appetentes, ſi peſtilentia fuerint, haud attingunt. Voluptatem enim gulæ tanti non faciunt, vt ob eam perire velint; in quo gulones prudentia vincunt. De eorum viuacitate, quæ ab Heſiodo, & alijs ſcribuntur, quoniam commenta ſunt, dicere omitto. πολυχρονίους eſſe conſtat, vitamque longius extendere. Ipſe nigror corui in genere ſuo laudem habet. Non enim melius perfectionem huius coloris in re quacunque vulgus exprimere ſe poſſe opinatur, quam ſi eam coruo nigriorem καθ' ὑπερβολὴν affirmet. Quod ſi vera eſt corui deſcriptio, vt eſt, pulchrum potius quam deformem dicere conuenit. Eſt autem hæc, ſi memini. Pluma mollis, caput argutum, roſtrum validum. Ipſe oculis perſpicax, vnguibus tenax. Cumque duo colores præſtabiles forent, candidus & niger, Apollo vtrumque ſuis alitibus, candidum olori, nigrum coruo condonauit. Quod recentes pullos ſuſpectos habent, eosque ante ſeptimum diem, donec nimirū plumis nigricare occœperint non paſcunt, non id odio, ſed ſollertia quadam, & aquilæ æmulandæ ſtudio faciunt, quæ ipſa ſuos, antequam ad radios ſolares explorauerit, ſi eos immotis oculis ferre nequeant, pro ſuis non a-

 gnoſcit.

gnoſcit. A die ſeptimo omni cura, & diligentia, vt genuinos nutriunt, & educant, tandemque vbi validiores, & ad volatum habiles animaduerterunt, non alendi tædio, vt tu volebas, ſed ad colonias deducendas, & ne forte vtriſque, ſibi, inquam, & illis alimenta non ſufficiant, nidis eos amoliuntur. Plura vos legetis cum libuerit. Nunc aliquantum cyathizemus opinor. His ita dictis à patruo, ego communi nomine ob tam doctam diſſertatiunculam gratias egi. Quid poſtea? Quid quæris? tranſegimus cuius gratia accubueramus, non ſine interiectis ſuauiſſimis, & facetiſſimis ſermunculis, quod conuiuiorum condimentum eſt optimum. Poſtremò cum diem in noctem inclinare, &, vt loquitur Naſo, ſolem aureum caput Oceano abdere paratum ſentiremus, de menſa exurgentes, patruo ſalute dicta in vrbem regreſſi, ſomno, ad ſuum quiſq; cubile concedentes nos dedimus.

Conciones duæ militares, vna externa, altera Chriſtiana.

I. DVCIS PERSICI CONTRA TVRCAS.

PEr Principes quondam, ac Satrapas Turcarũ in Oriente regnatũ fuiſſe, dein tempore procedente ab Oſmane, qui Bithyniam, & Lydiam tenebat, cæteris debellatis monarchiæ datũ initium, cuius poſteri & ſucceſſores eãdem prouincijs, & regnis per tyrannidem occupandis latius, longiusque propagarunt, non vos latet, viri fortiſſimi.

tiſſimi. Nec verò quieuerunt, donec nouiſſimè ipſum quoque Chriſtiani imperij domicilium Conſtantinopolim ſub dominatum ſuum ſubiungerent. Nec hodie quieſcunt, & in Hungaria Chriſtianorum fines incurſant: populationibus agreſtes vexant, agro ſuo plus ſemper pluſqꝫ adijcientes. Et eſt illorum tanta dominandi libido, vt vel toto terrarum orbe in ditionem redacto, alterum quæſituri quem occupent mundum videantur. Hanc vnam belli cauſſam habentes, ſolam gentem Perſicam ſuis armis reſiſtere ferunt iniquiſſimè: inde excurſionibus, latrocinijs, & incendijs agros ac tecta noſtra infeſta reddere non deſinunt. Immo & in ipſa ceſſatione belli mortales fœdifragi bellũ nobis moliuntur: ac miſeram nobis ſeruitutem imponere meditãtur. Nunc, vt oculis aſpicitis, ingentibus copijs,& inſano apparatu ad concurrendum nobiſcum,& nomen quoq; noſtrum per terras omnes celeberrimum, multiſque clariſſimis victorijs nobilitatum funditus, ſi poſſint, delendum aduenerunt. Quouſque tandem huic perfidioſiſſimæ nationi ludibrio erimus? Quem ad finẽ eorum auaritiam, ſuperbiam, crudelitatem tolerabimus? Expergiſcimini expergiſcimini cõmilitones, partamque à maioribus libertatem, decus, & gloriam aduerſus latrones iſtos virili animo defendite. Faceſſat omnis timor. Contra eos res eſt, quorum ſanguine gladij veſtri nõ ſemel imbuti, & ſcuta perfuſa rubuerunt. Sua

cuique audacia in prælio pro muro eſt. Pluribus in pugnis perſpecta mihi virtus veſtra, & quem toties cognoui, alacer, & paratus ad vincendum, aut moriendum animus, ingentem victoriæ potiundæ ſpem ſuggerit. Maximus eſt hoſtium exercitus, & noſtro non paulo maior, conflatus ex flagitioſis, impudicis, ganeonibus, ære alieno obſtrictis, egentibus, parricidis. At ſæpè à minore maior fuſus fugatuſque eſt. Dextro lumine virtutem, ſiniſtro numerum reſpicit victoria. Nil deſperandum quibus valet animus, viget ætas, exercitata eſt in ſtragibus edendis dextera. In dextris veſtris coniuges, liberos, parenres, fratres, cognatos, patriam, ſalutem denique, & libertaté hodie portare vos creditote. Omnes hi manus ad vos ſupplices tendunt; veſtram in extremo diſcrimine fidem, & auxilium implorantes. Cum igitur inſtructis modo legionibus, & ordinibus conſiſtamus, vbi primum tubarum vtrinq; cantu terra contra conſonuerit, vota ſuſcipite: ſtricto ferro in belluas iſtas alacri impetu inuadite, & hoſce campos ſternendis corporibus complete. Quod ſi Martem minus propitium experiemur, videte vt prius animam amittatis, quam loco demigretis. In ſuo quemque veſtigio occumbere honeſtiſſimum erit. Ne committite, vt capti velut pecora inertia trucidemini potius, quàm acerrimè, & tanquam in alienis corporibus dimicando luctuoſam hoſtibus victoriam relinquatis. Nec ego tam præcepta mea faceſſere vos,

quam facta imitari deſidero. Inter primos me prælianteme conſpicietis: vt à me non ſolum pugnandi diſciplinam, verùm etiam, quod ad animos accendendos plurimum conducit, exemplum petendum intelligatis.

II. *Godefridi Comitis Bullionæi pro expugnanda, & recipienda Hieroſolyma contra Saracenos.*

Hieroſolyma communis Chriſtianorum patria, vt quondam omnium gentium Roma, à Saracenis capta eſt anno Chriſti DCXXXVI. poſſeſſa annis CCCCLXIII. nempe ad annum MXCIX. quo, adnitente, & omnimodis laborante Vrbano II. Pont. max. fæliciſſime recuperata eſt. Is ſiquidem permotus iniurijs, contumelijs, damnis, & ſupplicijs, quæ ſacroſanctum Domini ſepulcrum religionis cauſſa remotiſſimis è locis viſentibus impunè irrogabantur, Claromontem in Aruernis indicto concilio, luculenta oratione ad populos, & Principes eodem confluentes habita, expeditionem perſuaſit, impertita pro admiſſis in vita relaxatione piaculorum omnium ijs, qui in eam militiam profeſſi eſſent. Dici non poteſt quot ex omnibus Occidentis, Italiæ, & Franciæ potiſſimùm, regionibus homines nobiliſſimi, & de plebe quot millia ſumma voluntate conſcripta ſint. Inſigniti omnes cruce purpurea, ad ſcapulam dextram in veſte aſſuta. Et ipſi

quidem Cruce ſignati, expeditio Cruciata nominabatur. Obſidio ad dies XL. cœpta nimirum VII. Kalend. Iunias, finita IV. Non. Quintiles. Summum Imperatorem Godefridum Bullioni Dominum in muros primum euaſiſſe ſcriptum eſt: indeque redacta vrbe in poteſtatem, dignum conſenſu viſum, qui primus è Chriſtianis Hieroſolymorum rex renuntiaretur. Huic ergo Principi dum oppugnatio admouetur, meritò hortatoriam, & militarem concionem affingemus.

Concio.

TAnta, tamque incredibilis, & ante hoc tempus fando inaudita ad hanc ſacram expeditionem tot magnorum Principum, tot regnorũ, populorumque conſpiratio, commilitones, tanti in haſce longinquas terras, poſthabitis quibuſcunque in patrio ſolo commodis, & contemptis quæ ſe terra, marique obiecerunt moleſtijs, periculis ac difficultatibus cum armis ad ſanctá ciuitatem de manibus Saracenorum extorquendam profectorum exercitus, vt vrbes ab incolis, agri à cultoribus deſerti, deſolatique videantur: tot victoriæ inde ab aduentu noſtro cæleſti munere nobis oblatæ ſatis ſuperque declarant pias omnium voluntates, ſtudia, labores, contentioneſq; in negotio tam ſalutari IESV Chriſto Saluatori placere vehementer. Quo maiore cum fiducia

fiducia Chriſtianarum vrbium reginam, & caput, ſanctitatis templum Hieroſolymam, ante cuius mœnia conſiſtimus, expugnare, & poſt annos prope quingentos reddere imperio noſtro aggrediemur. Totam Syriam ſi occupemus, hac vna vrbe niſi potiamur, nihil occupauimus. Nemo veſtrûm neſcire poteſt quam grauibus mactati detrimentis, quam intolerandis onerati iniurijs, quam crudelibus excruciati ſupplicijs fuerint, qui, quà patet orbis Chriſtianus ad hæc ſacratiſſima loca viſenda, & veneranda aduentarunt, à Mahometanis iſtis ſacrilegiſſimis: Quam indignitatem ſi diutius pateremur, verendum fuit magnopere, ne Deum propter infandam ignauiam noſtram inimicum haberemus. Quis tandem locus in toto hoc territorio, quà oculi proſpectum ferunt tam religioſus fuit, quem iſte immanes belluæ non violarint, non profanarint, non polluerint? Quæ ſacra Chriſti, Apoſtolorum, Prophetarum, veterum regum monumenta non euerterunt, ac diſſiparunt? idque in hac vrbe, quam præ omnibus elegit Deus, in qua nomen eius inuocaretur. Quæ tot ſanctos homines vtriusque ſexus protulit, Quæ ipſum Dei præpotentis filium, eiuſq; virginem matrē, & diſcipulos tandiu aluit, eorumq; paſta eſt viciſſim diuinis ſermonibus, & ſtupendis illuſtrata miraculis. Quam ſanguine ſuo pretioſo Liberator noſter irrigauit: morte, ſepultura, reſurrectione ſua cōſecrauit: paracleto cęlitus miſſo mi-

rabiliter recreauit. Ex qua ſalutis humanæ myſteria in omnes mundi partes profluxerunt: cuius vel ſolus aſpectus religione quadam perfundit animos: cuius vel puluis platearum eſt venerabilis. Hanc vrbem hodierno die cælitibus bene iuuantibus inuademus: eius muros arietibus, & tormentis alijs percutiemus; turres admouebimus: ſagittas in propugnatores imbrium in modum iaciemus: eoſdem ſcalis appoſitis ſtrictis enſibus comminus feriemus, ac depellemus. Spectabunt nos è ſuperis angeli, ac beati omnes, noſtrum perruptis, ac patefactis portis triumphalem ingreſſum contemplari geſtientes. Quotquot numerantur Chriſto initiatæ gẽtes, victoriæ noſtræ indices auidiſſimè exſpectant. Qui cum venerint, vt dies feſtos agitabunt? vt ſupplicationes ad omnia Diuorum templa decernent? vt æra campana, & organa muſica, & hymnos canentium voces vbique reſonabunt? vt magnificè apparabuntur conuiuia? Præ lætitia pæne omnes deſipient. Erit ille dies in memoria ſæculorum omnium, & Faſtis adſcribetur. En, commilitones, quam ſæpius aui veſtri, ſæpius parentes, ſæpius ipſi vos optaſtis adeſt nunc rei præclare gerendæ occaſio. Quotquot domi remanſerunt vota pro ſalute, & victoria noſtra ſuſcipiunt. Pulcherrimæ, & ampliſſimæ, & ſanctiſſimæ vrbis poſſeſſio, præda multa, captiuorum libertas, cæli, ſi qui certando occubuerint, ex Pontificia condonatione aditus,

tus, decus & gloria ante oculos ſita ſunt. Quid moramur? Agite, *Fere citi ferrum, date tela, ſcandite muros.*

Edictum Diocletiani, & Maximiani Augg. de Chriſtianis perſequendis.

DIocletianus, & Maximianus AA. cum Nicomediæ in Bithynia conueniſſent, cõmuni conſilio edictum de Chriſtianis excarnificandis, & è medio tollendis publicitus propoſuerunt. Tum ciuis quidam Ioannes vocabulo, nobili in familia natus, & geſtis magiſtratibus clarus, amore Dei, ac feruore fidei exardeſcens, edictum crudeliſſimum refixit, & in partes minutas conſcidit. Ob id comprehenſus, cruciamenta carnificum, mortemque diriſſimam primus tam præſenti, conſtantique animo excepit, vt ne ingemuerit quidem: nullumque vel modicum perturbatæ mentis indicium oſtenderit. Euſeb. lib. 8. cap. 5. Niceph. lib. 7. cap. 5. Edictum potuit eſſe huiuſcemodi.

DIOCLETIANVS IOVIVS, ET MAXIMIANVS HERCVLIVS ÆTERNI. IMPP. A. A. MAGISTRATIB. ET POPVLIS QVOS CLEMENTIÆ NOSTRÆ REGIT IMPERIVM.

CVm ante omnia Deorum immortaliũ, quorum fauore, & beneficio regnamus, & à qui-

bus cōmoda quibus vtimur impartiri nobis videmus, ſacra & cærimonias Maieſtati noſtræ quã commendatiſſimas eſſe oporteat: & compertũ habeamus, ex quo Chriſtiani genus hominum maleficè ſuperſtitioſum, atq; impium emerſit, deos iratos, varias ſæpe, & acerbas calamitates orbi terrarum immiſiſſe, acerbioresq; adhuc, niſi cura & religio noſtra prouideat, timendę ſint, cõplacitum eſt vtriq; noſtrûm, deceſſorum Imperatorum exemplo ad ſacrilegam iſtam ſectã penitus delendam, & eradicandam incumbere: atq; ex hac diuina pietate noſtra erga deos, & odio iuſto aduerſus Chriſtianos decimam palmã, cæteris, vt ſperamus, glorioſiorem petere. Quare Præfectis vrbium, prouinciarum, vniuerſis magiſtratibus, ſummis, medijs, infimis, per vniuerſũ imperium noſtrum Orientis, & Occidentis ſeriò mandamus, Chriſtianorum Præſides in carceres contrudant: conuentus agitari prohibeant: ſacros eorum libros ignibus tradant: honoribus eos exuant: facultatibus ſpolient: in exilium pellant: ferro trucident: belluis obiectent: in flumina, & mare demergant; omni deniq; cruciatuum genere, & quaſcunq; excogitare poterũt pœnis atrociſſimis ad ſacrificandum adigant: nouerintque quò ſe in ſceleratam gentem acriores præbuerint, hoc ſe primùm dijs magnis, deinde maieſtati, Numiniq; noſtro chariores futuros. Nicomediæ anno imperij noſtri XIX. Idib. Martij, conſulatu Diocletiani VIII. Maximiani VII.

Quid

Quid eloqui potuiſſet Ioannes hæc legens, & facinus audens plenum excelſi, & inuicti animi magnitudine.

PRô Chriſte ſancte. Qui anteceſſerunt Imperatores I X. Nero, Domitianus, Traianus, reliqui in Eccleſiam, & hæreditatem tuam nondum ſatis ſæuierunt: cacodæmone inſuper haſce duas furias, ac peſtes ad nouam, & immaniorem noſtri lanienam inſtituendam ab inferis emitti neceſſe fuit: qua ceu rapidiſſima procella per annos aliquot conceſſa ſerenitas, & tranquilla pax qua lætabamur in caliginem, & intemperiem commutetur, & omni otio per ſummam crudelitatem diſturbato, cruore noſtro, vt antea toties, tellus latè denuo reſpergatur, & irrigetur. Rebus ad voluntatem fluentibus quàm iſti intumeſcunt? quàm ceruices ſuſtollunt? Cumq; non ſit conſilium contra Dominum, ipſi tamen ineunt conſilia contra Dominum, & Chriſtum eius audaciſſimè. Æternos ſeſe vocant, *quorum gloria ſtercus, & vermis eſt: hodie extolluntur, & cras non inuenientur, quia conuerſi ſunt in terram ſuam, & cogitatio eorum perijt.* A verbis virorum peccatorum cur timeamus? Crucient, mactent, perdant nos, non interibimus. Multi cademus; multo plures reſurgemus. Martyrum ſanguis ſemen Chriſtianitatis. Non ſunt metuendi qui corpus occidunt; animam non poſſunt occidere.

Quo

Quò vocant magiſtri præcepta, eò trahunt diſcipulorum præclara exempla, quorum infinitus numerus. De iſto numero quin tu quoque ſis? Immò in iſta patria tua hoc tempore vel primus ſis, & ciuibus tuis, apud quos auctoritate, & gratia tantum vales, ſalutare ſignum præferas. At quo pacto id aſſequeris quàm commodiſſimè, & honeſtiſſimè? Opinor, ſi nefarium hoc decretum reuellens in fruſta diſcerpas. Factum audaciſſimum: immo generoſiſſimũ, & amore Chriſti digniſſimum. Ad aures Principũ nuntius ſtatim aduolabit: rumor tam breui ciuitatem peruadet: inquiri te, capi, vinculis conſtringi, in cuſtodiam raptari, ſæuiſſimè torqueri, & occidi mãdabunt. Hæc ego omnia in lucris deputo. Probo Chriſtiano nec viuo, nec mortuo quidquam poteſt euenire mali. Hæc vita etiam longa æternitati comparata breuis eſt, punctum eſt, & puncto minus. Age age Ioannes, legiſti edictum: cognouiſti ſuperbiam: intellexiſti iniquitatẽ: perſpexiſti immanitatem. Præſta te virum. Auelle de pariete edictum conſceleratum; integrum ne ſine; in particulas conſcinde, & da documẽta palam fortiſſimi animi in cauſſa Dei, cui debes ipsũ animum. Diſcant iſti nominis Chriſtiani hoſtes infenſiſſimi, ac tyranni importuniſſimi maius quiddam eſſe quod virtus tua erigere, quam eorum potentia deprimere queat. Tundant te vel in mortario, quid niſi follem Ioannis tundent?

Ad Pontificum Senatum, pro transfugis in perſecutione, fidelium communioni reſtituendis.

ORATOR DEPRECATOR.

QVod ſingulare, atque haud ſcio an vnum omnium maximum, exoptatiſſimumq́ue beneficium multis cum laudibus, & gratiſſimis animis Deo immortali debemus, Patres ſanctiſſimi, Eccleſia Chriſtiana diu preſſa, at nō oppreſſa aliquando reſpirauit, & ex bello pacem, ex periculis ſecuritatem, ex tempeſtate portum inuenit. Poſt denſiſſimas tenebras iucundiſſimam lucem, poſt atram noctem sereniſſimum diem rurſus aſpexit. *Hyems tranſijt: imber abijt, & receſſit.* Lætitiæ voluptas incredibilis omnium noſtrûm pectora inundauit: quam augent etiam, qui in media perſecutione fidem Deo obligatam perſeuerantiſſimè præſtiterunt: & cum tyrannis, atq; carnificibus in ſtadio decertantes, nec promiſſorum blanditijs decipi: nec tormentis ſubigi: nec machinis vllis expugnari, & euerti potuerunt. Quorum pars maior pro conditione mortalitatis extremum ſpiritum in ipſa victoria effuderunt, glorioſiſſimumq́ue Martyrum nomen, & beatas in cœlo ſedes ſunt conſecuti. Pars altera Chriſtianiſmi confeſſione ante iudices perfuncta, vel dimiſſa eſt libera, cum tantæ

infinitati iugulandæ carnifices non ſufficerent: vel leuioribus tentata ſupplicijs, & Chriſti IESV ſtigmata in corpore ſuo portans, cum vita euaſit. Hos victricia ſigna præferentes, portis apertis lætabunda excipit, & gratulabunda mater Eccleſia complectitur. Quantum porrò ſuper his exultat, qui in acie viriliter rem geſſerunt, tantum triſtatur, & luget ſuper ijs, qui aut ante congreſſum ſponte conciderunt: aut ſtatim primo impetu pauefacti, & ſiue minis ſolis intentatis, ſiue cruciatibus adhiberi cœptis emolliti, & eneruati, ne vitam hanc breuem amitterent, exitio ſempiterno ſe miſerabiliter deuouerunt. Quo ſcelere deuinctos, prô dolor ſe confitentur, quos coram frequentes, & ad pedes veſtros prouolutos, ſqualore ac ſordibus oppletos, & collacrymantes intuemini. Hi me obnixè precati ſunt, vt in hoc venerando conſeſſu eorum cauſam agere ne recuſarem: quò clementia, & miſericordia veſtra in priſtinum gradum, conditionemque reducti, fidelibus de integro accenſerentur. Quod officium vt ſanctum, & fraternæ charitatis, à Saluatore, nobis præceptæ plenum ideo minus ſubterfugiendum putaui, quoniam vt perditarum iſtarum ouium paſtores, & filiorum quamuis degenerum parentes, infæliciſſimo eorum caſu, & lethalibus doluiſſe, ac dolere vulneribus: & qui eos transfixerunt gladios, vſque hodie in veſtris viſceribus perſentire vos quoque minime dubitandum reor. Nam

qui

qui ad Pauli exemplum contenditis, & omnibus omnia facti eſtis, vt gaudetis cum gaudentibus: ſic cum dolentibus doletis, & cum flentibus fletis, & cum infirmis infirmamini. Reperiuntur in his, qui tantùm libellis oblatis Chriſto ſe valedicere profeſſi ſunt. Reperiuntur alij qui idolis vel ſacra fecerunt, vel thura incenderunt: quorum primos libellaticos, ſecundos ſacrificatos, vltimos thurificatos appellamus. Inter vtroſque autem nonnulli, etiam antequam comprehenſi iudicibus ſiſterentur, & de religione interrogarentur, aut ſuppliciorum procemia experirentur, fidem, & ſacramenta noſtra reliquerunt. Ita quod omni miſeratione proſequendum eſt, ſine ictu ad terram afflicti, & ſine pugna ſuperati ſunt: tanta fuit naturæ imbecillitas: tantus, licet in optima cauſſa duriora perpetiendi metus. Non ignorabant quid Chriſtus, & Apoſtoli Chriſtianis perferendum mandariut: ſed timor immenſus crudeliſſimæ necis pectus illis obſcurauerat, memoriamque ſalutarium præceptorum deleuerat. Debuiſſent ſanè ad ſceleſtiſſimi facinoris obſequium euntibus labaſcere pedes, contremiſcere mēbra, horrere capilli, hærere lingua, deficere verba: execrabiles aræ videri ſepulchra: delubra fumo, & cruore victimarū turpata videri orcus. Nūc cum nefandis quas dijs gentium immolarunt hoſtijs, animas ſuas ſimul immolarunt, & quodammodo

do concremarunt. Hæc vos Patres religioſiſſimi tacitè miſeris fortaſſe obijcitis, & non immeritò exprobratis: quæ illi ſingula libenter agnoſcunt, & ad ſemet pudefaciendos, toto, ſi poſſet, præſente, & auſcultante mundo confiteri ſunt parati. Se ipſi deteſtantur, & quos terra ſuſtineat, quique hanc lucem intueantur indigniſſimos arbitrantur. Veruntamen magnæ clementiæ non niſi in magnis delictis eſt locus: & qui decem talentorum millia, quam qui centum denarios dimittit plus laudatur. Quandiu quies fuit, animus eis ad Chriſtum profitendum cum periculo capitis non defuit. Ingruerunt venti; ruit vis grandinis: exorta eſt grauis tempeſtas: fulſerunt enſes: propoſitæ ſunt cruces; exhibitæ beſtiæ: ante oculos ſtatuta diuerſorum ſuppliciorum diuerſa inſtrumenta: hæc hæc imbelles milites nimiòpere conterruerunt. Et profectò multum differunt, mortem abſentem pro Chriſto domi tuæ ſuſpirans exoptes; an præſentem in foro lætus excipias. Nolite, Patres, grauitatem ſceleris eorum diligentius expendere. Nolite zelo diuino inflammati quod merentur ſontibus rependere: ſed eius qui vltro pro ipſis mori dignatus eſt, quem præcipuè offenderunt, manſuetudinem, & promptam ſemper ad pœnitentibus ignoſcendum voluntatem attentius perpenditote: atque vt lenti, nec ſeueri iudices dandæ veniæ potius cauſſas, quam puniendi occaſiones aucupamini. Nolite obli-

uiſci quid peccatoribus reſipiſcentibus Prophetarum oracula de miſericordia diuina promiſerint, & quam magna ijs ſolatia dederint. Nec eſt quod de horum & dolore animi, & libentia in piaculis, quæcunq;, & qualiacunque, & quandiu impoſueritis ſuſcipiendis ambigatis. Teſtes habetis pullas veſtes, ſqualentem, & cinere conſperſam comam, barbas horridas, vultus triſtes, & humi deiectos, nec libere quenquam aſpicere audentes, ac mœrorem ſummum præferentes, quasq; inteſtinus dolor exprimit lacrymas ex oculis continenter profluentes. Preces aſſiduas, vigilias, ieiunia, flagellationes, humi ſtrata cubilia, actiones demum expiatorias duas imperabitis exantlaturos pollicentur. Ad dominũ ſerui fugitiui vobis interpretibus, & ſponſoribus reuerti toto pectore cupiunt, qui eos in ſuos referet vtiq; denuo: victis arma & vires ſuppeditabit: fugati hoſtem fugabunt: peremptores ſuos periment: & Eccleſiam quam defectione ſua contriſtauerunt, fortiſſimè cum opus fuerit certando, & vincendo, ingenti gaudio cumulabunt.

Quid dixiſſet Conſtantinus Aug. cum partem S. Crucis ab ſe inuentæ Helena mater Conſtantinopolim afferret.

MAter mea, mater fæliciſſima. Haud te fefellit augurium tuum: nec es fruſtrata deſiderio tuo ardentiſſimo, quod mecũ toties pro

arcano communicaſti: cum trophæum domini deiq; noſtri alicubi iacere terra obrutum, cui exquiſitiſſimi honores ab humano genere deberentur, ſuſtinere vltra nō potuiſti. A me quidem ſceptrum & coronam accepiſti: at tu multo auguſtius quiddam mihi attuliſti, meq; inter omnia diſcrimina pace belloq; cæleſtibus præſidijs cōmuniuiſti: & hanc vrbem tali dono ex regia regaliorem effeciſti; nec non tanquam ſplendidiſſimo ſidere, vel ſole potius colluſtraſti. Nullo ornamento, quanquam ijs abundat, huic nouæ Romæ, vrbiumq; principi tantū, quantum vno hoc gloriari licebit: nec proinde vlli mortalium quantum tibi obſtrictam ſe fatebitur: à qua ſe tantopere condecoratam quandiu extabit recordabitur. Da, mater bona, da amplectendum, & oſculis contingendū quem apportas theſaurum opulentiſſimum: de quo reperto gaudijs efferri immenſis par eſt, quicunq; à Chriſto cognomētum acceperunt. Salue ara, ſuper qua mactatu Iudæorum cōcidit hoſtia ſcelerum omnium expiatrix, quæ poſt homines natos ad diem extremum vſque commiſſa ſunt, & committentur. Salue lignum pretioſum, quod in monte Caluariæ conſitum, vmbra & ramis tuis totam terrarum latitudinem complexū es. Salue crux, fundamentum fidei, regum honos, ciuitatum cuſtodia, mœſtorum ſolatium, infirmorum baculus, laborantium quies, ſeruorum libertas, deſperatorum vnicum perfugium. Tibi hanc prærogatiuam

gatiuam, mater, deus reſeruauit, toto orientis & occidentis imperio potiorem. Supremus rerum omnium Imperator te Imperatricem ſuam hoc honore honeſtatam eſſe voluit: quem tibi non Imperatrices tantum, quæ te ſequentur, ſed ipſi etiam qui nos ſequentur Chriſtiani Imperatores inuidere poterunt. Verùm iam recipe ad te ſacroſanctum, & viuifico ſanguine imbutum hoc lignum: neq; enim præ lacrymis ſe profundentibus plura profari queo.

Nota ſis quod ſcribit Socrates lib. 1. cap. 17. *Qui (Conſtantinus) credens omnino eam urbem ſeruatum iri, vbi pars illa ſeruaretur, in ſua ipſius ſtatua occultauit, quæ Conſtantinopoli in foro Cõſtantini ſuper porphyretica, & magna columna poſita eſt.*

Quibus verbis Abigail mulier prudentiſſ. Nabalem virum ſuum, poſtquam crapulam edormiuit, caſtigaſſet.

INuitaſti te heri in cõuiuio apparatiſſimo pluſculum, mi vir, & vino approbè irrigatus, cum pes officium ſuum parum ſcitè faceret, me ducente, an trahente? cubitum conceſſiſti, altiſſimeq; ſtertendo, quæ ducta ſti tot pocula digeſſiſti. Proinde nunc te capacem fore exiſtimo eorum quæ dictura ſum: quod heſterno veſpere nullo modo fuiſſes. Neſcis quid nobis paratum erat mali: tibi, inquam, mihi, toti noſtræ domui: idq; propter ingenium tuum tam aſpe-

rum, tam intractabile, mores ferreos, & mihi quoque, nedum ſeruis tuis, & alienis intolerabiles. Habemus deo beneuolente vnde nosmet viuamus, & alijs benignè faciamus ſatis. Tu nihilominus, adeo ſordidus es, vt ſi vel capitis periculum ſit, vno pane, ſi poſſis, ſalutem tuam vix redempturus videare. Nonne nudius tertius per deſerta locorum inſidias, & gladium Saulis fugitans cum cohorte ſua Dauid, & à victu inops, poſtquam comperit te tondere oues, pro pauxillo commeatu X. iuuenes miſit, humaniſſimè ſalutauit: quomodo paſcua, & greges tuos à prædonibus ſemper tutatus eſſet, & omni iniuria paſtores tuos prohibuiſſet commemorauit? Tu verò inhumaniſſimè, ac proteruiſſimè vel hilum te daturum negauiſti; & verborum inſuper contumeliam addidiſti: nihil penſi habens, quis, & quantus eſſet Dauid, & quam ad iniurias ſuas abs te perſequendas inſtructus: adeo valetudine mẽtis nihil prouides. Irritatus vir optimus hac repulſa ad domum tuam, domeſticosque ferro & igni perdendos ſeſe comparabat. Quod cum è celeri nuntio didiciſſem, cum panibus, carnibus coctis, placentis, vuis paſſis, caricis, & vini bono numero infeſto agmini occurri: ad Dauidis pedes me proſtraui: iniuriam abs te illi factam confeſſa, vindictam imminentem deprecata ſum, & ne innocentum ſanguine ſe contaminaret religionem inieci. Quid plura? pacaui, & me collaudatam dimiſit. Mea igitur cura, & ſollicitudine à capite tuo, tuorumque cer-

tiſſimum depulſum eſt exitium. Quid nunc, quid ſentis? Ecquid intelligis quantum ſtultitia tua tibimet nocueris? Quando tandem ſapies? quando ab iſta moroſitate tua diſcedes? An non vides, quod omnes vident, iam prope proclamatum, & inauguratum regẽ Iſraelis Dauidem? Offendiſſe autem reges quam ſit periculoſum, ſi propter ſtuporem cordis non ſentis, at alijs crede. Ille ad regnum propediem euectus alimonia noſtra non egebit: nos illius gratia, & fauore egebimus. Turpiſſimum ſanè vt ego mulier te virum regere, ac docere officium cogar. Per Deum te obſecro, ne quid in omni vita tua ſimile. Boni conſule,& me tutatricem tuam, nō vxorem modò in poſtremum fac magis diligas.

Hiſtoria de Iudæo, & Chriſtiano.

BYzantij, ſeu Conſtantinopoli Iudæus Chriſtiano certam auri ſummam mutuò dederat, hac conditione, vti conſtituta die præter ſortem vſuræ loco duas carnis eiuſdem Chriſtiani vncias reciperet. Die præfinita ſortem reddit Chriſtianus, fœnus negat. Aditur Solymannus Imp. vt rem decidat. Qui Iudæum animo deteſtans, nouaculam afferri iubet, & Iudæo poteſtatem facit, qua velit membri parte debitori duas carnis vncias exſcindat, ea lege, vt omnino duas tantùm: ſi minus pluſue excideret, capite luiturum. Non auſus Iudæus hanc aleam ſubire, Chriſtianū abſoluit. Æneas Syluius lib. 2. de geſtis Alphonſi.

FINIS.

Lectori.

IN II. Parte Bellariorum nuper edita ſunt pauca, de quibus mihi monendus es. Dialogo III. pag. 464. ſcriptum, Pariſiis florere diſciplinam iuris, &c. cum in illa Academia non niſi Inſtitutiones Iuſtiniani, & ius Canonicũ doceatur, idq; iuſtas ob cauſas. Quis autem eorum, qui regiones, & vrbes non peragrarunt, hoc de nobiliſſimo Gymnaſio facile crederet? Pag. 547. de Ioanne Pico ſcribendum fuit, annum ſiquidem XXXIII. non ſuperauit: & ita leges Parte hac I. pag. 596. In Syntag. VI. pag. 320. quæ de moribus Senecæ proferuntur, credibilia fiunt ex aliis item vitiis non leuibus, quæ à magnis ſcriptoribus eidem obijciuntur, ut adulatione, ambitione, inuidia, ſimulatione, odio aduerſus inimicos, iniuriarum perſecutione (tam ſancto præſertim philoſopho indigna) ingrato denique in bene meritos animo, quæ omnia collegit Horat. ſubſeciuar. lib. 8. cap. 19. noſter Lælius Biſciola, quem lege ſis.

Errata

Errata operarum emendata.

In Gracis vocibus.

PAg 242.p ἔπειτα. 257. m. ἀμφότερον. 272. v.1. σκῆπτρον. 295 f. γενόμενον. 341. f εἴχομεν. 369. p. φέρε. 370. p. ἄυπνος. 554. m. γαμοῦντι. 610. f. ὠμέγα.

In Latinis.

PAg. 6 p diſcendo conſectamur. 21. f. dādum trip. 38. ˜. ult. dimanaſſe. 42. ℣. penult. lege pro mutuo. 51. p. reſte. 64. m. & Oriente. n Conſtantio. 77. ℣. 1. das? 114. p. fatuorum natione. 122. ℣. 2. elatam. 133 f. ſalaria. 141. p. regredi pro ingredi. 165. m. granarium. 158. p. emblema ſuum 204. p. li. 10. cap. 208. f. Propius 228. ℣. ult. Aeneid 273. lege ubique, demenſum pro dimenſo. Ibid m. Non modio. 280. m. barbararum. 304. ℣. 1 ſic legendum. Oſſa eorum, qui ex illa tribu occubuerunt. Vnus autem thorus conſtratus effertur vacuus pro ignotis 309. m. tolle interrogationem. 324. fac CXXIII. 334. ℣. 1 monſtravit. 353. m. Orce pro Orco. 359. lemma prius eſt poſterius, & hoc prius, mutato ordine. 363. p. ſternutamenta. 364. f. fabrefacta. 390. ℣. ult. ſymbolis. 409. p. quia. 449 p. Petre. 506. f. Auro lucidius. 535. p. Venus. 545. f. Hac equidem. 547. f. muliebribus. 564. tolle à. 619. ℣. 1. quingenario. 624 ℣. 2 ſcribe, Meurſius de luxu Rom. cap. 5. 646. m. Regulus avet. 692. m. iocos.

A01